BIBLIOTEKA
Zakł. Nar. im. Ossolińskich
XIII 3.699

15. Xk.

Ll. 2. 40.

1835

Scientia Militaris N: 44.

DE
BELLO
IN GENERE.

INSTYTUT OSSOLIŃSKIEGO

SIMONIS STAROVOLSCI INSTITVTORVM Rei Militaris.

LIBRI VIII.

Quorum ſeries à tergo habetur.



FLORENTIÆ M.DC.XLVI.

Superiorum permiſſu.

Sumptibus Ioannis Baptiſtæ, & Ioſephi Corbi Bibliopolarum Romæ.

16.359

Quorum.

I. Generalē belli deſcriptioonē cōtinet.

II. Ducis qualitates, & officia comprehendit.

III. Delectum militum, diſciplinamque eorum edocet.

IV. Claſſicum ſonat, & acies inſtruit.

V. Nauale prælium deſcribit.

VI. Solertia Ducum facta oſtendit.

VII. Subruendarum, atq; defendendarum vrbium rationes monſtrat.

VIII. Dubia non nulla ad militarem prudentiam ſpectantia reſoluit.

XVII-3699-I

Perilluſtri, & admodum Reu. DD.

ALEXANDRO BRANDANO,

SANCTÆ MARIÆ Vulgo Rotundæ Canonico.

Ioannes Baptiſta, & Ioſeph de Corbis Bipliopolæ.

S.

IANDIV Brandane optime, incredibili virtutum tuarum tenebamur deſiderio; cũ tanta, atque talis sẽper fuerit maximarum illarum fama, vt, vel te nunquam viſo, occultis tamen quaſi quibuſdam

vinculis ad tui amorem, & obſeruãtiam nos totos rapi ſentiremus. Illicò enim prædicatam manſuetudinem, integritatem, ſapientiam tuam vſque adeò cognouimus, vt hominum opinionem ſimul quoque te longè ſuperare nouerimus. Verumenimuerò nobiſcum cogitantes, quãnam ratione hanc noſtram ad te colendum propenſionem Vrbi, & Orbi declararemus, id non alio facile præſtituros arbitrati ſumus, quam aliquo Officinæ noſtræ recenti litterarum monimento impreſſo. Et quidem nihil ad rem propiùs nobis accedere videbatur, his maxime deplorandis tẽporibus, quibus ampliſſimæ Europæ Prouinciæ (fatali huic animaduerſioni vti eximeremur Heſperia noſtra) bello ardent, & incendio; quam Simonis Starouolſcij Poloni Rei Militaris Inſtituta, illius quidem viri præclara eruditione, atque doctrina perpoliti,

politi, quippe qui bellum rectè gerendi præcipua capita, quæ arma non parùm, ac togam iuuare valebunt, vti ſacrarum litterarum, nec non militiæ gnarus, ſummatim breuiterque collecte diſpoſuit. Militare enim, ex Auguſtino, non eſt delictum, ſed propter prædam militare peccatum eſt: nec Rempublicam adminiſtrare criminoſum eſt, ſed ideò agere Rempublicam vt diuitias augeas, videtur eſſe damnabile. Propterea enim quadam prouidentia militantibus ſunt ſtipendia conſtituta, ne, dum ſumptus quæritur, prædo graſſetur. Aſpicient etiam hoc in libello vtrique vtrorumque militum duces: Imperatores, Reges, Ductores, Milites: Præſules, Sacerdotes, Confeſſarij, Pœnitentes; quas togatæ militiæ regulas iuſtè, ac legitimè ſequantur. Sed ad ſuſceptum conſilium noſtrum redeuntes, te rogamus etiam, atq;

etiam, Brandane ornatiſſime, vt hoc perpetuæ noſtræ in te voluntatis, ac ſtudij argumentum pro tua ſingulari humanitate gratum habere velis. Fac vt valeas. Romæ, ex noſtra Typographica officina ad iv. Nonas Quintiles. M. DC. XLVI.

Illuſtriſſimo Adoleſcenti

IOANNI
ZAMOSCIO

Veteris, & Noui Zamoſcij

DOMINO.

Magni Cancellarij, Thomæ Filio. Magni Exercituũ Imperatoris, Ioannis, Nepoti. Magnæ in Patria exſpectationis Ciui Præfecto Caluſſienſi.

Simon Starouolſcius Perpetuam in omnibus Felicitatem. P.

OPtimus olim Patriæ noſtræ Senator, Opimi quondam Imperatoris, Aui tui paterni; tàm in ſtudiorum exercitatione Patauij in Italia, fidiſſimus comes, quàm in Ampliſſimo Regni Poloniæ Senatu, in adminiſtratione negotiorum Reipub. perpetuus Collega, Laurentius Goslicius, Epiſcopus Po-

ſnanienſis, Illuſtr. Domine, prudẽtiſſimè volumine ſecundo effatus eſt. Ea *inquiens*, negligere quæ ad ciues felices & pacatos efficiendos, quæ item ad ſeditioſos reprimendos pertinent non modò ſtultum & ignominioſum, verùm etiam impium & ſceleratum eſt iudicandum. *Cum autem nihil magis ciues efficiat felices, quam bona, & ex præſcripto legum,* R*eip.gubernatio; nihil pacatiores Regni incolas, militeſque ipſos, quàm diligens caſtrorũ diſciplina; quæ & ignauos reddit in acie fortes, & ſeditioſos in hybernis facit obtemperantes. Proinde, vt Patriam pro virili iuuare poſſimus, nil magis ex pietate eſſe putauimus, quam de militari inſtitutione Tractatum ciuibus noſtris conſcribere, ſeu verius a peritis huius artis magiſtris deſumpta præcepta, noſtrorũ quoque hominum exemplis illuſtrata, tyronibus proponere, quatenus tenaciſſimum hoc* R*eipub.vinculum, Diſciplinam Militarem, olim à maioribus noſtris diligentiſſimè obſer-*

uatam,

*uátam, à teneris ſtatim annis legẽ-
do imbibant, & poſtea vbi ad mili-
tiam animum adplicuerint, re ipſa
eam exeqnantur. Optimus enim
quiſque, qui Patriæ defendendæ in-
cenſus ſtudio, nobilem ex armis glo-
riam quærit, uihil magis volupe
habet, quam ſuis obedire Ducibus,
ſeruare caſtrorum leges, diſcere
belli artem, aſſiduè meditari armo-
rum exercitationem, proque gloria
gentis & victoria de hoſte, nullum
laborem, nullum periculum extime-
ſcere. Et huiuſmodi viros glonioſos,
cum omni ferè Sæculo Patria no-
ſtra tulerit complures, tum præci-
puos Imperatores, ex inclyta pro-
ſapia Tua Illuſtriſſime Domine,
Tarnouios illos, Oſtrogios, atque
Magnum Ioannem Zamoſcium
Auum tuum. Quorum nomina, &
res bello fortiter geſtæ, cum potiſ-
ſimum inter præclara exempla hoc
libro recenſeantur, cui is æquius di-
cari poterat, quàm Tibi? qui & ſan-
guinem ab illis ducis, & ſpiritus ge-
neroſos? Vnde, & indolem tantam,*

& fortunas habens , facilè cum Deo bono poteris , magna ſpe immortalitatis accenſus, factis virtutem ipſorum exaugere , cæteroſq; coætaneos tuos, vel authoritate , vel exemplo , ad ſimiles conatus excitare . Quod vti quantociùs facias, Deus Te ſeruet incolumem , Iuuenum decus, Gentis ornamentum , Solatium Familiæ . Vale.

PRÆ-

PRÆLOQVIVM

Ad Beneuolum Lectorem.

DEberem ſanè, lector Amiciſſimè, ad militarem prudentiam accedere cum excuſatiuncula mei, quòd de ea diſſeram , non miles , ſed vmbraticus homo; quodque ſciam longiſſimo inter ſe diſſidere interuallo , locum tenere Philoſophi, & munere fungi Ducis; ſcitè docendi in ſchola , & aciem aptè inſtruendi rationem noſſe; ſcientia, qua inſtructi ſunt ſapientes, & experientia quam virì militares habet, præditum eſſe; poſſe temperare calamū, & poſſe vibrare haſtam , libris ſtipatum eſſe & oculos contra inſtructam aciem hoſtium rectos tenere , Nam qui ſumma cum eloquentia , cum Phormione Epheſino , de rebus diſſerant bellicis, multi reperiuntur , at quibus ſatis ſit animi, ad vitam cum iam res poſcit, in aleam mittendam, pauci ſunt omninò. Sed quia tamen vel non militis officio prælia inſpexi , periculis interfui, & qui bellis præerant ad tempus adhæſi, & quos vel ipſe Annibal audire nihil abnuat, allocutus ſum: deque rebus ad prælia ſpectantibus iudicioſè ſcribentes toties peruolui: propterea non ingenij mei , aut virium fiducia , de

pru-

prudentia Militari diſſerere aggredior, ſed opinione ſapientiſſimorum virorum, qui partim interfuerunt, & præfuerunt bellis, partim in Senatu, populoque illo verſati ſunt, vbi aſſidua materies, & agitatio harum rerum fuit. Ideo quicquid illi audierunt, viderunt, attrectarunt, & quod caput eſt, cum iudicio obſeruarunt atque conſcripſerunt, id ego modernis, & antiquorum caſibus reſperſum, atque ſaluberrimis monitis & conſilijs exornatum, in præſentis æui vſum, connotare volui, hocque ſingulari Tractatu demóſtrare inſtitui, quomodo hæc ars Militaris, plusquàm Draconis Leges, plurimo humani generis ſanguine ſcripta, docet pugnæ ordinem eleganter conſtituere; commodè adoriri hoſtem, inſtare, premere, circumuenire, leua dextraque ferire; ad Ducum ſigna dimicare, proferre gradum, ſuſtinere impetum, reſiſtere vrgentibus, premere cedentes, ictus incutere, incuſſos euitare, aut clypeo excipere ac contemnere; acriuſque in hoſtem conſurgere, inuehi equo, vrgere ſtimulis, moderatore frœnis, & omnem in partem circumflectere, ingerere tela, vibrare lanceas, contorquere haſtam, vultus, latera, terga ferire, proq; loco & tempore adoriri, nec priuſquam de-

ſpera-

ſperata victoria de fuga cogitare: fugiẽtes autem inſequi, mactare, capere, exarmare, diripere, profligáre; ſuos reducere, recolligere, exercitum inſtaurare, & deſperata victoria ad ſpem vindictæ animum ſuccendere; & quæ reliqua ſunt militum, Ducumque officia. Inſtruit quoque de adparandis claſſibus, de fabricandis nauibus, extruendis vallibus, compingendis aggeribus, euacuandis foſſis, ſuffodiendis cuniculis, fabricandis Machinis, deligendis armis, oppugnandis mœnibus, comportandis commeatibus, confingendis dolis, ſtruendis inſidijs, varijſque ſcite vti Strategematibus. Præterea obſidere ciuitates, iacere tela, fremere tormentis, admouere machinas, perfodere muros, concutere turres, replere foſſas, occupare mœnia, parare incendia, diruere arces, diripere aut conſeruare vrbes, ſubuertere oppida, vaſtare agros, deportare indigenas, conſeruare ciues, trucidare vel incarcerare rebelles & ſeditioſos, occupare Prouincias, firmare Regna, conſtituere Imperia. Quæ ſingula diſtinctim Hiſce Octo Libris tractaui, non vt Sagatis aut vt Paludatis præcepta dem, ſed vt ex magno conſiliorum aceruo pauca ſeligam, & velut ſpecimen præferam in exemplum, rudibus & imperitis. Tu Candide

dide Lector, pro tua prudentia, meliora prome, deteriora corrige, & ſi in re aliqua lapſi ſumus, ignoſce, quia homines ſumus, & hæc tyronibus tantùm ſcripſimus. Vale.

ELENCHVS CAPITVM Vniuſcuiuſque libri.

LIBER PRIMVS De Deſcriptione Belli.

Cap. 1. *De bello in genere.* *fol.* 1.
2 *De definitionibus & diuiſionibus belli.* 7
3 *De ſuſcipiendo bello.* 10
4 *De cauſis belli.* 13
5 *De diuiſione artis bellicæ.* 16
6 *De procurãdo Numinis auxilio in bello.* 21
7 *De apparatu belli.* 27
8 *De præuentione in bello.* 29
9 *De apparatu pecuniæ ad bellum.* 36
10 *De apparatu commeatuum ad bellũ.* 42
11 *De apparatu armorum.* 45
12 *De apparatu virorum.* 48
13 *De gerendo bello.* 53
14 *De conſilio bellico.* 57
15 *De occaſione captanda in bello.* 65
16 *De mora facienda in bello.* 73
17 *De prodigijs in bello.* 75
18 *De finiendo bello.* 86

LIBER SECVNDVS. De officio Ducis, & qualitatibus illius.

1 *De conſtituendo Duce militiæ.* 90
2 *De officio Ducis.* 96

3 De

3 De qualitatibus requiſitis in bono Duce. 98
4 De ſcientia Ducis. 102
5 De experientia Ducis. 104
6 De ingenio & induſtria Ducis. 107
7 De vigore & alacritate Ducis. 112
8 De magnanimitate & fortitudine Ducis. 115
9 De temperantia & abſtinentia Ducis. 118
10 De comitate & affabilitate Ducis. 121
11 De diligentia & labore Ducis. 124
12 De exemplo Ducis. 127
13 De prudentia atq; prouidentia Ducis. 128
14 De fortuna ſeu fælicitate Ducis. 131
15 De auctoritate ac reputatione Ducis. 134

LIBER TERTIVS.

De Diſciplina militari.

1 De militia in genere. 141
2 De diuiſione militiæ. 147
3 De delectu militum. 150
4 De exercitijs militum. 154
5 De operibus & labore militum. 164
6 De ordine ſeruando in militia. 167
7 De officio Tribuni, ſeu legionis Præfecti. 174
8 De officio cohortis Præfecti. 176
9 De officio Præfecti Turmæ. 178
10 De officio Præfecti Caſtrorum. 180
11 De officio Præfecti Fabrorum & Tormentorum. 282

12 De buccinatoribus & tympaniſtis. 184
13 De calonibus & lixis. 188
14 De mercede conductis. 190
15 De ordinatione & diſpoſitione caſtrorum. 193
16 De munitione caſtroaum. 198
17 De teſſera militari. 206
18 De vigilijs & excubatoribus. 212
19 De commeatu & pabulo. 217
20 De frugalitate caſtrenſi. 221
21 De ornatu & veſtitu militum. 227
22 De reformatione militis à pugna deſueti. 232
23 De itineribus faciendis. 234
24 De gubernanda ſanitate exercitus. 252
25 De cauenda ſeditione militum. 255
26 De conciliando militum amore. 263
27 De tranſitu fluuiorum. 267
28 De diſciplina caſtrenſi. 272
29 De coerctione militari. 279
30 De exemplis punitionis. 283
31 De prohibendis aut permittendis duellis. 289
32 De præmijs & honoribus militaribus. 293
33 De æmulatione militari. 300

LIBER QVARTVS.

De Acierum inſtructione, & Pugna.

1 De exploratione hoſtium. 307
2 De hoſtiliũ caſtrorum metatione conſideranda. 316

3 De

3 De nuncijs admittendis aut emittendis. 321
4 De transfugis recipiendis. 324
5 De varia instructione acierum. 331
6 De tempore eligendo ad pugnam. 349
7 De loco eligendo ad pugnam. 353
8 De alacritate pugnandi. 357
9 De metu militum. 361
10 De adhortation facienda ad milites. 363
11 De acie hoſtium turbanda. 373
12 De terrenda hoſte. 377
13 De officio militum in acie. 381
24 De committendo prælio. 386
15 De reſiſtendo virtutes atq; dolis hoſtiũ. 396
16 De non deſperando, ſi vel pars, vel totus exercitus fugerit. 403
17 De inſidijs locandis. 410
18 De officio Ducis pugna dirempta. 414
19 De præda ex hoſtibus capta. 421
20 De captiuis humaniter excipiendis. 434
21 De interfectis honeſtè ſepeliendis. 427
22 De recedendo ab hoſte. 429
23 De effugiendo, cum ſecurè recedere non poteris. 435
34 De cladibus acceptis ſarciendis. 439
25 De inducijs faciendis. 444
26 De Imperatorum hinc inde collocutionibus. 448

LIBER

LIBER QVINTVS.

De Bello Nauali.

1 De apparatu naualis belli. 455
2 De modo fabricandarum nauium. 458
3 De diuerſitate nauium. 464
4 De telis tormentis q; naualibus. 469
5 De notitia locorum in mari. 474
6 De ſignis tempeſtatum. 477
7 De pugna nauali Marte aperto committenda. 481
8 De inſidijs in bello nauali collocandis, aut euitandis. 483

LIBER SEXTVS

Strategematibus.

1 De Strategematis in genere. 487
2 De ijs, quæ facienda ſunt ante pugnã 491
3 De ijs, quæ facienda ſunt in pugna. 531
4 De ijs, quæ facienda ſunt poſt pugnam. 542

LIBER

LIBER SEPTIMVS

De Oppugnatione, & Defenſione Vrbium.

1 De exſtruendis munitionibus. 555
2 De præſidijs collocandis. 562
3 De prouidendo neceſſaria ad defenſionem. 568
4 De facienda obſidione. 575
5 De machinis ad oppugnationem 592
6 De faciendis cuniculis. 596
7 De faciendo aſſaltu. 599
8 De propugnatione incluſorum. 605
9 De defenſione oppidanorum cum hoſtis irruperit ciuitatem. 622
10 De proditoribus vrbium. 625
11 De ciuitatibus ſubactis 628

LIBER OCTAVVS.

De Dubijs circa rem militarem.

Quæſt. 1. Vtrum expediat ipſum Principem ire ad bellum? 636
2 Vtrum expediat ipſum Ducem belli immiſcere ſeſe pugnæ? 648
3 Vtrũ expediat Ducẽ belli eſſe perpetuũ? 656

4 Vtrum externam an terrigenam Ducem creare oporteat? 664
5 Vtrum melius ſit, ſeuerum Ducem eſſe, an comem? 669
6 Vtrum Dux locuples, an pauper ſit eligendus? 676
7 Vtrum Dux ex illuſtri, an verò obſcura familia eſſe debeat. 683
8 Vtrum iuuenis Imperator, ſit eligendus, an verò ſenex? 691
9 Vtrum Dux dicendi præditus, an verò ignarus eloquentiæ eſſe debeat? 698
10 Vtrum ex agris, an vero ex vrbibus miles ſit legendus? 705
11 Vtrum extraneus miles ſit mercede conducendus, an vero ex ſubditis dilectus? 712
12 Vtrum pedites, an verò equites magis ſint neceſſarij? 722
13 Vtrum vires maritimæ præſtent copijs terreſtribus? 730
14 Vtrum præſtantius ſit Marte aperto decertare, an verò ciuitates munitas expugnare? 739
15 Vtrum ſuperuentibus & inſidijs, an publico Marte confligi præſtet? 750
16 Vtrum liceat vti Strategematis? 760
17 Vtrum conſultius ſit domi hoſtem expectare, an verò ei occurrere? 765
18 Vtrum munitiones extruere ſit neceſſe? 772
19 Vtrum munitiones in montibus poſitæ;

ſint meliores iis, quæ ſunt ſitæ in plano? 782
20 *Vtrum numeroſum, an mediocrem exercitum ſit melius habere?* 786
21 *Vtrum omnes, an verò plures armis tecti debeant eſſe?* 794
22 *Vtrum expediat milites auro & argento vti.* 800
23 *Vtrum litteræ iuuent rem militarem?* 807

SIMONIS STAROVOLSCII INSTITVTORVM Rei Militaris

LIBER PRIMVS DE BELLO.

CAPVT PRIMVM

De Bello in genere.

QVANDOQVIDEM omnis militaris prudentia circa bellum eſt, ideo primùm de bello in genere, poſtea de eius partibus in ſpecie agemus: quãuis Cornelius Agrippa, diſciplinam iſtam ſummoperè repræhendat, & bellum nihil aliud eſſe dicat, quam commune multorum homicidium ac latrocinium; nec aliud milites, quam ſtipendiarios, & in Reipub. exitium, armatos latrones. Et per conſequens, diſciplinam quoque bellicam, non niſi in hominum pernicie occupatam, non alium finem quærere, quàm vt famoſos orbis euerſores ſtrenuoſq; homicidas faciat; transformetq;

hominès in ritus ferarum, moreſq; belluarum. Proinde pacem ſummoperè commendat; nec arma ſumere ſuadet, niſi cum neceſsitas cogit. Quod ipſum intellexit Marcianus Imperator Byzantinus, qui teſte Zonara, dicere ſolitus erat. *Imperatori non capienda eſſe arma dum pacem agere licet*. Cæterum quia pax nonniſi armis paratur & conſeruatur, propterea neceſſaria ſunt arma & bellum quandoq; Atque hunc ob finẽ laudauit militiam diuinus ille Plato, qui & pueros hanc diſcere, adultoſq; ſtatim armatæ militiæ tradi iubet. Et Cyrus inclytus ille Rex illam non ſecus atque agriculturam, ſummè neceſſariã eſſe aiebat. Quis enim eſt qui non ſentiat, quanta gloriæ monumenta pariantur armis? quamq; magnæ ſæpè vtilitates proueniant? Armis ſiquidem vim repellere, vlciſci iniurias, inimicos profligare, ſocios amicoſq; defendere, tueri fines, propagare demum imperium poſſumus. Armis acquirimus gloriam, aſſequimur honores, adipiſcimur nobilitatem. Armis obtinemus præmia, laudes, immortalitatem. Vnde ipſe Africanus Scipio apud Ennium gloriatur, quod per ſanguinem hoſtium atque cædes viã ſibi ad cælum aperuerit. Cui & Cicero adſentit, inquiens & Herculem eadem via cælos conſcendiſſe; vt ta-

ceam

cetum apud Romanos tot coronarum genera ex militia, ciuilium, muralium, obſidionalium, naualium; tot militaria dona, armillas, haſtas, phaleras, torques, annulos, ſtatuas, imagines, templa, ouationes, triumphos, conſulatus, panegyricos, obeliſcos, & infinitos laudationum & honoris perpetuò propagandi modos. Qui igitur deſiderat pacem, præparet bellum: qui victoriam cupit, militem imbuat diligenter: qui ſecundos optat euentus, dimicet arte, non caſu; qui gloriam immortalem aſſequi vult, in militari ſeſe prudentia quàm maximè exerceat. Iam autem primi Lacedæmonij experimenta pugnarum de euentibus colligentes, artem præliorum ſcripſiſſe affirmantur, vſque eo, vt rem militarem, quæ virtute ſola, vel certè fælicitate creditur contineri, ad diſciplinam, peritiæq; ſtudia reuocarent, ac magiſtros armorum (quos Tacticos appellauerunt) iuuentutem ſuam, vſum varietatemq; pugnandi præciperent edocere. Horum ſequentes inſtituta Athenienſes, non ſolum rei bellicæ, ſed etiam diuerſarum artium induſtriam exercuerunt. Sed præcipuè Romani, vtrorumque imitando exempla, Martij operis præcepta, & vſu retinuerunt, & litteris prodiderunt: inter quos Flauius Renatus Vegetius comprimis, deinde

Sextus Iulius Frontinus, poſtmodum, Aelianus & Modeſtus. Tum antiquior multò Cato ille Cenſorius, Cornelius Celſus, & Paternus, tandem Polybius, Higinios, Xenophon, Xenocrates, Onoſander, Leo Imperator Conſtantinopolitanus, Volturius. Et ex recentioribus, Nicolaus Machiauellus, Iacobus Comes Purliliarum, Iacobus Priluſcius, Matthias Striconius, Franciſcus Petrarcha, Dominicus Cyllenius, Carolus Theti, Brancatius, Franciſcus Patricius, Aurelius Cicuta, Sixtus Arcerius, Hieron Cataneus, Marcus Girolamus, Achilles Tarduccius, alijq; infiniti. Sed qui pleniore manu militaria tractarunt noſtra iam ætate, ſunt, Iuſtus Lipſius Belgij decus, Ioannes à ChoKier diſcipulus eius, Iſaacus Caſabonus, Dominus de lix Noue, Scipio Amiratus, vir multiformi doctrina eruditus, & Io. Antonius Valtrinus veteris militiæ Romanæ peritiſſimus. Multa quoque de militia Romana ſcribit in ſua Hiſtoria Liuius, Ammianus. A. Gellius, Suidas, Feſtus, Agellius, & Alexander ab Alexandro Quanquam igitur adeò deploratam, noſtram militiam eſſe videam, vt ad antiquam virtutem nullo modo reuocari poſſit, tamen in gratiam eorum, qui antiquitatis ſtudio delectantur, ea quæ ex ſupradictis ſcriptoribus connotaueram,

recentioribus exemplis adornata, litteris comprӕhendere ſtatui. Habent enim hoc ſupra antiquitatem noſtri ſӕculi bella, quòd ſicuti geruntur armatis diuerſa religione animis, infeſtis nouo telorum genere corporibus, validis alia munitione vrbibus; ita longè quàm priſca, noſtris hominibus ad imitandum promptiora ſunt. Et licet Sarmatia noſtra, multorum opinione, prima ſit hodierni Martis gloria, nuſquam tamen militia aut ingenioſior, aut affluentior, aut diuturnior, quam in Belgio. Planè vt aperto hic ludo accurentes vndique populos erudire Mars videatur. Et hominum virtus, operum molitio, varietas & copia quantùm modo anguſtias Belgici tractus non egreditur? Quare ne omnino impoſſibile videatur armorum diſciplinam, cuius vſus intercidit, reparari poſſe, doceamur exemplis Alexandri Farneſij, Ambroſij Spinolӕ, Mauricij & Henrici Naſſouiorum, qui è libris antiquorum repetita arte, ita eam in Belgio authoritate ſua firmauerant, vt ex ea tãquam ex equo Troiano prodierint, tot bellorum Duces, tot machinarum inuentores, tot fabricandarum arcium magiſtri, tot militarium prӕceptorum doctores. Quorum communi conſenſu, hӕc generalia de bello habentur axiomata.

In omni bello & expeditione, quicquid tibi prodeſt, aduerſario noceat: quod illum adiuuat, tibi ſemper nocumento erit.

In omni bello, nil ad arbitrium aduerſarij facere aut diſsimulare debemus, ſed id ſolùm agere, quod nobis vtile iudicamus.

In bello qui plus in angarijs vigilauerit, pluſq; in exercendo milite laborauerit, minus periculum ſuſtinebit.

In bello miles in aciem nunquam producendus eſt, cuius antea experimenta non cœperis.

Melius eſt hoſtem domare inopia, aut ſuperuentibus, quam prælio, in quo amplius ſolet fortuna poteſtatis habere, quàm virtus.

Dux & Princeps antequam ſuſceperit expeditionem belli, præparet primo pecuniam, commeatum, munitiones fortes, equos claſſes, milites, & arma tam offenſiua, quàm etiam defenſiua.

In bello capta ab hoſtibus iure gentium capientium fiunt; Dux tamen animaduertat, vt mobilia tantum capientibus ſingulis cedant, immobilia verò fiſco Principis, aut populi victoris. Similiter machinæ & tormenta omnia cum ſuis inſtrumentis aut nauibus.

Princeps ſubditos ſuos quam maximè artem bellicam edoceat, per quam libertas retinetur, dignitas gentis propagatur, & conſeruatur imperium. Et meritò; Hac enim ſola ſteterunt olim florentiſſima Regna & Imperia. Hanc quondam relictis do-

ctrinis

ctrinis omnibus Spartani, poſtea colue-
re Romani. Hanc hodie quoque Tur-
ci, Perſæ, Mogoritæ, Narſinganni, cæ-
teriq; barbari putant eſſe ſeruandam,
quia cætera omnia in hac arte conſiſte-
re, aut per hanc aſſequi ſe poſſe confi-
dunt. Per hanc hodiedum ſtant inuicti
Scythæ, & à nemine vnquam ſubiugati
Poloni. Per hanc florent Monomota-
pæ, latè dominantur Abyſſini, multis
Regibus imperant Chinenſes, regnant
Syani, Hiſpani nouum Orbem, & infi-
nitas inſulas poſſederunt. De hac quo-
que & nos, iam in ſpecie agamus; quan-
doquidem ea, quæ antea ſeruabantur,
nunc ex vſu libriſq; diſcenda ſunt.

CAPVT II.

De Definitionibus & Diuiſionibus Belli.

BEllum, vt Lipſio placet, *eſt vis & arma in Principem, aut populum alie-num*. Vel vt Albericus Gentilis definit. *Bellum eſt publicorum armorum concreatio.* De qua ſigillatim inquirere conſentaneũ duximus, ſtultum exiſtimantes, cum minimis de rebus homines diligenter inquirant, ambigant, perſcrutentur; de his tam ampli‘, tam neceſſarijs, non ante periculum facere accuratiſſime velint, quàm certamina ſubeant. Igitur

vt methodũ ad cognitionẽ habeat, dico.

Duplex eſſe Bellum. Externum & Internum. *Externum ſeu Finitimum eſt,* cum contra limitaneos & vicinos nobis populos arma ſumimus. *Internum ſeu Ciuile bellum eſt* cum vnius gentis populi inter ſe armis decertant.

Vtrumque iſtud duplex eſt. Offenſiuum & Defenſiuum. *Offenſiuum bellum eſt, illud* quod inferimus vicinis noſtris vltrò; vel ſumimus arma in Principem noſtrum, aut inter ſeſe ſpontè. *Defenſiuum verò eſt iſtud* quo vicinorum, aut Principis proprij iniuriam à nobis propulſamus. De hoc vtroque bello nota prouerbium illud commune. *Hiſpanus propria defendit Gallus aliena inuadit. Polonus nuſquam offendit.* Toties enim ad ligam Chriſtianorum Principum contra Turcam, communem hoſtem, Reges Poloniæ vocati, nuſquam accedere voluerunt, eo quod cum Ottomanis pacẽ perpetuò concluſam habuerint. Et quãuis nuperrimè aliquoties fuerint ab eo armis læſi nihilominus Inuictiſsimus Rex noſter Vladislaus IV. à Tranſyluano Principe, Regulis vtriuſque Myſiæ, atque ipſo Præcopenſium Tartarorum Chano, aſſiduis precibus ſollicitatus, noluit prior pacem violare.

Iterum bellum vtrumque duplex eſt Aliud Terreſtre, & aliud Nauale. *Terre-*

ſtre

ſtre eſt cum terrâ, pedes aut in equi prælîatur. *Nauale eſt*, cum mari, aut fluuijs claſſe decertatur, ſiue cum vicinis, ſiue inter ſeſe. Et hoc ſanè vltimo modo trifariam. Vel cum in Principem arma mouentur. Vel cum Optimates inter ſe decertant. Vel denique cum plebs contra Proceres & nobilitatem inſurgit. Prioris motus exempla, cum alias paſſim in Hiſtorijs obuia, tum ſufficit modernum bellum Germanicum ante viginti ferè annos à rebellibus ſubditis cõtra Ferdinandum II. Imperatorem pertinaciſſimo odio ſuſceptum. Secundi motus exemplo ſunt duodecim Palatini in Polonia, qui Regnum inter ſe partiti, factionibus primum, & ſtudijs partium laborarunt, tandem ambitione exagitante, dum quiſque rem ſuam priuatam & potentiam augere ſtuderet, armis inter ſe decretarunt. Poſtremi denique, cum Græcarum ciuitatum olim populus multa exempla dedit, tum Florentinorum atque Genuenſium hiſtoriæ, inter alias Italiæ vrbes, ſunt pleniſsimæ. Sed qualecunque bellum ſit, tota eius tractatio reducenda eſt, ad tria hæc præceptorum capita. *Suſcipiendi*, *Gerendi*, & *Finiendi*. Horum aliquid ſi negligis, aut perperam adminiſtras, vix eſt vt bono euentui vnquam lites.

CAPVT III.

De ſuſcipiendo Bello.

QVia bellum, vt dicit Demoſthenes, contra hos eſt, qui legibus nequeũt coerceri: iudicia autem in ciues reddũtur: vnde illud bellum dicitur eſſe iuſtum, quod eſt neceſſarium; illa arma gloriosa, quæ non ad innocentis ſanguinis profuſionem, ſed ad ſui ſuorumque defenſionem; non ad inuidioſas opes, minimeq; ferendam potentiam, ſed ad Dei O. M. cultum gloriamq; propagandam, Reges & Principes capiunt. Hinc rectè iuſtitia Romanorũ laudatur, quod nemini bellũ denunciarint, niſi per Feciales, ſeu legatos prius poſtulaſſent dãnum ſibi illatum reſarciri: quo negato, tum demum bellum ſuſcipiebatur, vt Feſtus & Varro teſtantur. In dicere autem bella populis, nec Senatui, nec populo toti plenum ius erat, niſi cognitio, & iudicatio ſacerdotum publicorũ interueniſſet, quos vti memorauimus Feciales dicebant. Eorũ arbitrio ſumpta arma, poſita arma: & religio, nõ ſolũ iuſtitia, ea temperabat. Indicebant verò, vt ſcribit Iulius Aphricanus, proiecta in fines hoſtium haſta, poſtquam res ſuas per oratores ritè repetitas non obtinuiſſent.

ſent, Poſterioribus demum ſæculis, non haſtam, ſed gallinaceum proijciebant, pugnace animali pro bellico ſigno vtêtes. Iuſta igitur ex cauſa ſuſcipiatur bellum, & rebus prius legitimè repetitis, quia ſic animoſiores fiunt milites, & ſpem vincendi atque vindicandi habét. Spes verò addita ſuſcitat iras. Et ſubditi pro cauſa iuſti, promptius ſubueniunt Principi de proprio, quamuis non ſufficiat publicum ærarium. Quapropter pulchrè Poëta. *Frangit, & attollit vires in milite cauſa.* Sed nulla res magis addit animos, quam ſpes poſita in Deo, cũ vel pro defenſione Religionis Chriſtianæ, vel pro defenſione patriæ geritur bellum: quandoquidem fraudulenter ac impiè quæſitæ res, eadem ſorte defluunt, qua petuntur; & vt Curtius inquit. *Nulla quæſita ſcelere potentia diuturna eſt.* Alexander Magnus vſque in Indiã gloriæ tantummodo inanis cauſa imperium extenderat, quod poſt mortem eius, inter tot Principes diuiſum, nunquam poſtea coaluit. Senatus, populuſq; Romanus orbis olim dominus, *nunc ſeruit: & à quo antea Reges & prouinciæ ius petebant, ei hodie omnis auctoritas erepta eſt.* Nuper Guſtauus Sueciæ impietate hæretica arma mouerat in Catholicos, & ambitione regnandi, ſeduxerat Principes Germaniæ, dementauerat vrbes

liberas, vicinos & remotos Reges vexauerat, ſanguinem effuderat toties, & tandem ſpiritum ipſum; quia tamen iniuſta procedebat via, omnia ad priſtinos dominos, quæſiuerat, rediere. Res Othomanicæ ſimiliter ſcelere patratæ, ab annis aliquot iá nutant, imminetq; eis Nemeſis, quæ lentam puniendi moram, ſupplicij grauitate compenſabit. Quod ſi itaque Principes illi ſempiterno honore cenſentur eſſe digni, qui armis legitimis libertatem ſubditorum ſuorum & pacem defendunt imperiaq; ſua non modo in integro conſeruant, ſed etiam iuſtis ex cauſis amplificant. Multo maiore gloria, & immortalitate coronandi ſunt, qui veram fidem Catholicam tuentur à barbaris, & propagant eam ſanguine ſuo, pro tota Chriſtiniitate ſeſe opponendo cum omnibus ſubditis ſuis, ad honorem Dei. Qualiter faciebat Cóſtantinus Magnus, bella gerendo contra paganos. Carolus Magnus contra Arrianos Longobardos: Gottofredus Bullionius, & Galliæ Reges, pro eliberatione Terræ Sanctæ, cótra Saracenos: Reges Hiſpaniarum olim contra Mauros. poſtea contra Noui Orbis gentiles: Reges Poloniæ, contra Tartaros, Moſchos, & Turcas, alijque Principes religioſiſsimi contra alios hoſtes Eccleſiæ Sanctæ, idque varijs ex

cauſis;

cauſis: de quibus videamus capite ſequenti.

CAPVT IV.

De cauſis ſuſcipiendi Belli.

OMnia quidem bella iuſta ex cauſa debere ſuſcipi diximus, quia exitus illorum non in viribus noſtris, neq; in calliditate conſiſtit, ſed in arbitrio fortunæ, & manu. Dei. Ac propterea lex erat Athenis peruetus. *Senatui bellum ſuſcipere fas n utiquam eſto, niſi iuſtum iniuſtumue ſit, prius à Philoſophis ponderetur*, Quia tamen plerumque initia bellorũ ex ambitione & malitia proficiſcuntur humana, ideo ſimul vtraſque, tam iuſtas, quam iniuſtas, ob meliorem informationem lectoris congeſsimus, vt ſciat bellum ad eius quidem arbitrium, qui iſtud cupit inchoari, verum non eiuſdem arbitrio componi poſſe: & parum omninò Regibus aut Dynaſtis prodeſſe militum numerum, pecuniarum abundantiam, machinarum bellicarum molem, quando ob delicta illorum diuerſum voluntas diuina decreuit.

Bella itaque ſuſcipiunt Principes. *Primo*. vt poſsint aſſecurare limites Imperij ſui. Et ſic Græcanici Cæſares cõtra Parthos infeſtantes Imperiũ Romanum

num multoties arma ſumpſerunt, & feliciter pugnarunt. Baſiliuſq; Magnus Moſcorum Dux ſæculo ſuperiore à Tartaris vexatus, bellum contra eos ſuſcepit, & Aſtracanenſibus, Sibirijs, Kaſanenſibus, Reſanenſibuſq; ſubiugatis, nõ modò pacem ſuis Ruſſis fecit, ſed & imperium longè amplificauit. *Secundo* vt poſſint imperia ſua dilatare. qualiter olim faciebant Romani, nunc verò Turcæ. *Tertio*. Vt amiſſa poſſint recuperare. Sic Stephanus Rex Poloniæ à Moſcouitis recuperauit Polocenſem Satrapiam & prouinciam Liuonciam, Sigiſmundus III. Smolencum & Ducatum Seuerienſem. *Quarto*. Vt poſsint noua regna, & nouas prouincias acquirere, ignotoſq; populos & inſulas aperire. Vt faciebat Emmanuel Rex Portugalię, & nunc faciunt Reges Hiſpaniæ. *Quinto* Vt defendant confœderatos ſuos, vt facit Rex Galliæ conſeruare volens in ſuo ſtatu Hollandos, reliquoſq; rebelles Imperio Romano, & Sabaudiæ Duci. *Sexto* Vt ſuppetientur conſanguineis ſuis, quali modo nunc Rex Hiſpaniarum iuuat Imperatorem, tanquam fratrem, & caput Auguſtiſsimæ domus ſuæ Auſtriacæ. *Septimo* Vt conſeruare poſsint Religionem Catholicam. quo fine Carolus V. bellum geſsit contra Luteranos, & nuperſimè

rimè Ludouicus XIII. Rex Galliæ, maiorum ſuorum exemplo, contra Hugonotos & Proteſtantes. *Octauo* propter gloriam acquirendam. vt Alexander Magnus, contra Perſianos & Indos. *Nono* propter ambitionem meram, vt Iulius Cæſar contra ciues ſuos. *Decimo* propter vltionem, & vindicationem contẽptus, vt Coriolanus contra eoſdem Romanos conciues ſuos. *Vndecimo* propter iuſtitiã, & authoritatem ſuam tuendam, vt nimirum rebelles ſubditos ad obedientiã redigant, ſicuti Rex Catholicus facit contra Batauos, & Imperator Ferdinandus II. faciebat contra Bohemos. *Duodecimo* propter conſeruationem libertatis, vti fecerunt Senenſes & Piſani cum à Florentinis inuaderentur. *Tredecimo* propter conſeruationem Patrię & Chriſtianitatis, vti facimus Poloni aggreſsi à barbaris Machometanis. *Vltimo* vt diſcordes ciues bello externo occupent. Ita Cimon videns iuuentutem Athenienſem inquietam eſſe, ducẽntas triremes armauit, & duxit eas contra Perſas, vt ciuilibus bellis quaſſatam patriam exoneraret. Nam facilior eſt ſemper inter turbulentos conſenſus ad bellum, quam in pace ad concordiam. Et propterea nunc Iberi domi quieti manent, quia grauibus bellis foris ſunt occupati, contra Turcas nimirum, Mauros, atque
Hæreti-
OSSOLINSKICH

Hæreticos hic in Europa; in Indijs verò contra Arabes, Calecutienſes, atque Gentiles varios Noui Orbis. Galli autem è contra, pacem habentes cum omnibus vicinis, aſſiduè ſuperioribus annis tumultuabantur inter ſe domi. Quod Othomanni præcauendo, ſecundum præſcripta Machometis, ſemper bella gerunt cum vicinis populis, vel in hac, vel in illa parte. Quia nulla magna ciuitas (dicebat Annibal) quieſcere poteſt; ſi foris hoſtem non habet, domi inuenit: vt prævalida corpora, ab externis cauſis tuta videntur, ſed ſuis ipſa viribus onerantur.

CAPVT V.

De Diuiſione artis Bellicæ.

VT leuiſsimis ex cauſis bella famoſiſsima nata eſſe reperimus; ſic à militaribus viris, *quinque præcipua munera belli*, conſtitui videmus. *Caſtra* nimirum *mouere*. *Metari*. *In campo manum conſerere*. *Propugnare vrbes*. *Et Arces fortiſsimas oppugnare*. Quæ vt ſingula exactius cognoſcamus, vniuerſalem artis bellicæ diuiſionem, præmittamus.

Ars igitur *belli diuiditur dupliciter*, in Apparatum videlicet, & Actioné ipſam.

Apparatus diuiditur quadrifariam. In Viros,

in Viros. Arma. Commeatum. & Pecuniam.

Quantum ad primum. *Viri militares, alij ſunt Præfecti*, qui imperant. *Alij verò Priuati*, qui obediunt, & exequuntur mandata Præfectorum ſuorum.

Præfecti in tres Ordines diuiduntur. in Supremum belli Ducem. In Vicarios illius Generales. Peditum, Equitum. Caſtrorum & Tormentorum. Et in Regentes minores, puta Chiliarchas, Tribunos, Alarum Ductores, Cohortium Præfectos, Centuriones, & eorum vices gerentes.

Priuati quoque ſeu gregarij milites ſimiliter trifariam diuiduntur, In Pedites. Equites. & Claſsiarios.

Pedites item in Mercenarios, & Naturales, ſeu incolas proprios, qui citiùs artem diſcunt, fidelius pro patria pugnant, & melius ſuis Præfectis obediunt.

Equites quoque, ſeu proprij, ſeu mercede conducti diuiduntur in Cataphractos & Leuiter armatos: in quibus, ſicut & impeditibus, hæc quinque conſideranda ſunt. *Ars. Aetas. Educatio. Patria, & Statura.* de quibus ſuo loco.

ACTIO verò ſeu vſus armorum, maximè exercetur in itineribur peragendis; in caſtris metandis, & in prælijs faciendis.

Itinera ſunt vel procedendo cum exercitu;

exercitu; vel retrocedendo ab hoſte: in vtroque motu iſto, obſeruanda imprimis eſt *notitia locorum*, per quæ proceditur: *ſecretum temporis*, quò, & quando mouendum: *& ordo* ſeu modus ipſe procedendi.

Notitia locorum percipitur, vel per ipſum Ducem; venando, peregrinando, & conſiderando loca ex lectione, & picturis: vel per ſubmiſſas perſonas; hoc eſt, per Speculatores; qui ſint fideles, & periti locorum, atque linguarum; vel per Recognoſcitores; qui ſint prudentes, & audaces; ne fortè propter metum vna res videatur ipſis pro alia.

Secretum mouendorum exercituum conſeruatur, non promulgando tempus cuiquam ſuæ motionis, vtrum de die, an de nocte procedere velit: & locū, quò mouere intendit; etiam officialibus & Præfectis, non niſi ſub ſigillo communicando.

Modus denique mouendorum caſtrorum ſit per terram, vel per aquam.

In terra conſiderandus eſt primùm ipſe miles, poſtea inimicus, denique iter ſeu via. *Reſpectu militis*, aut fiunt impedimenta ob multitudinem curruū, camellorum, infirmorum, & calonum; aut perturbatio ordinum, ſi quid vltra arma neceſſaria, aut victum ſecum portauerint. *Reſpectu inimici* ſit conſidera-

tio

tio legitima, vtrum ſit remotus, aut vicinus, aut iam in acie. *Reſpectu denique itineris*, vtrum per planiciem, & ſecurè ſit procedendum: an verò per ſyluas, montes, ſaltus, aut paludes, vbi exſpectandus eſſet inimicus, vel in aperto, vel in occulto, vel in ſtricto loco; idq; aut à fronte, aut à tergo, aut denique à latere vtroque.

Per aquam denique tranando, videndum eſt, vtrum fluuij ſint, aut mare. Illi, aut ſuperantur per pontes; ſiue portatiles, ſiue fabricatos ex occaſione: aut per naues: aut per vada; diuidendo fluuios per canales, ſeu ponendo equitatum ſupra peditatum, ob retinendum impetum aquarum. Per mare verò, vbi tantum tranſitur nauibus, vel Liburnicis, vel onerarijs, vel ſcaphis minutioribus, conſiderandum eſt, quomodo excedendum eſt in littoribus, aut portubus hoſtilibus; idq; exemplo Magnorum Architalaſſorum, qui multa hac in re Stratagemata fecerunt. Et hæc in procedendo obſeruanda.

Retrocedendo verò, ſeu de die, ſeu de nocte; cum toto, aut diuiſo exercitu; vitandæ hoſtium inſidiæ, militum conſternatio; & confuſio, itineris aberratio, diſpoſitorum ſubſidiorum amiſſio, aut deuiatio.

At in metatione caſtrorum, conſiderandus

dus eſt ſitus loci: forma metationis: materia fortificationis.

In loco ſpectandum vtrum ſit ſanus, & ob ſalubritatem aeris,& ob ſalubritatem aquarum: Vtrum abundans frumento, pabulo, lignis: & vtrum ſecurus,ob amplitudinem commodam, & ob tenacitatem terræ, ad facienda valla, aut propugnacula.

In forma caſtrorum ſpectanda circularitas, quæ eſt capaciſsima figura, ſed minus fortis ad defendendum: quadrangulus aptiſsimus ad fortificandum; vel aliqua alia figura ſitui accomodata, & apta muniri, ita, vt Dux ipſe habeat locum præ omnibus ſecurum; pedites, aggeribus & propugnaculis vicinum; equites portis proximum, & ad erumpendum aptiſsimum: munitiones & artifices, medium.

In materia fortificationis ponuntur communiſsime, ſtipites arborum,& ceſpites terræ. Apud Polonos, ex tempore locantur currus in circuitum; & in abſentia iſtorum cõſuetudo eſt Coſachorum, vt circumuenti equites munitionis loco, equos in circuitum caudis & frænis inter ſe colligant, ipſi verò pedes propugnent.

In prælijs denique peragendis, conſiderandum eſt, quid ante prælium; quid in ipſo prælio; & quid denique poſt prælium

lium faciendum. de qua re, toto libro ſexto tractabimus.

CAPVT VI.

De Procurando Numinis auxilio in Bello.

PRriſci Gentiles omnes, copias ſuas domo nuſquam educebant ad bellum, niſi priùs & luſtratas & puras putarent, ſecundum ea, quæ, vel legibus ſacris, ſancita, vel à vatibus præſcripta habebant, omnem publicæ alicuius maculæ, aut impietatis conſcientiam proijcientes, vt in Mindaro Lacedemonio, alijſq; teſtatur Xenophon lib. 1. Rer. Græca. & de Tullo Rege, Fabio, Manlio, cæteriſq; Liuius lib. 1. Dec. 1. & de Machabeis D. Chryſoſtomus in Pſal. 43. his verbis. *Cum ergo aciem dirigerent, & ſuas animas reducerent, fundebant aduerſarios, non armis fidentes, ſed loco omnis armaturæ, pugnæ cauſam ſufficere ducentes. Ad bellum ante euntes, non Tragœdias excitabant, non Pæanas canebant, ſicut nonnulli faciunt, ſed Dei ſupremi auxilium inuocabant, vt adeſſet, opem ferret, manum præberet, propter quem bellum gerebant, pro cuius gloria decertarent.* Quod ſi ita Gentiles & Iudæi, multo magis profectò Chriſtianum Imperatorem decet, educere exercitum reconciliatum Numini Diuino. Theodoſius Imp.

Imp. hac in parte laudandus eſt maximè, qui bellum aduerſus Eugenium Tyrannum ſumpturus, illud auſpicatus fuerat à precibus, quas per legatos efflagitabat à Ioanne Anachoreta, cuius in futuris rebus explorandis virtutem ſatis perſpectam habebat, vt teſtatur celeberrimus ille Cardinalis Baronius. Sed & noſtri Poloni, non niſi ritu Catholico expiati, ad prælium procedere ſolent, ſub protectione Ducis cæleſtium exercituum, Diui Michaelis Archangeli, certam Confraternitatem obſeruantes; cuius ſedes Leopoli in Ruſsia, apud Fratres Minores. S. Franciſci, vulgò de Obſeruantia appellatos, habetur; & vt plurimum omnes ferè milites noſtri, ieiunium in pane, & aqua, ſingulis diebus Sabbatiuis, in honorem Soſpitatricis ſuę Diuæ Theotocon peragunt. Maiores autem noſtri Hymnum à Diuo Adalberto Apoſtolo Poloniæ & Archiepiſcopo Gneſnenſi compoſitum, in eius laudem, & prælium eundo cantare ſolebant; atque ita eius iuuamine, hoſtes ſuos vincebant. Noſtraq; ætate Carolus ChodKieuicius eximius Virginis Mariæ cultor, quoquo die Sabbatiuo, ſacroſanctam Synaxim ſumere ſolebat; inq; ſuo tentorio, quolibet die & Matutinas & Veſpertinas preces, ac ſi in Monaſterio ipſo, ab iiſdem Fratribus

Religio-

Religioſis de Obſeruantia, decantari curabat. Quia ad pietatem Imperatoris attenti, aut modulationes ſacras aliquas, aut Litanias & orationes pias tum cùm ille pugnaret aduerſus hoſtem, concinnere in more habebant. Conſimilē in modum legimus, Ducem Mercuriū bello contra immaniſsimum Chriſtiani nominis hoſtem, nunquam manum cū eo conſeruiſſe, quin prius copias ſuas diuino Numini reconciliaret. Idem prodidit, & de Ioanne Tarnouio Supremo exercituum Regni Poloniæ Duce, magnę facundiæ vir Stanislaus Orechouius. Sed & nuperrimè, cùm Smolenſcum à centū triginta millibus Moſchorum, & aliorum tranſmarinorum populorū obſideretur, ſtrenuæ virtutis & immortalis memorię Vir VVoievvodzKi, cui vrbis defenſio commiſſa fuerat, nuſquam diem omiſit, qua Sacrum Miſſæ officium non audiret, nuſquam vel ex muris propugnabat, vel facta excurſione, manus cum hoſtibus conſerebat, niſi prius in templis Litaniæ ſacræ & preces decantari incæpiſſent. Ita diuino ſemper adiutus auxilio, velut pecora abſque omni ſuorum damno occidebat: quamuis ad defenſionem tantæ vrbis, quæ tribus & quadraginta propugnaculis munita eſt, vix cū ciuibus ſeu oppidanis quinque millia

homi-

hominum haberet; nihilominus tamen ſepté in locis muro ab hoſtibus aperto, vrbem concreditam ſibi, vſque in aduentum Sereniſsimi Regis Vladislai. IV. fortiter ſeruauit. Futurus exemplo vrbium Præfectis, & bellorum moderatoribus, non in Polonia ſolùm ſed in toto Orbe Chriſtiano, tum ob eximiã pietatem, tum ob egregiam fortitudinem & fidem: nam & hæc in viro Nobili muneribus ab hoſte, & magnis polliciationibus tentata fuit. Rectè igitur Dio Halicarnaſſeus. *Neque certamen ſeu prælium in bello, nec aliud quippiam maioris momenti, aut periculi in bello, vel pace, ante inuocatum Dei Numen eſt a Principe, vel à Duce tentandum* quod omnia ſecundum voluntatem illius, non verò ad arbitriũ noſtrum fiant. Et iuſtitia quidem duce, bella ſuſcipere Principes, & prudentia comite gerere poſſunt; at exitus illorum in fortunæ arbitrio, non in viribus, neque in calliditate conſiſtit. Propterea veteri inſtituto Romani Duces, ſuſcepta expeditione celebri, mox aliquid memorabile Romæ ſe facturos in honorem Deorum ſuorum ſolebant promittere: quemadmodum M. Furius Camillus, contra Faliſcos & Capenates mouens, ſplendida Dijs Romæ ſacrificia fecit, & ſi victor reuerteretur, Aedem ſe conditurum ampliſſimam vouit. Et victor

reuerſus,

reuerſus, non modo templum quod vouerat condidit, ſed omnibus etiam quæ de præda & triumpho ipſi obtigerant, opibus illud locupletauit. Cumq. nonnulli obtinerentur Duces, animum Dijs conſecrare, pecunias verò militibus Diuidere oportere dictitantes. Ego inquit vt homo vnicum à Dijs triumphum petij, ipſi verò, vt Dij, multos mihi dederunt: quamobrem iuſtum mihi videtur, vt ſi in promittendo parcus fui, in præſtandis promiſſis largus ſim. Vt enim ego gratias illis immortales pro multis, quæ mihi ſupra votum dederunt egi, ſic longè ipſis grauiſſimum erit, quicquid vltra proximũ dedi. Id quod ſatis etiam nunc Hæretici ipſi intellexerũt, qui Catholicas noſtras ceremonias aſpernantur. Nam licet diuerſarum inter ſe opinionum ſint, nec quidquam, de bonis operibus ad implorãdum cæleſtem gratiam ſentiant, Traiectum tamen aliaſq; Brabantiæ vrbes ſub Rege Hiſpaniarum oppugnaturi, ieiunia & preces triduanas in omnibus Cõfœderatis Prouincijs indixerant, priuſquam in campum mouiſſent; reuerſiq. victores, cum vbique paſſim, tum Hagæ præcipuè condignas Deo grates publicis ſupplicationibus edictis referebant. Quos ſimili Numinis conciliatu, paulò remotiore ætate Dux Albanus deuicerat; is Ludouici Naſſo-

uij caſtra ad Gemingam in Friſia Oriétali aggreſſurus, iuſſerat Lopeſium Figueroam periculi ac belli ſummam attentare, inuadereq. tormentorum hoſtilium ſuggeſtum (nam & ſitu, & ingenio ita munita Naſſouij caſtra fuerant, vt infinitum planè exercitum contemnere tutò poſſent. Vnde miraculo ſimilis ea victoria fuerat, Pij Quinti Pontificis precibus à Deo impetrata dicebatur) ſtratus ille cum ſua cohorte humi, ad Deum preces primo fudit, Deiq. Matrem in auxilium euocauit, atque ita per cœnum ac paludes eniſus, viam reliquis cohortibus Hiſpanicis aperuit, inſignemque illam de Hæreticis victoriã peperit, ad quam humana vi comparandam non defuiſſe quoque victricem illã opem è cœlo ſolita Hiſpanorum pietas teſtatur. Verumenimuerò & ad priſcam militiam in officio continendam, magnum erat momẽtum religio, priuſquã Euangelij lux illuxiſſet Orbi, cum iuramentum quoque à militibus præſtitum, cum in bellum ducerentur. Nam quicquid erraſſent, non tantùm ea quæ ab hominibus metuenda, ſed etiam quæ à Dijs iratis extimeſcenda eſſent, ipſis ob oculos ponebantur; quæ quidem res, præſertim ſi Numina intermiſcerentur, ſæpius priſcorum temporum Ducibus ad victoriam facilem viam aperuere.

Atque

Atque idem præſtarent quoque hactenus, ſi religio cordi eſſet, atque obſeruaretur: maximè ſi miles ſacramento obſtrictus, deſiſteret excoriare miſeros agreſtes, dediſceret ſpoliare Templa Deo dicata, Clerum non vexaret angarijs nõ violaret virgines ſacratas, non prædaretur in agris ſuis; ſed ſtipendio contentus, ſpolijs viueret de hoſte.

CAPVT VII.

De Apparatu Belli.

QVia non ſtatim, vel cum iuxta cauſa ſeſe offert, deſcendere licet in Martium hunc campum ideo deliberatione prius opus, eaq. lenta; poſtmodum apparatu, Virorum, Armorum, Annonæ & Pecuniarum: tandem conſilio prudẽti, & occaſione commoda. Nam ſcire debet Imperator omne bellum ſumi facile, cæterum ægerrimè deſinere nec in eiuſdem poteſtate initium & finẽ eſſe. Iam autem finis belli iuſtus eſſe non poteſt, niſi cum illud ſuſcipitur propriè propter tranquillitatem ſubditorum, aut tutelam ſociorum noſtrorũ. Sunt enim iniqua illa omnia bella, quibus ambitio & auaritia cauſæ; hoc eſt, profunda cupido imperij & diuitiarum: quod in magnis animis ingenijsq. plerumque con-

tingit, quibus pulchrum videtur ex omni occaſione quærere triũmphum. Quia igitur belli iidem ſicut & pacis ſua iura ſunt, iuſteq. ea non minùs quàm fortiter gerere oportet; ea propter inſuſcipiẽdo eo duo hæc ſerio obſeruanda ſunt; vt iniuſtitia omnis, & temeritas, ab eo abſint: quia & temere in acie verſari, & nulla iuſta habita cauſa, manu cũ hoſte cõfligere, immane quiddam & belluarũ ſimile eſt. Et propterea ſi ſapit Imperator, quidquid pręter opinionem euenire in bello poteſt, priuſquam ingrediatur conſideret, *& tempeſtiuè militem exerceat, conſilium bellicum conſtituat, occaſioni ſit intentus, pacem cum alijs vicinis cõcludat, amicitias Principum potentiorum, & vrbium munitiorum ante bellum ſuſceptum maturè conciliet, exploratores in terram hoſtilem dimittat, ſeditiones & diſcordias inter aduerſarios concitet. Arma omnis generis, & machinas bellicas præparet, mœchanicos vndique ad ſe conuocet ingenioſos, pontes, naues, trabes, ligones, ſeras, catenas, reſtes, currus, equos, aurigas, inſtrumentaque vniuerſa bellica paret. Commeatum, pabulumque in horreis habeat, ſicq; diſponat vt facile ed caſtra ſua, ſiue terra, ſiue aqua conduci queat. Maxima verò vim pecuniam in ſtipendia, ſpeculatores, inq; varios euentus belli, tempeſtiuè colligat*: quia nuſquam minùs quàm in bello euentus reſponderet; & vt Liuius inquit, *ſimul*

par-

parta, ac ſperata decora, vnius horæ fortuna euertere poteſt. Vt ergo profligatum exercitum, amiſſaque caſtra, ſubitò, priuſquam hoſtis animum in te ſumat, reſtaurare poſsis, omnia ad bellum neceſſaria, antequam arma moueas, præpara. Et hoc illud eſt, quod Cicero dicit. *Felix ciuitas, quæ tempore pacis prouidet bella*. Sed de his requiſitis, paulò infra, ſingulis capitibus.

CAPVT VIII.

De Præuentione in Bello.

POſtquam omnia neceſſaria parraueris ad bellum, habueriſq. iuſtam cauſam mouendi arma in hoſtem, *is præcipuus modus bellandi erit, habere inimicum longè a tuis prouincijs, & non expectare eum domi ſuæ, ſed præuenire priuſquam ille inſtruxerit exercitum ſuum, & in ſuo regno eum oppugnare*. Ita fecit Carolus Sudermanus noſtra ætate, qui factus à Sigiſmundo III. Poloniæ Rege in Suecia Gubernator, vt auſus eſt Regni diadema, modo illicito, capiti ſuo imponere, ita non exſpectato in Suecia Sigiſmundo, qui Regnum ſibi debitum minimè pateretur eripi à Patruo, magno animo in Liuoniam traiecit, & Sigiſmundum

nil minus,quam in Regno Poloniæ ſibi inferri bellum, cogitantem,impar tum aggreſſus eſt, & prouinciam occupauit vacuam præſidijs, ſecurá pacis, & prorſus inualidam ad reſiſtendum ſibi. Atque ita bellum trans mare gerens, Sueciæ Regno in pace fruebatur; ſicut deinceps & filius eius Guſtauus Adolphus, qui poſtquam intellexiſſet Polonos legē tuliſſe, vt ſit liberum Regi Sigiſmundo bellum in Sueciam parare, eòq. vel filiū ſuum, vel Ducem aliquem è portu Dantiſcano mittere; præoccupare ſtatuit, & belli ſedem in Pruſſiam tranſtulit, vt Suecia ſua ſecurè frueretur. Effecitq. præuentione iſta, vt & militem ex prouincijs noſtris,& annonam, & pecunias haberet, noſtriſq. rebus omnibus, contra nos in bello vteretur. Sed hoc idem faciebant quoque olim & Romani: obſeruantq. modo Turcæ; illi, edocti ſuo damno ab Annibale, qui in Italiam inſperatè per Alpes intrauerat: iſti, à Tamerlane Scytha, cui obuiam ad fines Armeniæ ire, indigna res videbatur, quod nimium ſuæ potētiæ fiderent Scytham poſſe maiorē illis exercitum habere. Cum autem præuenis aduerſariū tuum, & bellum in eius prouincias inſers, hæc præcipua commoda aſſequeris. *Primo* reditibus eum priuas, quos inde habere poterat; nam vel diſſipantur in-

colæ

colæ inde ob metum belli, vel incluſi vrbibus ſedent, nullum tamen Principi ſuo tributum iam ſoluunt, ſed de parato ſpendere in proprios vſus tenentur, vt vitam ſolummodò ſeruent. *Secundo* priuas eum commeatu, quem tu inde pro tuis militibus habere poteris, tempeſtiuè omnia in vrbes conducendo. Ita fecerat Guſtauus in Liuonia, dum nos bello Turcico occuparemur, & poſteà conuerſi in eum debebamus commeatũ procul ex Lituania noſtris militibus conducere, cum ille occupata prouincia vacua præſidio, commeatum omnem in vrbes comportaſſet. Cumque bellum deinceps inopinatò in Pruſſiam tranſtuliſſet nos ſimiliter commeatum ex Polonia Vandalo ſecũdo demittere noſtris exercitibus cogebamur. *Tertio* Præoccupata prouincia florem iuuẽtutis illius in militiam aſſumes, exaugeſque exercitum tuum. *Quarto*. per incolas prouinciæ illius trahes ad te alios ex alijs prouincijs; præſertim ſi non ſunt contenti regimine principis ſui. Ita faciebat vbique Guſtauus, cum & Polonos tardè conſulentes, & Imperatorem moras nectentem ſemper præueniret bello, qui exiguas ſuas copias, ita auxerat flore Germaniæ, vt pro eo, duodecim Duces, diuerſis in locis, bellum ſimul gererent. Quia & loca munitiora partim per pro-

ditionem, partim armis occupauerat;& vbi opus fuerat paſſus omnes maturè præcluſerat atque muniuerat; & Regum populorumq; diuerſorum potentiam in ſocietaté belli attraxerat, more Genſerici Regis Vandalarum, qui cum à Baſilio Patritio fuiſſet profligatus, ne ei quid peius accidiſſet perſuaſerat Oſtrogottis, Viſſogottis, atque etiam Bulgaris, vt alijs à partibus vna ſecum Imperium Romanum inuaderet, cui deinceps tali ſocietate per longum tempus grauis fuerat.

Itaque priuſquam bellum aggrediaris, conſiderandæ tibi ſunt cauſæ, quæ te ad id impellunt, vt præuenias: tum tuæ & aduerſarij vires; quæ potiſsimum cōſiſtunt, tū in amicitia & fœderibus aliorum Principum; tum in re pecuniaria, quę iuxta vetus verbū, belli neruus eſt; Tum deniq; circumſtantię attendendę ſunt loci temporiſq. vt nimirū inquiras quomodo aditum tibi parare queas ad hoſtes, & quorum populorum beneuolentia; tum quanto tempore bellum ſit duraturū, ne quod Cleomeni Lacedęmoniorum, & Antigono Macedonū Regibus accidit tibi eueniat, qui quod minus ad has circumſtantias attenderunt, non tam hoſtem oppugnarunt, quam in ſe concitarunt, maxima cum ſuorū ſtrage & calamitate Quod ipſum acciderat quoque Guilielmo Orangio, qui ingēti

cum exercitu cōtra Hiſpanos in Germania collecto, ita inopinatò Moſam traiecerat propè Ruremūdam, quo Albanum pręuenire poſſet ad Traiectum hęrentē, vt Albanus Burlamontium renunciantē tranſiſſe iam hoſtes, interrogauerit *Num putaret hoſtium aciem, phalangem auium eſſe, quæ Moſam tranſuolaſſet?* quia tamen in Brabantia nullius vrbis amicitiam ſibi conciliauerat, nullos ex incolis ad belli ſocietatem traxerat, ſubſiſtere idcirco haud poterat, & facile ab Albano vſq. in Galliam eiectus fuerat; cum quo iuſto pręlio decertare, licet maioribus copijs non audebat, eo quod cauſę ſuę non fideret. Tunc enim exercitui cōtra hoſtes ſocius bellorū Deus eſt, cum ob iuſtā & licitā cauſam ſuſcipiuntur: ipſiq; milites in adeūdis periculis promptiores erunt, cum manifeſtò ſcient ęquitatis ratione ſumpta eſſe arma. Poſtquam enim perſpexerint, ſe iniuriam non inferre, verùm illatam propulſare, nullius impietatis conſcij abſoluta cum virtute, excelſoque animo, militie ſeſe vltrò dabunt. Ideoque quotquot arbitrantur, diuinum numen ijs non ſuccenſere, qui bellum iniuſtè mouent, vel ſolum iſta perſuaſione, etſi nihil ab hoſtibus ſcęuū ſęuumq. obtigerit, metu ſolliciti pauent ſemper ac formidant. Expertus hoc Guſtauus cum Pruſſiā intraſſet,

etſi nullum ibi militem Polonum eſſe ſciebat, ab omnibus attamen ſciſcitabatur, cum è nauibus exſcenderet, Num aliquo in loco ſint, aut in vicina ſcriberentur haſtati Poloni, quos vulgò Huſſaros dicimus. Idem milites ipſius. Quippè facile credebant belli euentum, etſi in præuentione, nequaquam ei felicem fore, à quo militat mala, & ambitioſa causa. Perſepè autem nonnulli arma mouent non mouenda, aut ira, odioue incenſi; aut proſperitatis alienæ inuidia inſtigati; communiſſimè autem cupiditatis cauſa. Verè Mithridates ſcripſerat Arſaci, apud Romanos vnam, & eam veterem cauſam bellandi eſſe, profundā cupidinem Imperij & diuitiarum; adeò, vt libidinem dominandi cauſam belli habeant, & maximam gloriam in maximo imperio putent. Et cum omnium armis impares forent, virtuti dolum coniunxerunt, vt Orbem poſſiderent. Eos igitur quos vel auctoritate, vel opibus præualere, vel ſeruitio promptiores eſſe notauerant, ſocios & amicos vocarunt, vt tam ſpecioſo nomine ijs imponerent, eorumq. opera in expugnandis alijs vterentur. Cum interim idem incumberet ſeruitutis iugum à ſolo tributorum onere exemptis, & ad Romanorum arbitrium, etiam in amiciſſimos arma vertere cogerentur. Sic in Italia

pri-

primùm, poſtea in Callia, Hiſpania, Græcia &c. ſocios aliquos & confœderatos habuere, quorum viribus vicinos illis populos, non tantùm expugnauere, ſed & expugnatos continuerũt in fide, cum in perpetua quaſi ſtatione, pro Romanis contra affines,& gentiles ſuos excubarent. Hocq. pacto armorum ſuorum iniuſtitiam cautè celabant, cum non effrænі libidine imperandi, ſed enormi aliqua iniuria accenſi, bellum mouere viderentur, qui non in omnes ſæuirent promiſcuè, ſed in aliquos: illiq. quibus parcebant, facilè ſibi ſinerent perſuaderi, non tam ferro, quàm æquitate armari Romanos. Eodem aſtu vtebantur Ottomani, cum Bulgaros, Valachos, Moldauos, Hungaros atque Tranſyluanos ſub tutelam ſuam accepiſſent. Eodem quoque cæperat vti Guſtauus, cum Germaniam in libertatem diceret ſe velle aſſerere, & omnibus ciuitatibus liberis, quæ eum velut ſeruatorem ſuum recipiebãt, præſidia ſua imponeret, caſtella in coerctionem plebis vrbanæ erigeret, à confœderatis Pricipibus pignoris loco munitiores arces etiam minis & vi, extorqueret, pecuniam vaferrimus impoſtor emungeret, omnes autem præuentione opprimeret, ac celeritate inſperata. Non aduerterunt iſtud ſuum malum Hæretici temeritate & pertinacia in Cæſarẽ

occœcati, niſi tum cum ille perijſſet, & Duces illius, omnia ab eo poſſeſſa, ſua eſſe dixiſſent.

CAPVT IX.

De Præparatione pecuniæ ad Bellum.

Apparatus belli vocatur, res neceſſariæ ad omnem vſum belli, vti hęc ſunt tria pręcipuè, Pecunia, Commeatus,& Arma. Nam de viris alio dicemus. Hęc igitur tria, niſi iam ante, & ex preparato habes, fruſtra cogites de bello: nam in ipſo bello hęc parare incommodum ſanè, aut ſerum. Imo odioſum, inquit Suada Belgica,& periculoſum, quia violentia adhibetur in collationibus, maximè verò vectigalium & tributorũ, Iam autem vt homines ſine neruis ambulare non poſſunt, ita nec bellum ſine pecunijs vſquam progredi poteſt: hę ſpiritus vitales, hę animam illi dant, & plereſque belli res nonniſi conſilio & vi pecuniarum confici ſcias; alias abſque ipſis arma etiam ipſa inualida eſſe puta, verè Thucydes & prudenter. *Belum non eſt in armis maximè, ſed in expenſis, & ſumptibus, quos efficacia arma redduntur.* Itaque *prouido Imperatori, antquam inchoetur bellũ de copijs expenſisque ſollicitus debet eſſe tractatus.* Alias, *aut bellum ſuſcipere non oppor-*

portet, inquit App. Claudius, *aut gerere pro dignitate, & perficere quàm primum oportet*. Et Philippo Macedoni oraculum datum erat. Omnia eum vincère poſſe ſi argenteis haſtis pugnaret.

Bellum igitur orſurus Princeps, neceſſe eſt vt habeat pecuniam paratam, nec tum demnm tributa imponat atq; exactiones, cum iam hoſtis terram eius intrauerit: quia ſic tarde accumulabit pecuniam, & vix poterit eam habere, armis vbique ſtrepentibus. Siquidem tunc mercatura & negociatio omnis ceſſat, nulla tellonia fiſt, nulla portiora ſoluuntur, nulla veſtigalia imponuntur: & miſeri prouinciales, tam à tuis militibus qnam ab hoſte oppreſsi, non habebunt vnde exactationes perſoluant. Hinc neruos Imperij, inquit Dio, pecuniam eſſe clamat Veſpaſianus. quod, ne diſſoluetur abſque hiſceneruis, Auguſtus Cæſar, vt ſcribit Suetonius, ſeparatum habebat ærarium militare, vt perpetuò, ac ſine difficultate ſumptus ad tuendos limites ſuppeteret. Similiter Sigiſmundus I. Rex Poloniȩ, aſsiduas excurſiones barbarorum in Ruſſiȩ prouincias conſiderans, conſtituit ȩrarium militare ex prouentibus ſuis locumq. deputauit Rauȩ in Maſouia, vt ea pecunia perpetuò in limitibus Regni miles excubaręt, qui hodiedum durat, & ſtipendia

ſua, abſque alijs vectigalibus Reipublicæ, percipit. Turca quoque ſimilem in vſum habet ſeparatum ærarium, vt dum bellum inopinatè parte ab aliqua ingruit ſtatim ad reprimendum hoſtem ea pecunia militem ſubmittere poſsit, donec exacta maiore pecunia a ſubditis, maiorem quoque eò exercitum mittat. Nam qui paratam pecuniam non habet, tempus in illo perdit, & occaſionem victoriæ omittit; milites inobedientes habet, & rebus ferè infectis regreditur è bello, & aut pacem iniquis conditionibus impetrat, aut prouentus ſuos militibus inter ſe confęderatis oppignorat, aut denique ab aduerſario ſuo bello opprimitur.

Quia igitur neq; quies gentiū ſine armis neq; armis ſine ſtipēdijs, neq; ſtipendia ſine tributis haberi poſsūt; ideo Princeps prouideat primo de pecunijs, antequā arma ſumet; & Dux ab eo exercitui præpoſitus tēpeſtiuè eum ſolicitet de ſtipēdijs & neceſſarijs ad bellū, ne fortè ob aſſiduos defectus, & non exſoluta ſtipendia, militem ſeditioſum & inobedientē habeat, atque ita deſeratur ab illis, vti Georgius Brandeburgicus, qui regnante Auguſto in Polonia, exercitum in Pruſsiam duxerat, & poſtea vix decem ſuis comitantibus, Viſtulā non ſeparata domum redierat; aut machinas, inſtrumen-

mentaq. belli non habens, inglorius ad Principem ſuum reuertetur, vt ſæpiùs Baſsis Turcarum accidit, qui ad terroré ſolummodò ſæpiùs contra nos, abſque vllo apparatu belli mittuntur. Dum autem pecuniam habet, caueat ne eam in ſumptus vanos expendat. ſed in neceſſarios tantum; neque eam donet perſonis inutilibus, qui operam tantummodò ſuam verbis pollicentur, ne autem ipſa nihil præſtant; ſed ijs tantùm qui bello promouendo, aut iuuando ſunt apti. Hinc Alexander Seuerus dicere ſolebat, *Malum pupillum eſſe Imperatorem, qui ex visceribus prouinciarum homines non neceſſarios, nec Reipublicæ vtiles paſceret* & Tiberius. *Aerarium ſi ambitione exhauſerimus, per ſcelera replendum erit.* bello præſertim repoſcente ſumptus diuerſos. Quod conſiderans Iacobus Triultius, peritiſsimus bellorum Dux, *tria requiri ad bellū,* dicebat. Primo. *pecuniam*. Secundo. *pecuniam* Tertio. *pecuniam*, ad ſoluendum videlicet ſtipendia; ad comparandum instrumenta belli varia, & arma; ad ſoluendum explorationibus, cõductoribus, artificibus, Geometris, nautis, alijſq. vtilibus perſonis ad conſequendam victoriam, & obtinendum finem belli. Quapropter non eſt confidendum in theſauro repoſito, Sed omnibus ex partibus quærendum eſt a ſocijs & amicis ſubſidium

dium; quia quilibet theſaurus limitatus eſt, & exhauritur facile; expenſa autem bellica non habent limitationē & finem Quare niſi te confœderati populi, ordinarij reditus, & facultates priuatorum aſsiduò iuuerint, ſicut moris fuerat apud veteres Romanos; nunc verò apud Polonos, qui priuatis ſuis ſumptibus maiorem ferè partem bellorum, quam publicum ęrarium conficiunt; exhaurietur citò quicquid longo tempore congregatum fuit, vti experientia, etiam in ordinatiſsimis Reiſpub. teſtis eſt.

CAPVT X.

De Apparatu commeatuum ad Bellum.

PRius eſt parare Bellum, quàm exercere, ineuit Quintilianus: & inter apparatus reliquos, primùm diximus curandā eſſe pecuniam, quæ eſt ſpiritus vitalis belli; deicde Annonam, ſine qua nō dicam vincere non eſt, ſed nec viuere. Nam qui frumentum, neceſſariumque commeatum non pręparat, vincitur ſine ferro. *Et reliquis caſibus*, inquit idem Vegetius, *poteſt in tempore ſubueniri; pabulatio & annona in neceſſitate non habent remedium, niſi ante condita*. Paranda igitur ea, & quidem in vſum duplicem. Militum, & Pręſidiorum illi, dum in agmine & caſtris

caſtris ſunt, ne egeant, vt nuper accidit exercitibus Cæſareis in Burgundia, Gallicis in Brabantia, Polonicis in Valachia ad Chotimiam, & in Moſcouia ad Smolenſcum. Iſta, vt aduerſus moras obſidionis annuis copijs firmētur, & non faciant deditionem fame coacti. Vnde culpare libet hodiernam incuriam, quod & munitiones fortiſsimę non ſint annona prouiſę, in confinijs pręſertim, & bello durāte: *& in caſtris paſſim*, vt inquit Lāpridius, *mēdicitas ad omnē deſperationē vocat armatos*.

In omni expeditione itaque curet Imperator, vt ei ſufficiat, victus, hoſtes frangat inopia, ſic enim eum facillimè debellabit. Prudenter ideo Colignius Frācię Architalaſſus, in conſcribendo exercitu, à ventre incipiendum eſſe, id eſt, de commeatu priùs prouidendum dicebat: quia *perdifficile eſt*, vt habet Plutarchus in Catone, *ventri verba facere, nam os habet, aures non habet*. Prius igitur quàm inchoauerit bellum Imperator, pabula & frumentum cæteraſque annonarias ſpecies, maturè pręparet, & in opportunis ad rem gerendam, ac munitiſsimis locis conſeruet. Quas verò vrbes, aut munitiones putat poſſe ab hoſte obſideri, in eis amplior ſemper modus, quàm ſufficit, aggregetur. Frequenter enim neceſſitas geminatur, & obſidio ſępè fit longior, quàm putatur.

Qua-

Quare monendi vrgendiq. ſunt prouinciales, vt ante irruptionem hoſtium, ſeque & ſua mœnibus condant, ne hoſtis quidpiam ad victum ſuum occupet, & commeatu prouiſus circumſidere non deſinat, quos fame ſperauerit eſſe vincendos. Ita fecerat Stephanus Moldauiæ Palatinus, Cum Baiazetes II. arma in eum mouiſſet. victum omnem in Syluas denſiſſimas & rupes præruptas comportauerat, ne ab hoſtibus inueniri, aut capi poſſit; gramina autem omnia in campis incipiens à Danubio vſque ad Tyram, igni conſumpſerat, vt Turcas paulo priuaret, qui maximè equitatu pollent. Atque ita barbari rebus infectis ad ſua receſſerant, quamuis numeroſiſsimo cũ exercitu veniſſent in Valachiam, amiſſis pluribus de exercitu, qui cõmeatum quærentes vagabundi & diſperſi, paſsim à Valachis occidebantur. Diſciplinam etenim non poteſt ſeruare ieiunus exercitus, & vt Alexander Imperator dicebat. *Miles non timet, niſi veſtitus, armatus, calceatus, & ſatur, & habens aliquid in zonula*. Galli quoque omnes ſegetes corruperant in cãpis, cum Carolo V. Imp. intraſſet in Prouinciam, & ſic Hiſpanos fame valde affiixerant. Vnde Xenophon inquit, *non minus eſt boni ducis prouidere de cõmeatu militibus, quam tempore prælij prudenter aciem diſponere*. Et Alexander quidem

dem Magnus in aciebus diſponendis fęliciſsimus fuit, in faciẽda verò prouiſione victualium, non item cautus erat: nam cum ſiti tutum penè exercitum in Suſitana regione perdidiſſet, vix non amiſit reliquum fame in India, ita vt de illo Curtius dicat: *Rex dolore ſimul ac pudore anxius, quia cauſa tantæ cladis ipſe eſſet*. Igitur inter cætera, hyeme lignorũ & pabuli, æſtate aquarum vitanda eſt difficultas: frumenti verò potus & ſalis, omni tempore neceſsitas declinanda. Sed præcipuè cauendum eſt Imperatori, ne aduerſariorum dolo, atque periurijs decipiatur prouincialium incauta ſimplicitas, dum aut inducias ſimulant, aut te in loca deſerta deducunt, qui nullam tecum prouiſionem annuariam habes. Iam autem frequentius conuentionum paciſq. ſimulatio credulis quam arma nocuerunt. Ideo Coſmus Medices videns dominium ſuum ita à natura mõtibus eſſe cinctum, vt eò commeatus nõ poſsit importari, niſi à parte illa, quæ cum ſtatu Eccleſiæ cõfinat, curabat ſemper ſibi amicos Pontifices Romanos fieri, ne tempore belli rei frumentariæ penuria laboraret. Ne autem ab alijs partibus aliquis intrando caperet victualia, aut corrumperet cõmeatus ſubditorum illius, ſtatuit, vt quilibet frumentum ſuum ad munitiones aſſeruatum inferret:

ret: Vnde licet inimicus ingreſſus fueri in Imperium illius, non habens pabula & cõmeatus fame ipſa pelleretur inde. Sed nec ſatis eſt, vt cõmeatum Imperator ſub manu habeat, niſi manu vtatur reſtricta in diſpenſando, ne in eam reprehenſionem incidat, quam ſubierũt M. Lupercus. & N. Rufus, paucis diebus aſſumptis, quæ aduerſus neceſsitates in longum ſuffeciſſent. Quod & Polonis euenit vrbem Moſcouiam poſſidentibus. Aliarum ſiquidem rerum ad bellum ſpectantium matura prouiſio eſt neceſſaria ad vincendum, ſed panis eſt neceſſarius ad viuendum: proinde Dux belli primam curam habeat annonæ, eamque tempeſtiuè comportatam parca manu diſtribuat, quia aliter, ante tempus illa conſumpta, nihil etiam potentiſsimo exercitu efficiet. Iulius Cęſar inter omnes qui in Orbe celebres fuerunt bellatores, hac in parte præcipuus fuit, nullamque aliam rem maiore cum cura, aut prouidebat, aut diſpenſabat, quam rem frumenteriam. Et cum iſta ſola diligentia inquit Hiſtoricus, debellauit Gallias, quæ ſanè inuincibiles fuerent. Cumq. Vercingentoriges ſeſe incluſiſſet Alexię, cum octuaginta millibus armatorum, ille ſciens quanto commeatu indigeret tantus exercitus, Alexiam vallo circumdedit,

dit, ſeque à tergo ſimiliter muniuit, ne à ferentibus ſuis ſuppetias vinceretur, benè ſibi de commeatu & pabulo prouidit: & quamuis ducenta millia Gallorum à tergo eum oppugnaſſent, expugnari tamen nullo modo potuit; ſed hos ferro, illos fame debellauit. Idem nuper Iberis accidit Turinum à Gallorum obſidione liberare cupientibus; & viceuerſa Gallis Vercellam defendentibus. Quid enim refert habere omnium neceſſariorũ in bello & militis copiam, ſi panem non habeas? tum omnino, aut expeditioné omittere debes, aut aduerſario tuo deditioné facere. Quapropter Romani per prouincias huncin caſum, vbiq; locis commodis & munitis habebant promptuaria plena omni frumẽto, carnibus, ſale & aceto; vnde vel nauibus, vel curribus ſubuehebant in caſtra, vel monitiones. Similiter faciebant in ſuo Regno Reges Peruani, licet pace fruerẽtur lõgiſsima. Faciũt modò & Veneti, & Hollãdi, & omnes ferè ciuitates liberæ Imperio, ſed præcipuę Moſcouitę.

CAPVT XI.

De Apparatu Armorum.

TErtia præparatio ad bellum neceſſaria eſt Armorum, vt nimirũ Arma-

men-

mentarium aliquod Princeps habeat, in quo ad certum numerũ peditum, equitumq. tela & arma aſſeruentur. Itemq. tormenta, machinæ, pontes, funes, puluis, & quæ talia inuadis viribus, hæc, aut prior ætas inuenit. Addo naues, & inſtrumentum omne nauticum, ſi regio eius maritima & portuoſa. Nam ſubitò iſta ægrè parantur: & ſemel parata, non ſolum in bellum valent, ſed ne ſit bellũ. Hinc Lampridius inquit. *Nemo prouocare audet, aut facere iniuriam ei regno aut populo, quem intelligit expeditum atque promptum ad vindicandum.* Ergo qui deſiderat pacem, præparet bellum, iuxta illud Ciceronis, *Felix illa ciuitas, quæ tempore pacis prouidet bella.* Et Dux belli à Principe ſuo ad expeditionem aliquam deſignatus, imprimis curet, vt ſui milites armis, tàm offenſiuis, quam defenſiuis optimè ſint inſtructi: quæ Princeps tempeſtiuè præparet, & conſeruet in loco tali, aptè ædificato, vnde facile poſsit in omnes regni ſui partes deducere, grauiores præſertim machinas & inſtrumenta, quæ vel oppugnatio alicuius fortis loci, aut defenſio requirit: tum quæ terreſtri & nauali bello faciendo ſunt perneceſſaria. Nam tum temporis ea procurare, cum hoſtis contra te arma iam ſumpſerit, aut prouincias tuas intrauerit, eſt nimis tardè & periculoſum. Qua propter veteres

illi

illi Athenienſes habebant armamentarium ſemper plenum bellicis inſtrumẽtis in portu Leonis, quo corrupta vſu diuturno arma, ad reficiendum remittebant, nouaq. ſtatim per aquam Ducibus belli ſubminiſtrabant, quotieſcunq; neceſsitas exigebat aut non ſufficiebant armamentaria minutiora, in confinijs Imperij, aut prouinciæ illius, in qua, bellum gerebatur, opportunè poſita. Ita quoque Aegypti Reges, omnia bello neceſſaria inſtrumenta aſſeruabant in, Alexandria. Reges Siciliæ, Syracuſæ. Hiſpanus Barcelionæ. Turca Conſtantinopoli. Veneti in Candia, & Veronę, minutiora: principaliſsimum autem & ferè ad miraculum omnibus rebus inſtructiſsimum armamentarium habent Venetijs. Duces Saxoniæ, Dreſdę. Et quęlibet ferè ciuitas in Germania, eſt benè prouiſa de armis & munitionibus: inter quas vix non primatum habet ea in parte Dantiſcum in Pruſsia, maximũ numerum diuerſorum artificum continens, qui breui tempore poſſent armare, vel maximum exercitum. Sed pręcipuè hac in re valent iſtæ duæ ciuitates Italię, Mediolanum & Neapolis; vbi tanta copia rerum omnium, & Materię armandorum militum, & tantùs numerus artificium, vt integra regna vix ea pręſtare poſſent, quę iſtę duę ciuitates pauciſsi-

ciſsimis diebus preſtarent, ſi modò liberalitas in præmiando acceſsiſſet. Quare Liuius: *eò impendi laborem* (dicit) *ac periculum, vnde emolumentum atque honos ſperetur. Nil non aggreſſuros homines, ſi magna conatis, magna præmia proponantur.* Magnoſq. ac ingenioſos homines fieri; magnis honoribus atque premijs, experientia toties docuit. Vnde & Imperator belli, ſi magnus fieri rebus geſtis exoptat, magnos ingenio & animo ad ſe homines euocet, armaque prouideat tempeſtiuè; quæ vel in qualitate conſiderantur, pro vſu nimirum, & genere belli: vel in quantitate, quæ tanta ſit, vt pro diuerſis caſibus & cladibus, identidem miles armari, & bellum renouari queat. Dedit exemplum noſtro ętate Vrbanus VIII. qui in Vaticano armamentarium inſtructiſsimum erexit. Dedit & Vladiſlaus Rex Poloniæ qui Varſouiæ & Leopoli in Ruſsiam noua armamentaria ęſtificauit & armis matialiſque repleuit.

CAPVT XII.

De Apparatu Virorum.

PRinceps bellum moturus conſiderare debet, quali popdlo reg: et, molli & delicato; an rudi, & ad bella gerenda

da prompto. Nam etſi manifeſto conſtet, omnibus in locis, & ignauos, & ſtrenuos naſci, tamen & hoc negare non poſſumus, quod gens gentem præcedit, vel in fortitudine, vel in aſtu, cum ad prælia venitur. & plaga cæli non ad robur corporum tantùm, ſed etiam animorum plurimum valet. Vnde Auſtrales acutiores sũt ingenio, ſed minùs audaces: Septentrionales cominùs cõgredi non abnuunt, ſed minus prudentia in rebus bellicis pollent. Igitur Princeps quam aptiſſimos eligat, tempeſtiuè in armis exerceat, prudenter in claſſes diſtribuat, ſtrenuos Duces & experientia bellica illuſtres præficiat & domeſticum potiùs quàm mercenarium militem habeat. Ab his autem qui tyrones probant & deligunt, in omnibus quidem ſtaturæ magnitudinem corporis robur alacritatem animi, & agilitatem membrorum conuenit explorari, ſed in quibuſdam, linguarum peritia, litterarum cognitio, computandiq. vſus exigendus eſt, licet ad arma ferenda minus fuerint apti, vt alij ſpeculatum ad hoſtes poſſent mitti; alij militarium numerorum, ſiue pecuniæ & rationum, curam diligentem habere; alij rem annonariam diſpenſare, & in breuibus anotare; alij iudicijs præeſſe & animaduertere ne quis contra iuſtitiam prægrauetur in excubijs & an-

garijs; aut alicui præſtetur immunitas contra leges militiæ. Quod totum mercenarijs committere, aligenigenis præſertim, non eſt ſecurum, melius præſtabunt ſubditi & naturales, ſi exercitentur. Et exercitantur quidem cum labore, precipuè in populo rudi, & apud quos vigentibus pacis officijs, procul haberat bellorum neceſſitas, tamen cum tempore, & diligentia omnia præueniunt ad ſuam perfectionem: omneq. opus difficile videtur antequam tentes, cæterum ſi exercitati, & prudentes viri delectui proponantur, celeriter manus bellis apta poterit aggregari, & diligenter inſtitui, aptius & commodiùs quam ex mercenarijs. Sed nunc emunt militem, non legunt; propoſitaque pecuniola conueniunt ad ſtrepitum tympani, ignoti inter ſe, inquit Lipſius ignoranteſq. purgamenta vrbium ſuarum; quibus ob egeſtatem & flagitia, maxima peccandi neceſſitudo eſt: aſſueti latrocinijs, bellorum inſolentes: atque vt vno verbo cum Tacito abſoluam, *quorum lingua vena, manus rapaciſſimæ, gula immenſa, pedes fugaces, queq. honeſtè nominari non poſſunt, inhoneſtiſſima.* Aut ſi qui melioris notæ immixti, facilè abripiuntur, & velut abducuntur à reliqua illa fece.

Duo itaque genera militum ſcribenda cenſeo. Ordinarios & ſubſidiarios. *Illos,*

qui aſsiduè & velut ex munere atque arte militent: quales fuerunt longiones Romanorum diſpoſitæ per confinia Imperij, in Pannonia aduerſus Dacos & Sarmatas; in Gallia Belgica aduerſus Batauos & Cimbros; ad Rhenum, aduerſos Germanos: ad Tygrim, aduerſus Parthos, & pluribus alijs in locis. Tales quoque Polonia habentur, qui in finibus Regni contra excurſiones Tartarorum, & Turcarum, perpetuis ſtipendijs aluntur, & qualiber æſtate in caſtris ſub tentorijs manent. *Iſtos, qui rarenter quique domi ſint aliarum rerum*. Tales in ſtatu Pontificio ſunt, qui ſingulis annis luſtrantur, & ſi qua neceſsitas ingruit, ſubſidio ſtipendiarijs mittuntur. Tales & in ſtatu Veneto habentur, qui agros ſuos colunt & cum vis belli ingruit euocantur. In Polonia verò bello edicto, miles ad ſigna mercede euocatur, nobilitas verò totius Regni, ſtato tempore in ſuis prouincijs quiſque armati coram Palatinis comparent, & ſi Reipub. deſiderauerit ſalus, ſequuntur Regem, quocunque iuſſerit. *Priores itaque* non multi ſcribantur, ſed formentur aſſiduè armorum exercitio, diſciplina caſtrorum, vſuque militiæ, vt ſint velut inuicta quædam acies, & ipſa plerumque fama, bella profligent. Sic terrori habentur Ianitzari in Turcia, Nairi in Calecuto, & olin

fuerunt Mamaluchi in Aegypto, qui per delectum ſcribebantur, ex Cyrcaſijs præcipuè aduecti, & à pueritia exercitati. Nunc Nairi meliores ſunt Ianitzaris, quia in agris educantur, & omnes ferè ſunt nobiles; iſti verò in vrbe amœniſſima, & ex plebe promiſcua; & non iam ex Europęis atque Chriſtianis tantùm vt olim, ſed iam & ex Aſiaticis & Africanis, & genere Muſilmano. *Poſteriores verò ſeu ſuſiſidiarios* vt imminente periculo prioribus illis citò in acie iungas: ſiue vt in præſidia diſtribuas oppidorum.

Vtriq; autē tàm Ordinarij quàm Subſidiarij, non paſſim profectò, aut temere oblati; in militiam ſunt aſſumendi, ſed qui ad laborem & pericula apti. Proinde ſi fortem & felicem vis militiam habere, ſeria tibi inquiſitione erunt reijciēdi aut capiēdi; vti enim diximus, in omnibus locis & ignauos & ſtrenuos cōtingit naſci, ſeligantur igitur cum iudicio, & exerceantur vtrique cum diligentia. Nam & populum Romanū nulla alia re videmus ſibi Orbem ſubegiſſe terrarū, niſi armorum exercitio, diſciplina caſtrorum, & vſu militiæ: vnde & Gallorū multitudinem, & Germanorum proceritatem corporum, & Hiſpanorum numerum & vires, & Aphrorum dolos atque diuitias, & Gręcorum denique artes & pru-

prudentiam deuicerunt, non aliâ ſanè re, quàm bono ordine & laborioſo conatu; hoſt eſt, ſolertes tyrones eligendo, ius armorum edocendo, ad famẽ, ſitim, calorẽ, algorem, variasq. iniurias cœli aſſuefaciendo, diſciplinamque belli quotidiano exercitio roborãdo. Vt enim aſſiduò vſu armorũ, naſcitur inſolentia militum, ſic lõgo ocio & pace generatur ſocordia & abiectio animi; propterea & inſolentes frœnabant laboribus caſtrẽſibus aſſiduis, & ſocordes acuebant ad prælia perpetua meditatione armorum. *Scientia ſiquidem rei bellica,* inquit Vegetius, *dimicandi nutrit audaciam: nemoq. facere metuit, quod ſe benè didiciſſe confidit.*

CAPVT XIII.

De Gerendo Bello.

NOtum ſanè omnibus eſſe arbitror, eorũ qui in arte bellica excelluerũt, multos ex Europa, paucos ex Aphrica, pauciores ex Aſia prodijſſe. Aſia habuit Ninum, Cyrum, Artaxerxẽ, Mithridatem, Iſmaelem, Sophium, Tamerlanẽ; paucos præterea cum his componẽdos. Ex Aphrica (omiſſa antiquitate illa Aegyptiaca) prodierunt Iugurtha, Maſſiniſſa, Annibal, Muleaſſes, Serifus, & aliquot alij Carthaginẽſium Imperatores; qui tamen cum Europæis comparati

paucißimi occurrunt, præſertim qui ſcirent, & bellum gerere, & pugnare, quales in Europa plurimi ſanè fuerunt: & ſi omnium adhuc eorum nomina conſtarent, Septentrionalium præſertim, quorum res geſtas vetuſtas temporis obliuione ſepeliuit, infinitus fuiſſet cathalogos in ſola Sarmatia tantùm: quamuis non quilibet eorum cenſendus fuiſſet inter eos ſummates, qui prudenter ſimul & feliciter bella geſſerunt.

Aliud enim eſt bellum facere, & aliud pugnare: Ad pugnam, & prælia facienda optimus erat Annibal, ad bellum gerendum Scipio Aphricanus. Namque Annibal in expeditione ſuſcepta contra Romanos quatuor notabiles errores cõmiſit. *Primum* quod obtenta apud Cannas victoria non iuerit recta Romam, ſed per Apuliam, Abrutium, Calabriam, Samnites, aliaſque Italiæ prouincias duxerit victorem exercitum Capuam. *Secundum errorem* commiſit, quòd profligatis toties Romanis neſcierit vti victoria, contra exhauſtos, & animo ad deſperationem inclinatos, & non obſederit vrbem, reiectus ſemel tempeſtatibus cœli ab oppugnatione illius. Vnde Varro ſcripſit ad Senatum Annibalem ſedere ad Cannas in captiuorum precijs, prædaque alia æſtimanda; victoriam nec victoris animo, nec magni Ducis

more

more metientem; & vt Florus dicit. *Cum victoria poſſet vti, frui maluit. Tertium errorem commiſit*, quòd cum tantam acquiſiuiſſet rebus geſtis gloriam & famam, nihil aliud ageret, quàm tempus conſumeret, in expugnatione vnius Caſilini, minimè conſiderans, quod multa bella impetu valida, per tædia ac moras euanuere. Et ſic ille cum tempore Romanos effecit animos & fortes, qui iam abiecto & deſperato, vti diximus, animo fuerant, & viribus attritis reſiſtere non poterant. *Quartum denique errorem commiſit*. quòd præter intentionem ſuam, neceſsitate coactus, in aciem aliquoties prodierit contra M. Marcellum. Titum Sempronium, & Claudium Neronem, à quibus profligatus fuit, neſciens diſcernere, qualis fuerit miles ipſius, delicijs Capuanis corruptus, & qualis Romanorum aſſiduò exercitio, & labore inſtructus. *Iam autem ille*, inquit Vegetius, *difficile vincitur, qui verè ſcit de ſuis, & aduerſarij copijs iudicare*. Vnde victus à Scipione dixit: *Non prælio modo ſe, ſed bello victum: nec ſpem ſalutis alibi, quam in pace impetranda eſſe*.

Qui igitur bellum gerere cupit, caueat diligenter, ne à tergo, ab alio vicino inuadatur. Ne omnes ſumptus belli ipſe ſuſtineat, ſed iuuetur à confœderatis. Ne militem & annonam totam

ex hoſtilibus habeat. Ne tempus ocio perdat,ſed cōtinuò bellum promoueat. Ne vires in expugnatione minùs vtiliũ caſtellorum conſumat,ſed loca principaliora petat. Ne coactus dimicet ſed aduerſarium ſuum neceſsitate conſtringat. Ne diu bellum trahat, vt ſumptui parcere poſsit, & hoſtes continui vexationibus efficiat bellicoſos. Ne temere cōfligat, ſed priùs cognita aduerſariorum natura: Nam perinde vt hoſtem validũ deprehendet, ſic bellum geret, ſi enim inferiorem, maturabit; ſi verò ſuperiorem, moram interponet; quod præcipuum Ducis munus eſſe abundè oſtendit Scipio Amiratus. Maximè autem videat,vt omnibus rebus ad bellum neceſſar,js benè inſtructus procedat, ne in ipſo deinde progreſſu deficiat. Hinc iuſtinus, laudando hac in parte Philippum Regem, dicit. *Cui maximæ opes erant, inſtrumenta bellorum.* Sed his, ciuitates etiã nonnullæ modò, nemini Principes ipſi, qui bellum gerere poſſent, aut prudenter ſcirent, vix à toto ſæculis parem Guſtauo nominabunt, qui & pecunia aliena, & milite non ſuo, & annona ex hoſtico prouiſa bella tot annis geſsit, indies ditiorem Sueciam ſuam præda Germanica faciens, nunquam de ſuo in militem quidquam e argiens. Quod totum ſanè prudenti conſilio efficiebat.

vnde

vnde nos quoque de hoc, capite ſequenti agamus.

CAPVT XIV.

De Conſilio Bellico.

PEriculo atque negotijs compertum eſt, ingenium in bello plurimum poſſe; magnoſque Duces plura conſilio, quàm vi perfeciſſe. *Nam ſine conſilio*, inquit Suaca Belgica, *omnes apparatus fumus, omneſq. viri & milites, fumus.* Ideo Cæſar definijt, *Non minus eſſe Imperatoris conſilio ſuperare, quam gladio.* Et Carthaginenſes in crucem tolli Imperatores iubebāt, qui ſine conſilio, etſi alioquin proſpero & felici euentu, rem bellicam adminiſtraſſent. Etenim exiſtimabant, nec falſò, non tam numeroſo exercitu, quàm multitudine conſiliorum bellica rem adminiſtrari. Quæ tamen facultas inuentu perarra eſt in vna eademque perſona, quòd *difficillimum ſit*, inquit Saluſtius, *vt quis prælio ſit ſtrenuus, & bonus conſilio: quorum alterum ex prouidentia timorem, alterum ex audacia temeritatem adferre plerumque ſolet.* Quo aſpectu Fabius dixit. *Bono Imperatori haud magni momenti fortunam eſſe: mentem rationemq. dominari.* Præcipua itaq; ars & vtilitas Ducis eſt, vt adhibitis ex vniuerſo exercitu ſciētibus

belli, & ſapientibus viris, de ſuis & hoſtium copijs ſæpiùs tractet (& quàm plurimum notet) omni adulatione ſummota; vtrum maiorem numerum pugnatorum ipſe, an hoſtes habeant: vtrum ipſius, an aduerſariorum homines, magis armati ſint & muniti. Qui magis excitati: qui in neceſſitatibus fortiores. Vtra pars equites, vtra pedites habeat meliores. Qui plures loricas, aut toraces ferreos induerint: qui vtiliores equos adduxerint. Vtrum loca in quibus pugnandum eſt, inimicis an nobis, videantur commoda: nam ſi equitatu gaudemus, campos optare debemus: ſi pedite, loca eligere anguſta, foſsis, paludibus, vel arboribus impedita, & aliquoties montuoſa: cui magis victus abundet, quam deſit. Quia fames, vt dicitur, intrinſecus pugnat; & vincit ſæpiùs ſine ferro. Debet itaque qui res magnas tentat, adhibita in conſilium ratione, nullis affectibus corrupta, aut præiudicijs occupata, omnia momenta benè conſiderare, & vires partium accuratè noſſe, ne errorem committat, qui ſera & inutili pœnitentia emendari non poteſt.

Inprimis autem conſiderabit, vtrum protrahi neceſſitatem expediat, vt faciunt Hiſpani, an celerius dimicari, vt exoptant Galli. Siquidem nonnulli populi exoptant expeditionem citò poſſe

fini-

finiri, vt noſtri Poloni: nonnulli volunt bellum longo tempore durare, vt Inferiores Germani. Nonnulli dilata expeditione in longum, penuria macerantur, vt Turcæ, qui nullos currus ſecum habent & commeatus, niſi quod dorſis Camellorum aut equorum attulerint; cum tamen ordinariè numeroſiſſimos exercitus habere ſoleant. Nonnulli pluuijs, & frigiditate aeris inficiuntur, vt Germani. Nonnulli deſiderio ſuorum reuocantur ad propria, vt Angli; aut nihil magnum facientes, per deſperationem abire compelluntur, vt Hungari. Plurimique labore fracti & tædio, expeditiones ſuas deſerunt, etiam fortiſſimis ex populi collecti; plurimi patriam ſuam producunt; plurimique ſeſe hoſtibus dedunt. quia *aduerſis rebus rarior fides eſt, & nudari incipit, qui copioſus aduenerat.*

Item pertinet noſſe, qualis ipſe aduerſarius, vel eius comites optimateſq. ſint, vtrum temerarij an cauti; an audaces, an timidi, & ſcientes artem bellicam, an ex vſu temere pugnantes: quæ gentes cum his fortes, quæ ignauæ pugnauerint. Noſtra auxilia cuius fidei, qualiumque ſint virium: quos illius copiæ animos, quos habeat noſter exercitus; quæ pars ſibi magis victoriam promittat. Eiuſmodi enim cogitationibus

virtus augetur, aut frangitur; deſperantibus autem creſcit audacia adhortatione Ducis: etſi nihil ipſe timere videatur, creſc t animus, ſi ex inſidijs, vel occaſione aliquid fortiter fecerit, ſi hoſtibus aduerſæ res cæperint euenire; ſi vel infirmiores, aut minus armatos ex inimicis potuerit ſuperare. Hinc Q. Curtius de Alexandro Magno ſcripſit, quod ille ſine conſilio Ducum ſuorum nil proſpere geſſerit, præſertim ſine conſilio Ducum ſuorum nil proſpere geſſerit, præſertim ſine conſilio Parmenionis, de quo ita dicit, *Multa ſine Rege proſperè, Rex ſine illo, nihil magnæ rei geſſerat*. Et Probus ſcribendo de Xerxe dixit, *victus eſt magis conſilio Them ſtoclis, quam armis Græciæ*. Et de Epaminunda, *vnus homo pluris fuit, quàm vniuerſa ciuitas*.

Conſilio autem facto Imperator, ſententiam ſemper ſequatur moderatiorem & quæ plurium ſententijs comprobatur, nō quæ temerariè & ab vno proponitur. Et ideo L. Paulus, Imperatorem ſenem moribus dicebat eſſe oportere, ſignificās moderatiora ſequenda conſilia: quod enim facilius commodiuſq. probatur in prælijs, id admitteee ſecurius, præſertim ſi à pluribus peritis comprobetur. Sententia enim abſque adſtipulatore ſolitaria, molimine proprio facilè labitur, ac deerrat; quæ verò conſultorum cautionibus

bus comprobatur, tutò ipſa conſtituitur. Sed neque adeo incertus, aut inops conſilij Imperator ſit, vt ipſe ſibi incredulus vſquequaque diffidat: nec tam pertinaciter arrogans, vt à nemine meliora promi poſſe exiſtimet. Nam neceſſarium eſt, aut eum, qui cæterorum omnium conſilium fidem ſemper habet, ſuis nunquam, multa ſæpè inutilia peragere, aut qui neminem, vnum præter ſe, audit, ſæpe numero multa quoque peccare.

Et quia nulla conſilia in bello meliora ſunt, quàm illa quæ ignorauerit aduerſarius antequam facias; ideo tutiſsimum in expeditionibus creditur, faciẽda neſciri. Ob hoc veteres Minotaurũ ſignum in legionibus habuerunt, vt quemadmodum ille, in intimo, & ſecretiſsimo labyrintho abditus perhibetur, ita Ducis conſilium ſemper eſſet occultum. Vnde legimus apud Foſſardum, boni iudicij ſcriptorem, Anglorum morem antiquitus fuiſſe, vt in expeditionem ituri, prius ſolemni ſeſe adſtringerent Conſiliarij iuramento, nemini ſuſcipiendi itineris cogitationem detegere. Quod inſtitutum & laudabile fuit, & idoneum quod cæteræ poſtea nationes imitarentur. Nam ſicut qui cuniculos facit, vt arcem aliquam inuadat, ſi id non in ſecreto facit, nihil

effi-

efficiet, nam ſtatim hoſtis obuiabit: ita & in vniuerſa expeditione belli, ſi non ſecreto conſilia tua habes, facilè conatus tuos omnes aduerſarius ſubuertet, aut præueniet. Ideò Antigonus Rex Aſiæ, quæſitus à filio ſuo Demetrio quando moturus eſſet exercitum, cum indignatione reſpondit, *aut fortè putas te non poſſe audire ſonum tubæ quando ſignum dabitur?* Et Metellus Macedonicus quæſitus ab amico, quomodo bellum Hiſpanicum eſſet peracturus, reſpondit, *ſi induſium meum iſtud ſciret ſtatim comburerem illud.* Idem reſponderat Petrus Rex Aragoniæ, Martino IV. Pontifici, quęrenti, quemnam ob finem pararet claſſem? qua deinde ille Siciliam occupauerat, Gallis ex ea eiectis. Propterea Chilo dicebat, tria eſſe difficilia Principatum adminiſtranti. Iniurias ſufferre. Tempora benè diſponere, & Secretum conſeruare; quia conſiliarij, ſecretarij, & legati in aulis plurimi ſunt, qui non omnes ſciunt ſecretum tenere. Plura itaque in ſumma fortuna auſpicijs & conſilijs, quàm telis & manibus geruntur: & propterea felicius bella ſua perficiebant Lacedæmonij, quàm Athenienſes, Veneti, quàm Florentini, Hiſpani, quàm Galli. Portogallenſes quàm Mauri; & Angli, quàm Scoti.

Sunt autem belli conſilia duplicia.

Recta,

Recta, *& Obliqua*, vt docet Lipſius. Illa quæ planam & militarem viam ineunt Hæc, quæ occultam, & fraudium atque aſtus ſemita graſſantur. Prioris generis ſunt. Occaſio. Fama. Exploratio. Mora celeritas. Prodigia. Locorum conſideratio, Acierum inſtructio, Ducis alacritas, & alia plurima, de quibus loco ſuo & ordine ſingulis capitibus agemus. Poſterioris verò generis ſunt Stratagemata omnia, quorum vis propriè in arte ſolertiaq. poſita proficit, tam vbi cauendus, quàm vbi opprimendus eſt hoſtis, de quo ſpecialiter libro ſexto agemus. Hinc verò id ipſum tantùm, quod antea diximus inculcamus, in omnibus ſcilicet iſtis debere Imperatorem arcana habere ſua conſilia. Nam ſiue noctu, ſiue interdiu progredi velit, oppidum nimirum vel vrbem, vel arcem, vel viarum tranſitus occupaturus, vel aliud quidpiam facturus, niſi celeriter, inſcijſq. hoſtibus id faciat, irritum ac vanum fore prouidebit. Nemini igitur ante patefaciat, quò, aut cuius rei cauſa copias ducat. Niſi tamen Ducibus quibuſdam indicandum id eſſe exiſtimet. Sed cum primùm ijs locis appropinquare ſe viderit, rerumq. gerendarum occaſio imminebit, tum quod agendum erit, hortetur ac demonſtret, vt celeriter illud, breuiq. temporis momento

mento perficiat. Nam ſimul ac ordinum ductores audiuerint, cæteri deinceps reſcire poterunt. Demens autem ac vanus ille eſt, priuſquam neceſſe ſit, negotiorum arcana cum multitudine communicat. Quia tum præcipuè temporis ſcelerati quidam ad hoſtes malitioſè tranſeunt, quod ab illis, proditionis gratia, honores & præmia ſe adepturos ſperant. Nec fieri poteſt, qui bellum, & ſeruis, & liberis, multas hinc inde transfugiendi præbeat occaſiones, Hinc Iulij Cæſaris mos & conſuetudo erat, tabellas ſignatas dare, vt in tempore ijs perlectis locum certum peterent vniuerſi. A quo more non abhorret factum illud Hamilcaris Pœnorum Ducis, qui vt in Siciliam inopinatus appelleret, non pronunciauit quò proficiſceretur, ſed tabellas in quibus ſcriptum erat, quam partem peti vellet, ſignatas gubernatoribus tradidit, præcepitque ne quis legeret, niſi vi tempeſtatis à curſu Prætoriæ nauis abductus eſſet. Similiter quoque P. Scipio, ſi quam ciuitatem obſeſſurus eſſet, aliamue militarem expeditionem ſuſcepturus, cunctos propoſiti ſui finem volebat celatos, dum tempus eſſet deſtinata exequi, vel propalari. Eum nunc inter alios diligentiſſimè imitantur Henricus Naſſouius Batauici exercitus Dux; quod & frater

eius

eius olim Mauricius,& eius aduerſarius Marchio Spinola faciebat.

CAPVT XV.

De Occaſione captanda in Bello.

OCcaſionis captandæ ratio, non tantùm in progreſſu belli obſeruanda eſt, ſed etiam in ipſa ſuſceptione belli; quæ quidem vt legitima ſit, hæc tria maximè requirit, Auctorem, Cauſam, Finem, quæ nihilominus occaſioni ſeruire poterunt, quamuis iuſtitiam omnino poſtulent. Nam finis belli iuſtus eſſe non poteſt, niſi cum illud ſuſcipitur propriè propter tranquillitatem ſubditorũ, aut tutelam ſociorum, qui ſi violantur ab aduerſario tuo, maximè tuendi erunt etiam cum ille bellum nolit, modò tù occaſionem opportunam habeas, vti nimirum vicini Turcarum, licet habeant cum illis fœdus perpetuum, aut ad certum tempus concluſum, poſſunt ex tali opportunitate rumpere illud & vti occaſione oblata, cum ille ſcilicet implicatus bellis Perſicis pro conſuetudine ſua ſoleat Chriſtianos Principes, leui aliqua incurſione in dominium, ipſorum facta ad terrorem vexare, vt ſcilicet credant eum felicem cum Perſis progreſſum habere, & ita eſſe potentem, vt etiam pluri-

pluribus in locis ſimul poſſit bellum inferre. Qua propter, ne eiuſmodi occaſionem, dum ille à Perſis grauiter premitur, nec de lege Machometana, veteriq. ſua conſuetudine, duobus in locis bellū gerere permittitur, aliquis Chriſtianus Princeps omittat, licet ſubditis illius, non ab ipſo Turca quidem, ſed ab eius vaſallo aliquo turbati fuerint, poterit bellum ipſi Turcæ, per indirectum quidem, illum ipſum Vaſallum inuadendo prius, eo fine inferre vt ſubditos ſuos, aut ſocios ab iniurijs barbari reddat ſecuros, & quietos. Quandam legitimus belli Auctor debeat eſſe ipſe Princeps, non aliquis ex Proceribus illius: *Nec enim cuilibet ſanè* (inquit Lipſius,) *fas aperire belli iſtas portas, ſed ordo naturalis mortalium paci accomodatus hoc poſcit, vt ſuſcipiendi belli auctoritas atque conſilium penes Principes ſit*. Tamen, cum vel coniuentia, vel negligentia, vel etiam iuſſu aut ſuaſu Principis minitiores iſti Dynaſtæ, bellum occipiunt, & dant cauſas rumpendæ pacis, illo quaſi inſcio; videntur eſſe legitimæ rationes, vt tu Principi ipſi, tanquam auctori belli & turbationum, bellum tali ex occaſione denuncies, & habita opportunitate eum inuadas, cum parte ab alia diſtractus fuerit. Ita fecit Turca, & Poloniæ, toti bellum intulit, quod aliqui nobi-

nobiles priuata auctoritate Valachiam turbaſſent, quamuis legitimam cauſam inferendi non habuiſſet, quòd nimirum nos etiam à Scythis Præcopenſibus, illo ſciente, & iubente fuerimus vexati, qui tamen arma in ipſum non moueremus. Cauſa autem belli iuſta, eſt Defenſio imprimis, cum vi vis illata defenditur. *Hoc enim & ratio doctis,* (inquit Cicero) *& neceſſitas barbaris, & mos gentibus, & feris natura ipſa præſcripſit, vt omnem ſemper vim, quacunque ope poſſent, à corpore, à capite, à vita ſua propulſarent.* Hæc autem defenſio eſt duplex. Propria & aliena. *Propria eſt* cum vim à te tuiſq. arces, & libertatē, religionē, patriam, parenteſq. armis tegis. *Aliena* iterum duplex, cum aut ſocijs, aut ab oppreſſis iniuriam propulſas. Hinc D. Ambroſius *Fortitudo quæ per bella tuetur à barbaris patriam, vel defendit infirmos, vel à latronibus ſocios, plena iuſtitia eſt.* Sed eſt & inuaſio quoque iuſta, ac licita cauſa capiendi arma, ſed non omnis. Illa tantùm, cum laceſſitus iniuria res tuas repetis; idque cum ea conditione, vt ex formula veteri, prius mittas clarigatum, id eſt, res raptas clare repetitum, quia in eum, qui iure agere & ſatisfacere paratus eſt, nefas bellum ſumere, tanquam in iniurium. At ſi abnuit, & res retinet, quid eſt quod contra vim ſine vi fieri poſſit? Hinc Liuius,

uius, *Iuſtum bellum, quibus neceſſarium : & pia arma, quibus nulla niſi armis relinquitur ſpes*. Sed reuera hodie qui bellum gerunt, ſi ligitima cauſa deſtituantur, prætexto aliquo veriſimili ſua facta excuſant. & Turcis iusin orbem vniuerſum dedit Machometes, Hiſpanis in Indias & Nauarram, Pontifex, Suecis in Germaniam zelus oppreſſæ religionis Luteranæ; alijs aliæ cauſæ, ſed occaſio maximè, cum videret res Imperij domeſtico tumultu implicatas eſſe.

Occaſio ſiquidem in bellis amplius ſolet iuuare; quàm virtus; prę ſertim ſi captatur ex opportunitate. Vnde pulchrè Liuius, *punсto ſæpè temporis maximarum rerum momenta verti*, dicit; quia nulla res maioris eſt momenti in rebus peragendi, quam certa & determinata temporis periodus, quàm opportunitatem vocamus. Hinc Probus, Epaminundam laudans dicit, *Temporibus ſapienter vtens*, id eſt, qui ſciebat occaſionem opportunè in rebus peragendis capere; ſicut, & Philippus Alexandri pater; qui cum videret ciuitates Græciæ eſſe inter ſe diſcordes, bellum contra eas mouit, & poſſedit cum aſtutia, omnes iuuando modò hanc modò illam, contra eius aduerſarios, & vnamquamque deinde debellatam ſubijciendo ſuæ poteſtati. Ita & Amurates I. cui vidiſſet Principes

Græ-

Græciæ cum ſuo Imperatore bellum gerere; ſubſidia vtriuſque dabat; & poſtea totam Græciam eius ſucceſſores occuparunt, ſeſeque Bizantij Imperatores fecerunt. Iidem Hungaris deinceps bellum intulerunt, cum Proceres inter ſe, diſcordes animaduertiſſent, & Regnum occuparunt. Cumq. temporibus Iulij II. Chriſtiani Principes contra Venetos arma confœderata ſumpſiſſent, *Baiazetes* II. inuadendæ Italiæ occaſionem opportunam videns, miſerat ad Venetos, offerendo eis ſuam protectionem & ſubſidia, vt ſic intraret in prouinciam aliquam Italiæ, firmareque poſſeſsionem paulatim poſſet, prudens ille Senatus, quid barbarus intenderet maturè præuidens, acceptare noluit, ſed in diuino auxilio ſpem ponens, receptas ſibi poſſeſſiones in Lombardia facilè recuperauit. Guillelmus quoqne Orangius ab Albano toto Belgio cum exercitu ſuo eiectus, iterum ſcripto in Germania milite in proniacias intrauit, imminens occaſioni, cum Albanus moleſta tributorum exactione, ſeueritate nimia, populorum animos à ſe ab alienaſſet; eaſq. belli faces intulit Belgio, quæ tot annorum ſpatio nullis vrbium concidentium ruinis opprimi, nulliſq. cruoris extingui flu-minibus poſſunt. Vnde apud Dionem, affirmat Cicero, plura negotia occaſio-

num

num opportunitate, quàm viribus feliciter expediri. Quare, *qui ad præclara adſpirat, in agnoſcendis ſagax, patiens in expectandis, & diligens in arripiendis occaſionibus eſſe debet.* Quas quia intelligunt Turcæ, & Hiſpani, tot ſibi populos tot prouincias ſnbiecere, nunquam tam potens futuri, ſi opportunitatem oblatam non fuiſſent amplexi.

Occaſionem itaque in inferendo bello prætermittere non decet; vel ſi omiſeris, alia aliqua ratione compenſare ſtude. Sed in bello ſuſcepto iam & cœpto, ſi omiſeris, grauiſsimum damnum perſenties, quia ibi iam non licet ocioſum & ſocordem eſſe. Occaſionem verò aliquando aut hoſtis aut tua induſtria tibi exhibet. multi ſiquidem dum flumina traijcerent, ab hoſte ad omnia intento, deleti fuere, qui diuiſam fluminibus alteram partem facile oppreſsit. Sic Cæſar olim Heluetiorum magnam partem deleuit, quod ea flumine à reliquis copijs diſcerneretur. Sic noſtris temporibus ChodKieuicius, Manſueldium Ducem, pro Cvrolo Sudermano militantem in tranſitu Dunæ oppreſsit cępitque ipſum. Multi præterea dum incautius excubias agerent in caſtris ſuis occiſi. Multi profligati, dum ſine ordine cum exercitu procederent. Multi celeritate præuenti, aut diſcordia deleti, aut aliqua

alia

alia ex occaſione ſuperati fuerunt. Et Q. Metellus Cos. in Sicilia bellum gerens aduerſus Haſdrubalem, ob eius ingentem exercitum, & centum triginta elephantos intentior, diffidentia ſimulata, intra Panormum copias tenuit, foſſamque ingentis magnitudinis ante ſe duxit: conſpecto deinde exercitu Haſdrubalis, qui in prima acie elephantos habuit, præcepit haſtitis, tela in beluas iacerent protinuſque ſe intra munimenta reciperent; ea ludiſicatione rectores elephantorum concitati, in ipſam foſſam elephantos egerunt; quo vt primum, illaqueati ſunt, partim magnitudine telorum confecti, partim retro in ſuos acti totam aciem turbauerunt. Tnnc Metellus, hanc operiens occaſionem, cum totu exercitu erupit, agreſſus à latere, Pœnos cecidit, ipſiſque vt elephantis potitus eſt. Publius quoque Scipio in Lydia: cum die ac nocte imbre continuo vexatum exercitum Antiochij videret, nec homines tantùm aut equos deficere, verum arcus quoque madentibus neruis inhabiles factos, exhortatus eſt fratrem, vt poſtero quamuis religioſo die committeretur prælium; quam ſententiam ex tali occaſione, ſecuta, victoria eſt. Hinc rectè Polibius, *valet in omnibus humanis rebus & pollet occaſio, ſed maximè in bellicis. Itaque armatus intenta.*

tentutuſque ſis, vt neque tui occaſioni deſis, neque ſuam hoſti des: id enim eſt viri, & Ducis, non deeſſe fortunæ prbenti ſe, & oblata caſu flectere ad conſilium. Sciebat hoc benè Q. Fabius Maximus, qui L. Paolo dicebat, intentus ſis ad omnem occaſionem, & omnia non properanti clara certaque erunt; feſtinatio improuida eſt & cæca. Eius itaque exemplo ſuperiore ſæculo, intenti ad opportunitatem fuere præcipui Italiæ Duces, Proſper Columna, Franciſcus Maria Primus Dux Vrbini & Ferdinandus Toletanus Dux Albanus, qui nuſquam ad prælium deſcenderunt, niſi captata de hoſte occaſione; & arte potius vincendo, quàm viribus; quod quia olim non obſeruabat Pompeius, nimium fidens potentiæ & fortunæ ſuæ, ideo ſuperatus fuit à Cæſare, qui in captandis occaſionibns diligentiſsimus fuerat. Vnde de Suetonio Paulino Tacitus ſcribit, *cunctator natura, vt cui cauta potiùs conſilia cum ratione, quàm proſpera ex cauſa placerent* quia in omnia occaſione prudentia adhibenda eſt Imperatori, non præceps conſilium, aut temerarium factum. Ideo quid etiam mora in bellis valeat, videamus.

CA-

CAPVT XVI.

De Mora facienda in Bello.

NOn ſemper celerius factum in bellis probatur, interdum cunctatione viciſſe Duces legimus: & Auguſtus Cæſar nihil minùs in perfecto Duce, quàm feſtinationem temeritatemque conuenire arbitrabatur. Q. verò Fabius Cunctator appellatus, tam conſtantis animi fuit, vt ſuum imperium minui per vanitatem populi maluit, quàm ſecunda fama, malè rem gerere. Hinc Probus laudans Iſicratem dicit. *Nuſquam culpa malè rem geſſit: ſemper conſilio vicit*. Et Tacitus, *Potentiam cautis, quàm acrioribus conſilijs tutius haberi*. Tutius ſiquidem bella longanimitate quàm impetu peraguntur: quia longanimitas conſumit vires aduerſarij cum tempore & occaſione, impetus verò ſubiacet dominio fauentis vel aduerſantis fortunæ. *Sola itaque ſcelera impetu, bona conſilia mora valeſcunt*. Præſertim cum aduerſarius numero te nimium ſuperat, moram prudenter adhibe, & prælium caue, nam vel commeatus ei, vel pecunia deficiet; vel ſeditio, (vt in multitudine fieri aſſolet) vel contagio caſtra illius inuadet, vel denique tempeſtates, properanſque hyems, ad propria eum re-

uocabunt; tu interim vteris occaſione & opportunitate. Quam ne perdas, opus, eſt vt ab alterius conſilio non dependeas; nam ſi vel procraſtinatione negligenti, vel expectatione reſolutionis à Principe tuo, tempus commodum omittes & occaſionem elabi patieris, fruſtra fortunam tuam incuſabis. Vnde manuſtrenuus ille Marchio Sauoranus dictitabat. *Duci interdicta decernendi facultate, anſam illi vt vincatur dari; at vt hoſtem vincat ac ſuperet, omnino tolli.* Ideo Fabius Maximus in expeditione contra Hannibalem, Senatum Populumq; Romanum monuit per literas, vt ducem aliquem aduerſus hoſtem adeo potentem bello præficerent cui liberam pro re nata imperandi, decertandiq; poteſtatem darent. cuius conſilio tum acquieuiſſe Senatum Liuius auctor eſt. Ita quoque Heluidius Priſcus apud Tacitum, cum legione mittitur, *rebus turbidis pro tempore vt conſuleret.* Et Tiberius Cæſar Druſum bello in Panonia præfecit *nullis certis mandatis, ex re conſulturum.* Tum apud nos quoque Stephanus Rex Zamoſcium in Moſcouia, nullis aſtrictum mandatis copijs præpoſuit, cæterum ille ipſe ex Præfectis legionum, qui ætate, ordine, ac vſu rei militaris cæteros antecedebant, poſitis caſtris ad Pleſcouiam delegit, ad quos de ſecretioribus quibuſque ac grauioribus

bus rebus referret; præſertim, quid ipſi beneficij, temporis progreſſu, vel ſperandum, vel amittendum in illa obſidione fuerat; ſiquidem milites ſæpiſſimè bellum in longiùs protractum faſtidiunt, laboribuſq. conſumpti ſigna tandem deſerunt. Moram igitur prudentem Imperator in bello faciat, ſed non ob ſocordiam ſuam, aut penuriam rerum ad bellum pertinentium; ſic etenim aut coactus oblatam occaſionem amitteret, aut imprudens commodum tempus ad res gerendas, inaniter conſumeret. Vt Marchio Sanctacrucius commiſit, Batauis. Traiectum expugnantibus. Qui dum chartis luſorijs tempus impenderet neceſſarium, illi interim aliquot munitiones ceperunt.

CAPVT XVII.

De Prodigijs in Bello.

OLim Imperatores ad bella auſpicato procedebant, prodigijſq; è cælo territi interriti interdum ab expeditionibus ſuperſedebant. Et Romani ſanè, teſte Iſidoro, omne bellum tali ceremonia auſpicabantur. Imperator ad campum Martium progreſſus, erigebat in præſentia ſuorum militum coloſſum, & verſus prouinciam hoſtilem, haſtam

 ſtans

ſtans penes coloſſum proijciebat, quæ terræ infixa, ſi recta ſtetit, Martem belli dubium deſignabat: ſi verò inclinabatur verſus hoſtes, cladem Romanis præſagiebat, ſi denique verſus vrbem aut coloſſum inclinabatur, Romanis victoriam promittebat. De Athenienſium verò præſagijs, Capitolinus ſcribit, quod bello edicto, duos homines armatos concurrere inter ſe iubebant, publicè in foro, quorum vnus Athenienſium nomen & ſpeciem præferebat, alter aduerſariorum cum quibus bellum gerẽdum erat. vter vtri gladium eripuit, & lucta eum ſuperauit, ille parti ſuæ victoriam præſagiebat. Et hoc ante expeditionem ſuſceptam faciebant; in ipſo autem progreſſu belli, & ante pugnam generalem hoſtiarum exta religioſè ipſi Duces inſpiciebant, & quidam obſeruabant inde omnia belli & prælij, quidam contemnebant. Melius autem illis viriſque iſti faciebant, qui licet horum nihil crederent pro ſua prudentia, & magnanimitate, omnes tamen cohortium ductores ad extorum inſpectionem aduocabant, vt ipſi deindè militibus ſuis animos adderent, ac renunciarẽt Dijs iuuantibus, ac volentibus prælium iniri. Quia milites multo audaciores & alacriores eſſe ſolent, cum pericula ſubire ſe exiſtimãt Dijs auctoribus; ac ſinguli quaſi victo-

riam

riam certo adepturi, & ſigna & imperia pro virili parte obſeruant.

Nobis Chriſtianis, Haruſpicum & Ariolorum vanæprædictiones, & ritus pro ridiculo habendi ſunt; hoc eſt inſpectio in extis, in certis figuris, ſcripturis, imaginibus, ſpeculis ceris, igne, aqua, libellis, notis, ſignis, characteribus, & lineamentis manus: quòd in his plerumque ſit incantatio, & pactum cũ malis ingenijs implicitum: aut vana & ſuperſtitioſa obſeruatio; quibus vt plurimum lethalis peccati nexu homines obligantur. Et Ericus Rex Suetiæ, his mirificè irretitus, tandem poſt tot victorias manus Oſtanis euadere nequiuit. Melius Conſtantinus Magnus, de quo ita Optatus Mileuitanus ſcribit, *Auſpicato hoſtiles turmas deueniebat, prius enim cor Zelo honoris diuini, deinde pectus lorica obarmabat.* In Deo itaque Imperator confidat, & à pietate, gloriaque Numinis auſpicetur bellum; quem tamen nolim omnino contemptorem eſſe prodigiorum & fortuitorum. Nam *amat benignitas Numinis*, inquit Ammianus, ſeu quod merentur homines, ſeu quod tangitur eorum affectione, his quoque rationibus prodere, quæ impédent. Sic noſtra ætate Cracouiæ vidimus Tartaris in Ruſſiam incurrentibus vſque ad præmiſſam Duce Kantimiro,

ſpecies barbarorum cum pharetris & ſagittis in equis, quibus vulgus circa horam noctis primam in cœlo conſpectis, ſtatim è Scythia imminere periculum proclamauit. Similiter ante irruptionem Guſtaui in Pruſſiam, viſa fuerunt Dantiſci ſpectra de noctu in cœlo, à Septentrione venientia, ſpecie nauiũ armatarum, globos quaſi ignitos euomentium in prouinciam, & ſtatim rumor populi Suecos per mare venturos iudicauit.

Haud ſpernenda igitur videntur cœlo terraq; prodigia, & fulminum monitus & futurorum præſagia, læta, triſtitia, ambigua, manifeſta; in quæ Imperator modicè inquirat, & ſine ſuperſtitione. Fortunaq; belli non tentanda ſi periculum prodigia minentur; quinimò ſubſiſtere atque expectare ſatius erit, ſi luctuoſæ calamitates imminere videantur. Ita fecit Murates Othomanidarum Sultanus Anno 1594. cum die 2. Ianuarij Coſtantinopoli egrederetur, vt exercitum ſuum, quem aduerſus Chriſtianos coegerat, luſtraret: repentina ſiquidem exorta fuerat tempeſtas, quæ tentoria & currus, viros & equos proſternebat, cui vix vllus obſiſtere potuit. In illo ventorum turbine cruces cęlitus in veſtimenta Turcarum deciderunt plurimæ, quibus Sultanus viſis vehementer

menter conturbatus extimuit, & totum exercitum Conſtantinopolim reduxit, Chriſtianis interim per Germaniam & Hungariam ſupplicationibus peragentibus.

Fortaſſe & ſomniorũ habẽda eſt quędã ratio. Nã inſtantibus curis, agitant ſæpè per ſomnium ſpecies imminentiũ rerum; ſiue illas ægritudo, ſiue diuinatio animi præſagiẽtis accerſit. Ottocarus Bohemię Rex, cũ Rodulpho Romanorũ Rege prælio congreſſurus vidit in viſu noctis, quod plurima in capite cornua geſtaret, quæ omnia præter vnum radicitus ſibi ſunt euulſa. Igitur non multo poſt Ottocarus à ſuis militibus in pugna proditus, & ad mortem vulneratus, quod prælio abſtinere monitus noluiſſet, occubuit. Cazimirus verò Monachus Poloniæ Princeps, cum Iazygibus & Lituanis conflicturus, vidit per ſomnium ſpeciem S. Michaelis Archãgeli, victoriam ſibi pollicentis de hoſtibus. Narrauit ſomnium militibus in craſtinum, & animauit eos, victoriaq; obtenta templum Lublini in arce, in honorem S. Michaelis erexit. Boleslaus verò Chrobrius in obſidione vrbis Chiouienſis longo tempore defatigatus, tãdem gladium in ſomnijs ab Angelo ad excidium vrbis porrectum, accepit, & militibus pro concione monſtrauit, qui

 hodie-

hodiedum in theſauro Regni Poloniæ aſſeruatur, etſi fractus ab eodé illo Rege tempore oppugnationis, cum portam vrbis, quæ aurea vocabatur, effracturus, illo gladio excinderet.

Sollicitos quoque habebat veterum Duces, ſi vel ſagitta è cœlo in agmen decidiſſet; vel Solis, Lunæue lumen deficeret, ſi terra quateretur, ſi Dux equo excideret: ſi lupus in caſtra veniret, & id genus alia, quæ multi mali hominis loco erant, tantumq. ipſi metum incutiebant, vt ita affectum in prælium producere ſummi diſcriminis fuerit, Dlugoſſus de Caſimiro Rege ſcribit, quod dum in Bohemiam contra Vratislaum Ducem caſtra moueret, Tribunus eius quidam, nomine Miezobia aquilam nigram ſupra caput Regis volitantem conſpicatus, dum varij varium inde futuri belli omen coniectarentur, præ cæteris reſpondit. Si Aquilam hác, ò Rex, ſagitta transfigam, habebis proſperæ victoriæ ſignum, ſi verò non occidero eam, ſignum cladis tui exercitus. Atq; ſic arcu extenſo caudã Aquilę tetigit, quæ nihilominus integra auolauit, Ergò inquit, ò Rex non omnes inimicos tuos interficies ſed diſſipabis eos, ſicut iſtas pennas ego. Excepit omen Cazimirus, & euentu rem comprobante militi ad inſignia illius gentilicia,

licia, ſagittam cum pennis Aquilæ adiunxit.

Igitur obſeruabit Imperator, vt ſi mobiles militum animos, vel augurijs aliquibus vel portentis moueri animaduerterit, vt iſtiuſmodi omina omnia ad priſcorum morem in lætiorem partem interprætetur, quamuis illorum opinione ſiniſtri quid portendere videantur, ſed vel ex cauſis naturalibus proficiſci perſuadeat, vel è re ſua accidiſſe, dicat. Prout Cæſar fecit, cum in Africam traieciſſet, atque è naui exiliens pronus cecidiſſet. Teneo te Africa, dixit eaque ratione militum animos caſu eo non mediocriter conſternatos, reſtituit. Epaminundas quoque, cum ei auguria obiecta fuiſſent, quorum alterum victoriam portendebat, alterum cladem; animaduertiſſetque animos multorum in ſuſpenſo eſſe ac metu, diuerſorum auguriorum obiectu, indicta concione, ea ſic interprætatus eſt, vt ſi obſequentes Præfectis ſuis ſe præberent, alacriq: animo hoſtes inceſſerent: lætum illis augurium dari; ſin aliter triſte & funeſtum. Ita magnus vir rem ambiguam incertamq; optimam in partem interpretando, animos ſuorum ſiniſtro augurio perculſos erexit. ſeq; præſenti periculo liberauit. Quamuis itaque huius ſæculi homines ab iſto moleſtiæ

genere propemodum immunes ſunt, ſcire attamen debemus, quod dum aut peſtem pro peccatis noſtris, aut tempeſtatem aliquam aut cladem in bello im miſſurus eſt Deus, nunc monſtris præmonet, vt à ſceleribus conſurgamus; nunc per oſtenta de clarat, vt iram illius placare contendamus. Exemplo hoc manifeſtiſſimo, Bembus in Hiſtoria Veneta declarat, qui bello Ferrarienſi durante, dicit terram Venetijs tremuiſſe, motu tam vehementi, vt Senatus præter morem, nulla lege lata dilaberetur ex Palatio; patreſq. ruina tectorum intercipi mutuentes, tumultuosè ſe foras truderent. Cadebant autem è ſummis Curiæ, tépliq. Marcij parietibus pinnæ, ac ſigna marmorea, quæ in ijs antiquitus poſita prominebant: turreſque templorũ nutare cacuminibus & commoueri proſpiciebantur, & æs campbnum in pleriſque earum, maximè autem in ea turri, quæ in foro eſt, ſpõtè inſonuit; plereq; etiam vitium fecerunt; & aqua Vrbanis in alueis altè excitata contremuit; domuſque non vna cum incolentium interitn, & fanorum frequentes parietes ruinam traxerunt: mulieresq; prægnantes permultę timore perterrefactę abortum fecerunt, mortueq; ſunt. Poſtridie igitur eius diei Deo O. M. ſupplicationes in vrbe tres dies fieri, & ne quid

quid prȩter panem & aquam, ad veſcẽdum omnes puberes ſumerent, ab Antonio Contareno Patriarcha Venetorũ conſultis Patribus indictum. Atque ita omnes ferè magnȩ & memorabiles in rebus humanis mutationes, aliquanto antea, aut vno, aut pluribus illuſtribus ac notabilibus ſignis diuinitus portendi ac præſignificari ſolent; maximè verò in bellis, vbi continua aleæ ſit mutatio. Sed in omnibus recurrẽdum ad Deum: procurandumq; vt prudentia noſtra, quàm optima fama de bello & progreſſibus noſtris ſpargatur.

CAPVT XVIII.

De Fama Belli.

VT occaſionis prima ratio in bellis habenda eſt, ſic famæ ſecunda; cuius momentum in bello maximum ſemper. Vnde Curtius *Fama bella conſtant, & ſæpè etiam quod falſo creditum eſt, veri vicem obtinuit.* Experientia nuper vidimus, cum Guſtauus Tyllio ad Lipſiam profligato, ſola nominis ſui fama Imperij vrbes & arces, quæ alias inexpugnabiles videbantur poſſideret, ſola Herbipolenſi munitione expugnata, adeò, vt quæ fideles etiam Imperatori ciuitates fuerant, poterantq; ſua raſiſtentia retar-

dare victorias illius, & vires diminuere territę fama ipſius vltrò portas aperiebant, exiſtimãtes nihil virtuti ipſius reſiſtere poſſe; prętertim poſtquam Cruſenachum expugnaſſet. Non abs re itaq; Liuius ſcripſit, *Fama bellum conficit, & parua momenta in ſpem metumue impellunt animos* præcipuè ſub initia, quia fama in nouis cœptis validiſſima eſt; *primiſq; euentibus*, vt inquit Tacitus, metus aut fiducia gignitur. Ita cum Demetrius Moſcouiam cum Polonis intraſſet, vt eá eiecto Tyranno Boriſſo Hodunio, tanquam patriam ſuam recuperaret profligatis ſemel apud Cromos exercitibus illius, ſtatim ad ſe procerum ciuitatũq; partem maiorem traxit, qui relicto iniuſto Imperij inuaſoré, vndique ad eum, tanquam ad legitimum Principé concurrere cæperunt. Quid cum altero conflictu ad ipſam Metropolim Moſcouię eum profligaſſet? Extemplo ciues portas ei aperuerunt, & in vrbem feſtis cum acclamationibus introduxerunt, vt Boriſſus conſilij inops ſe cum ſuis in arce veneno interficere cogeretur, ne à victore Demetrio, ad ludibrium & crudeles pœnas exponeretur. Scito igitur Imperator inſtandũ famæ, & prout prima ceſſerint, fore vniuerſa.

E contra verò, famam de aduerſario tuo ſparſam, quòd ſit fortis in præliando

quòd

quòd felix in vincendo, quod prudens in cauendo, quòd dexter, & ſagax in gerendo, generoſo animo contemne, & aduerſus rumores hominum firmus eſto. Nō tamen ſecurus, quia nemo celerius opprimitur, quam qui nihil timet, *& frequentiſſimum initium calamitatis*, inquit Vegetius, *ſecuritas*. Quia igitur nihil paruum in bello, & fiducia ſemper noxia; idcirco diligenter quę de aduerſario ſparguntur explora, & noli eum contemnere, etſi paruas & prauas copias habeat; quia *Sæpe contemptus hoſtis cruentum certamen edidit, & incl yti populi Regesq; perleui momento victi ſunt*. Et Iulius Cæſar, Martis ipſius pullus, poſt tot victorias & triumphos debellatumq; Pompeium, cum quintum iam Conſul factus in Hiſpaniam cōtra filios Pompeij abiret, adoleſcētes quidem illos adhuc, ſed audacia principatu digna pręditos, quod eos tanquam indignos paterno nomine & regimine leui apud ſe æſtimaret, in tantum periculum venit, vt per aciem diſcurrens clamitaret, *An milites non puderet ſe captum pueris in manus tradere?* Poſt pugnam autem amicis dixit. *Se de victoria ſæpè, tum verò primum de vita certaſſe*. Hinc Curtius. *Nihil tuto in hoſte deſpicitur quem ſpreueris, valentiorem negligentia facies*.

Ego vt nihil timēdi, ſic nihil contemnendi

nendi auctor ſum: tu verò Imperator ſcito, quòd *ſapè in bello, paruis momentis magni caſus intercedunt: & nihil tam leue eſt, teſte Liuio, quod non magnæ interdum rei momentum faciat*. In omnibus autem animi excelſi, longam potiùs conſequi famam, quàm vitam obtinere breuem malunt; atque ideo cum gloria, & vtilitate ſubditorum ſuorum, bella finire cupiunt.

CAPVT VLTIMVM.

De finiendo Bello.

DIximus militarem prudentiam maximè neceſſariam eſſe, ad tutelam ſalutemq; Regni eamq; diuiſeramus in hęc tria capita, nimirum, quomodo ſit ſuſcipiendum bellum, quomodo gerédum, & quomodo finiédum. Prioribus abſolutis, reſtat de hóc vltimo agendũ, videlicet, de Fine belli.

Bella itaque quamuis magna, quamuis diuturna pace finienda ſunt, *cuius & nomen dulce eſt, & res ipſa*, inquit Cicero, *tum iucunda, tum ſalutaris*. Ergo ad hanc pariter ire debent, tam quibus ſalus, quàm quibus gloria chariſſima eſt, hoc eſt, vt Lipſius docet, Victi, & Victores.

Victi quidem, metum adhuc faciendo hoſti, vt ſciat eſſe tibi adhuc vires, ſi de-

libe-

liberas, ambiguas, acres, ſi deſperaris. Ideo te erectum & fidentem animi oſtẽde, ne ignauum & vile aliquod animal videare; iuxta vetus illud prouerbium. Sub clypeo melius ſuccedere pacis negocium. Ita Zamoſcius in Moſcouia, cũ acerbiſſima hyeme vrbem Pleſcouienſem triginta millibus armatorum obſideret, quę intus pręter ciues quinquaginta ſeptem millia defenſorum habebat; ſciebat & auxilia obſeſſis pręſto adfutura. Nihilominus ad pacis conditiones deſcẽdere noluit, donec Moſcus ei tota Liuonia ceſſiſſet, perpetuumque fœdus cum gente Polona ſanxiſſet. Similiter ad Chotimiam vndique à Turcis cincti, non prius ad pacem deſcendimus, donec prior barbarus ipſe recederet, & nullam tributi ſoluendi mentionem faceret.

Et quamuis pax vel iniuſta, vtilior ſit iuſtiſſimo bello, tamẽ quia viro Principi intolerabilis, vtpotè quę labẽ & ignominiã adfert; ideo in tractatione pacis, diligẽter videbis vt verè pax ea ſit, nõ pactio ſeruitutis, quia potiùs eſt cũ dignitate cadẽdũ, quã cũ ignominia ſeruiẽdũ. Quapropter in omni pace, hęc duo cõſiderabis, vt Honeſta ea, & vt Simplex ſit. *Honeſta erit*, cum aliqua tolerabili conditione finies bellum, vti paucos ante annos fecerant, Danię Rex, & Mã-

tuę

tuę Dux cũ Imperatore Ferdinando II. grauiſſimo ab eo bello deuicti, & poſtea ſuis poſſeſſionibus per certas pacis conditiones ab eodem reſtitui. *Simplex verò*, quando in tractatibus, nullus fucus, nulla fraus adhibetur & pacis nomine inuolutum bellum iterum non reformidatur, vti Sueci, & Turcę facere ſolent: alias enim, *pace ſuſpecta*, vt docet Tacitus, *tutius bellum*.

Obſeruandũ autẽ eſt, quod nõ ſemper pax impetrari poteſt; ſed tũ ſolũmodo, dũ ſibi vterq; confidit, & pares ambo videntur; iam verò rebus inclinatis neceſſe eſt, vt te quoq; incline; & quamquã atrociter loquaris, minorem tamen apud te animum eſſe ſcimus; & vt Hiſtoricus ait, *Apud victos plus ferè querimoniarum, quàm virium*. Ergo neceſſitati pare, & omiſſa ira ac ſpe, fallacibus auctoribus, te ipſum tuaq; omnia, victoris cognitę permitte fidei. Sępè enim victores, (qui alto quidem ſunt animo) ſecundę res in miſerationem ex ira vertunt, & ſupplices, nihil abnuendo, veniam omnium accepere. Ita Alexander Poro Indie Rege ſuperato, non modo Regnũ ei reſtituit, ſed & alias multas prouincias attribuit, cum captũ rogaſſet, quomodo tractãdus eſſet? Regaliter inquit. Percõctante Alexandro. Nunquid aliud vellet? reſpondit, in Regali tractatio-

ne

ne ineſſe omnia. Igitur dimiſsũ & muneribus Regijs, & regno vti diximus debellato, ſatrapiſque alijs plurimis donauit. Idem fecere & alij plures Reges, ſola victoria contenti.

Victores ideo pacem non abnuant velim, tum quia id decorum ipſis, & vtile, tum quia maximè tutum. Nam quamuis vela tibi tumeant ſecundo vento, tamen potes procella inuolui & euerti, ſi prætermittis hoc tẽpus, quo dare magis quam accipere potes pacẽ. Eapropter Sereniſs. Rex noſter Vlad. IV. debellatis ad Smolẽſcum Moſchis, profligatiſque cum Abaſi Baſſa eorum Duce in Podolia Turcis, eductoq; ſplendidiſſimo cõtra Suecos, inſtructiſſimoq; in Pruſſiam victore exercitu, pacem maluit potiùs cum omnibus ſuis vicinis concludere, quam dubiam proſequi victoriam, & ſanguine humano fuſo, vanam ſibi quærere gloriam. Cæterum quia pacem habere cupienti, arma ſemper in manibus tenenda ſunt, & vt Tullius inquit. *Si pace frui volumus: bellum gerendum eſt: ſi bellum omittemus, pace nũquam fruemur*, ideo gerendi belli rationem edocturi, Ducis cumprimis ipſius officia, requiſitaq; in eo dotes, libro ſequenti proſequemur.

INSTITVTORVM Rei Militaris.

LIBER SECVNDVS DE BELLO.

CAPVT PRIMVM

De conſtituendo Duce militiæ.

POST præparatam ad bellum Pecuniam, Annonam, & Arma; vti ſuperius docuimus; quartum requiſitum eſt, *Habere viros bello gerendo aptos*; hoc eſt, tàm mulieres, quàm Duces exercitatos; & tàm impugnare, quàm repugnare peritos.

Et quia caput totius exercitus Imperator eſt, militarem verò ſine Duce turbam, eſſe corpus ſine ſpiritu, ſcimus; ideo ab ipſo ordiemur primo & de illius electione ſeu conſtitutione, de officio, auctoritate, dignitate, atq; virtutibus requiſitis, toto libro pręſenti agemus.

Duo

Duo itaque genera Ducum conſideranda ſunt. Primariorum, & Secundariorum. *Primarij dicuntur*, qui ſummũ rei imperant, ſuiſq; auſpicijs, & ductu rem gerunt. *Secundarij dicuntur*, qui imperantis alterius nutu, ſiue iuſſu imperant, & ſuo ſaltem ductu rem gerunt. In prima claſſe, quiuis Rex aut Princeps in ſuo ſolo. In altera, ij qui ab his conſtituuntur, Adminiſtri bellorum & Legati, quos propriè Duces exercituum vocamus.

Qui igitur Princeps bello Ducem talem conſtituit, vt illud efficaciter peragere, hæc tria imprimis habere procuret. *Primo* Vt Dux belli ſit vnicus, ſine Collega. *Secundo*. Vt omnia pro ſua prudẽtia, liberè gerat, abſque omni dependentia, vel Principis, vel Commiſſariorum. *Tertio*. Vt ſit ad omnia munia belli reſolutus & aptus.

Quantum ad primam conditionẽ, vt in Repub. adminiſtranda; mala eſt gubernatio multorum, ſed vnus Princeps eſto; ſic & in gerendo bello pluriũ imperium nociuum, vnus Dux ſeu Imperator ſit. Nam vbi æqualis poteſtas duobus datur, ſemper diſcordiæ, æmulationes ſimultates, & militum diſſenſiones erunt, exercituſq; ille quamuis potentiſſimus nihil omninò efficidt. Experti hoc toties Romani, quamuis legum obſer-

obſeruantiſſimi, & patrię amantiſſimi fuerunt, de quibus propterea Liuius, *didicerunt cumplurium imperium bello inutile eſſe*. Sed & nos Sarmatæ hoc ſæpiùs expertiſumus, boniq; publici damno didicimus, nuſquam proſperè ceſſiſſe res noſtras, quoties in expeditione aliqua vterque Dux belli, tam Polonicarum, quàm Lituanicarum copiarum, fuerat ſimul. Et Athenienſes olim totũ exercitum in Sicilia amiſerant, quod Duces inter ſe diſcordes fuiſſent æqualis poteſtatis. Et Hiſpaniarum Reges ſimiliter ob Ducum contentiones in Aphrica, ingens damnum ad Alzerbam acceperunt. Et in Anglia, tàm nauali, quàm terreſtri prælio, ob Ducum diſcordias, res malè geſta ſæpiùs: plurimiſq; alijs in locis & regnis, id accidiſſe, Hiſtoriæ teſtantur. Vnde, nec mutare Ducem in vna expeditione conſultũ, præſertim ſi felix eſt; quia illo mutato perſæpè & fortuna belli mutatur: nec collegam ei æquali poteſtate dare præſertim ſi animoſus eſt, quia inter ſe potiùs quàm cũ hoſte pugnabunt; interim autem ordo bellicus & progreſſus immutabitur, aut interrumpetur.

Secunda conditio eſt, ne Dux ligatas manus habeat, aut circumſcriptus ſit cõditionibus, qualiter faciebant olim Carthaginenſes, & Romani ipſi, priuſquam

quam id Reipub. nociuum experientia didiciſſent. Nunc faciunt, Hollandi, Veneti, Moſcouitæ, & ſi paulò liberiùs, quàm antea. Verum enimuerò abſolutiſſimam habeat officij ſui, atque ampliſſimam poteſtatem, qualem & noſtri Duces ſemper tàm in Polonia, quàm in Lituania habebant, & cæterorum Regũ vulgò Generaliſſimi dicti habere ſolet: alias Commiſſarij illis adhibiti, potiùs impedimento, quàm iuuamento fieri ſolent, præſertim ſi in rebus bellicis non reſoluti, ſed timidi, & priuatum commodũ ſpectantes. Vnde Lycurgus prudétiſſimus Legislator, refrænatá authoritate Regum domi, in bellis abſolutam eis poteſtatem reliquerat. Quem imitati Romani quoque, habétes multis legibus antea circumſcriptum Conſulis officium, poſtmodum liberá eis in bellis poteſtatem permittebát, prout & Dictatoribus; hoc ſolo addito, *viderent ne quid detrimenti Reſp. pateretur*. Et hoc propterea *quod bellum*, vt inquit Thucidides, *multas res generet, de quibus ne cogitare domi poteras*; vnde facere quoque reſiſtentiam aduerſario debes, non prout apud te conſtituiſti, ſed prout caſus, aut neceſſitas te coget. Propterea Q. Fabius Maximus dicebat. *Conſilia magis res dant hominibus, quam homines rebus*: eaq; de re reprehendebat Varronem, quòd ille

ille hoſte nondum viſo, diſponeret apud ſe quomodo procedere deberet. Igitur hoſte conſpecto, Dux non expectet cõſilium, aut informationem Principis, Reiuepublicæ ſuæ, quia interim rei benè gerendæ poterit occaſionem omittere, vt non ſemel Venetorum Ducibus accidiſſe legimus, tum Architalaſſo Hiſpanico, haud ita pridem cõtra Anglos: & Angelico etiã contra Gallos, quibus, *ex diſtantibus terrarum ſpatijs*, vt tacitus inquit, *conſilia poſt res afferebantur*.

Tertia conditio eſt, vt ſit ipſe Dux belli impiger & factiuus, atq; ad exequendum promptus & aptus. Quæ aptitudo ſanè, ſeù inclinatio ad bellũ in hoc maximè conſiſtit, vt libens volenſq; ſuſcipiat expeditionem, cum ardore quodã & deſiderio, peragendi eam vſque ad finem, Nam ſi vadit ad bellum coactus à ſuo Principe, vt in Moſcouia & Turcia perſæpè accidit; vel ex officio ſibi impoſito ad vitam, vt apud nos in Polonia, non verò ſponte, & cum alacritate innata, tum iam non creſcet in ipſo ardor ille, & promptitudo deuincendi hoſtem, ſed tantum exercendi munus ſibi impoſitum; quare tergiuerſabitur in omnibus actionibus ſuis, & moram trahet, cauſabit difficultates, morbum ſimulabit, ſuadebit conditiones pacis, conſilia vel in minimo requiret à Principe,

cipe,

cipe, de commeatu, munitionibus, & ſtipẽdijs militum negligenter preuidebit, lucrum quæret, & vt verbo dicam totum tempus tractationibus potiùs & conſultationibus, quam operibus Martialibus conſumet; contentus repuliſſe hoſtem, & ſe ſuaq; ſeruaſſe, quam deuiciſſe eum, aut coegiſſe ad pacem. Ita Nicias in bello Siracuſano olim, & nũc in Belgio quidam Regis Catholici Duces. Sed cui ardor ineſt à natura, & voluntas cum deſiderio famæ bonæ, ille promptè ſe itineri accingit, diligenter annonam & bello neceſſarias machinas comparat, maturè milites euocat, ſollicitè omnia prouidet, omneſq. ſuos Tribunos & turmarum præfectos ad idem faciẽdum incidat, omnia videre, omnia tangere ipſemet cupit. & nec modo antecedit militem, ſed in periculis quoq; ipſe exemplo omnibus præit, & præuenit hoſtem. Talisfuit Alphonſus Rex Aragoniæ, Iſmael Sophi Rex Perſarum Cãpſongaurus Sultanus Aegypti, Georgius Scandembergus Dux Albaniæ, Vitoldus Dux Lituaniæ, & noſtra ætate Guſtauus Rex Sueciæ, qui omnibus ferè imperatoris virtutibus præditus fuit. Sed iam officia Ducis videamus.

CA-

CAPVT II.

De Officio Ducis.

AEternæ naturæ lege, inquit Dionyſius *receptum eſt, vt inferiores præſtantioribus pareant*, & milites gregarij obediant ſuis ductoribus, maximè apud quos ſumma poteſtas & regimen belli; quia ipſi ſine Imperatore, vt remiges ſine gubernatore, nihil valent. Et quia Principis proprium munus eſt, tueri ſubditos; id autem non poteſt eſſe ſine fortitudine; idcirco optarem ipſimet Principi militarem prudentiam, & fortitudinem; ſin verò minus aptus eſt, tū è ſubditis egregios in armis Duces, qui animum atque aures darent ad hanc diſciplinam. Quæ enim res vitam, aut tranquillum vſum habeat ſine iſta? Patria quandoquidem, libertas, ciues, atque adeò ipſi Reges, latent in tutela ac præſidio bellicæ virtutis.

Ad inferendum igitur bellum, duo præcipuè in Duce requiruntur. Magnitudo animi, & ratio gerendi belli, quarum ædepol virtutum ſi expers fuerit, nænon ille ſuæ laudi, multo minus Reipublicæ conſulet; cum boni Ducis munia commodum ſine ijs explere nequaquam poſſit; quod verbo ſatis ſcito ſignificauit

ſicauit Gabrias Athenienſium, Imperator, cum dixit. *Magis timendum eſſe ceruorum exercitũ cui Leo Dux præſit, quàm Leonum, qui ducem habeat ceruum.* Ideo Iulius Cæſar in Hiſpaniam proficiens contra Petreium, aiebat, *non magni eum ſe facere, quod rem cum exercitu ſine Duce haberet.* Qui enim non habet ſpiritum excellentem & generoſum, ille non poterit pugnare Marte aperto; obſidere ciuitates munitiſſimas; acquirere Regna; cõcupiſcere victorias & triumphos; quia ſpiritus in eo extinguuntur præ timore, cum hoſtem cõſpexerit, vel maiore cum exercitu ad ſe audacter venire, vel ordine meliori ſtare intra munitiones ſuas. Sicut igitur non ſufficit nauim eſſe benè fabricatam, & adornatam omnibus neceſſarijs ad nauigandum, ſi ventus vela non implet, & eam in altũ non promouet; ita non ſufficit Ducem habere ſcientiam rei militaris, & diligentiam officij ſui in omnibus peragẽdis, ſi non habet animum generoſum, & reſolutum exequendi id, quod deſtinauerat facere ad euertendum aduerſarium ſuum. Vnde Aratus Siciniorum, quamuis fuerit prudens Imperator, quia tamen minus reſolutus & non magnanimus, ideo parum proſperè bella geſſit: quæ audacia potius peraguntur.

Poſt magnanimitatẽ requiritur etiã in

Duce, Ratio gerendi belli, vt non temere ruat in hoſtem, ſed ſecundum præſcriptum rei militaris omnia agat, & ſit diligẽs officij ſui, quod ſex præcipua munera requirit. *Caſtra mouere, Metari, In campo manum conſerere Obſidere. Oppugnare, & Propugnare* in quibus omnibus rebus excelluit Iulius Cæſar. Sed particulariter loquendo, in ducendo agmine laudem præ omnibus habebat Philopomenes; in caſtrametatione Pyrrus; in conſerendo manus cum hoſte T. Manlius Torquatus; in obſidendo Titus Veſpaſianus; in oppugnando Parmenides; in propugnando Affranius. Quæ ſingula, vt vnus commodè exequi poſſit, deſcribamus qualitates quæ in bono Duce neceſſario requiri debent.

CAPVT III.

De qualitatibus requiſitis in bono Duce.

QVandoquidem victoriam non dependet abſolutè à Duce ipſo, ſed à militibus quoque, ab occaſione bona, à tempore, à ſitu loci, & ab alijs circumſtantijs pertinentibus ad aſſequendam victoriam, eapropter ille contendere debet, vt de illo dici poſſit, tam in felici, quam in aduerſo prælio, quod ille

rectè

rectè ſit functus officio ſuo, & omnia media ad aſſequendam victoriam prudenter diſpoſuerit. Vnde dicitur de Annibale, quod in illa pugna cum Scipione ad mœnia Carthaginis, licet ſuccubuerit cum tota ſua patria, tamen ſeſe ita ſtrenuè geſſit, vt ſemper viſus eſt ſe geſſiſſe in alijs felicibus victorijs. Noſterq; ZolKieuius paucos ante annos in pugna cum Turcis ad Czeçzoram licet poſt octiduum prælium ſuccubuerit, oppreſſus à multitudine barbarorum. tamen dicitur (ipſis etiam Machometanis teſtantibus) omnibus prudentiſſimi Ducis munijs functus eſſe, & glorioſè pro patria atque Religione cecidiſſe. Victoria etenim aſſequitur non tantùm ingenio, audacia, exercitio, apparatu & ſumptu, ſed etiam felicitate & numeroſitate copiarum; de quibus ſeptem rebus, tres vltimæ, potiùs dependent à potentia Principis, quàm ab officio Duci exercitus. Quapropter Veneti in tot bellis præualuerunt ſumptu Pecuniario; apparatu bellico, priſci illi Reges Aegyptiorum & Aſſyriorum; multitudine exercitus, Tartari, Arabes, Turcæ, Mauritani, Saraceni; ingenio, & fortitudine, plurimi diuerſarum gentium Duces; maximè tamen Chriſtianarum; qui iuniore hoc ſeculo reuocata veterum Imperatorum diſciplina militari, has

præ. à què qualitates in legitimo Duce requirunt. 1. *Scientiam.* 2. *Virtutum.* 3. *Prouidentiam.* 4. *Auctoritatem.* 5. *& Fortunam.*

Scientiam nempe, vt artis ſuæ gnarus ſit; & qui militiam longo vſu combiberit, nó auditione ſolùm aut lectione; hoc eſt, vt vno verbo ſit peritus, & nullum genus belli ſit, in quo illum non exercuerit fortuna. Qui norit, quis ordo agminis; quæ cura explorandi, quantus vigendo trahendoue bello modus.

Virtutem verò, & corporis, & ingenij vigorem quemdam habentem, vt videlicet alacer actuoſusq; ſit, exerceat legiones etiam ſine bello; cura, prouiſu, perinde agat, acſi hoſtis ingruat: *& cui,* (vt cum Cicerone dicam) *adſit labor in negotio, fortitudo in periculo, induſtria in agendo, celeritas in conficiendo.* At animi virtutes adhibeneæ etiam quædam ſunt. *Non enim ſolùm bellandi virtus in ſummo atque perfecto Imperatore quærenda eſt,* inquit idem Cicero, *ſed multæ ſunt partes eximiæ, huius adminiſtræ, comiteſque virtutis, Temperantia, Fides, Facilitas, Humanitas, Caſtitas &c. quæ niſi aut omnia, aut pleraq; habeat, non ego poſſum Imperatorem in aliquo numero putare.*

Prouidentiam, quæ cautos cunctanteſq; Duces facit, à nullo loco commiſſuros ſe fortunæ, niſi quantum neceſſitas cogat. Etſi calidos amat vulgus temeritas

ritas tamen ſit à Duce alieniſſima, quæ præterquam quod ſtulta eſt, etiam infelix & expoſita ad omnes laqueos. Polibius pulchrè. *Celeritas & audacia, & impetus præter rationem, & vanitas ac typhus hoſtibus quidem opportuna, noxia vero maximè amicis*; nam ad omnes inſidias, fraudes, atque aſtus obnoxius eſt hic talis. Quapropter Sertorius cognoſcés benè quod non liceat in bello bis peccare, dixit. *Oportet Ducem reſpicere magis, quàm proſpicere, quia prœliorum delicta emendationem non recipiunt.*

Felicitatem, quæ omnes ferè conſilij, & rationis eſt, ſed tamé paulò benignius quibuſdam attributa à Deo. Ille vnus eius auctor, eamq; præſtare à ſeipſo nemo poteſt. Vnde olim Maximo, Marcello, Scipioni, Mario, & cæteris magnis Imperatoribus, non ſolùm propter virtutem, ſed etiam propter Fortunam ſæpiùs imperia mandata, atque exercitus eſſe commiſſos legimus.

Auctoritatem denique, quia vehemēter pertinet ad bella adminiſtranda, quid hoſtes, quid ſocij, quid ciues ipſi & milites de imperatoribus exiſtiment. Hinc Curtius, *Maieſtas, & auctoritas imperantis fulcrum regnorum, & ſalutis tutela eſt*. Cæſar ad Monarchiam adſpirans, media nulla neglexit, quibus auctoritatem ſibi conciliaret: ideo Pompei, &

Craſſi ſocietate acquiſita, ex omni prouinciarum copia, Gallias ſibi potiſſimũ elegit, quæ emolumentò ſuo & opportunitate, idoneam triumphis materiam ſuggeſturę videbantur. Sciebat enim prudentiſſimus Imperator auctoritatem omnem ex metu quodam & admiratione conſtare, eamq; opibus & victorijs maximè obtineri. Hæc enim ſi frequẽtes ſint, omnes timore ſimul & ſtupore percellunt, dum eum vinci poſſe deſperant, qui ſæpè iam vicit. Illæ verò, & milites in officio continent, & conciliant amicos. Sed de his, alijſq; qualitatibus boni Imperatoris, ſingulis capitibus.

CAPVT IV.

De Scientia Ducis.

DVplex ſcientia in Duce requiritur, Politica & Militaris; ad illam ſpectat Eloquentia; ad hanc Geometria & Architectura, parentes omnium artium, Mechanicarum. Non requiritur itaq; in Duce tanta peritia harum artium, vt in magiſtris illarum, ſed vt in Imperatore; qui non exſtruet ipſe pontes, aut machinas militares, neque ædificabit munitiones, aut explodet bombardas; ſed vt attendat ad omnes harum rerum profeſſores, & poſſit iudicio ſuo diſcernere,

nere, vtrum illi benè aut ſecus, hæc à ſe imperata exequantur. Vt autem ipſe optimè loquatur ad milites, artifices, legatos extraneos, & cunſiliarios ſuos, optimè ſtudere Eloquentiæ debet, & in hac excellere conabitur. Quam vt fũdamentaliter poſſidere valeat, Philoſophiam Naturalem, & Moralem diligenter leget. Mathematicam diſcet, Hiſtorias & Oratores euoluet, ſed maximè Coſmographiam in manibus habebit, ſi cognoſcere cupit ſitus locorum, atque genios populorum. Quapropter viros eruditos penes ſe fouebit, à quibus reliqua ex conuerſatione & diſcurſu diſcet. Ita Iulius Cæſar & Alexander Macedo; & omnes validiſſimi Principes atque Duces, qui poſtea Magni cognominati fuerunt; inter quos Ioannes Samoſcius qui & Orator ſummus in patria ſua fuerat, & Senator prudentiſſimus & Imperator feliciſſimus, & ſcriptor in vtraque Philoſophia celeberrimus, nec non eruditorum virorum fautor, & patronus ſingulariſſimus. Sed & Machometes II. Turcarum Imp. victorioſiſſimus, quamuis & natura Tyrannus, & inſtituto Prophetæ ſui, qui omnem litterarum cognitionem prohibuit. barbarus, egregiam attamen hac in parte laudem meretur, quod & viros eruditos penes ſe quamplurimos aluerit, & Hiſtoricos tam

veteres quàm Neotericos in linguam Turcicam trāſferri iuſſerit, quin & imagines Principum præſtantiorum atque Ducum ex eis depictas in ſuo palatio habuerit, vt non res geſtas modò ipſorū legere poſſet, ſed & vultus eorum virtutem quodammodo ſpirantes intueri, atque inde ipſe magis ac magis accendi ad gloriam.

CAPVT V.

De Experientia Ducis.

EXperientia rei militaris tribus ex cauſis agnoſcitur in Duce. Prima. ſi ſcit delectum militis facere. Secunda, ſi ſcit eum exercitare. Tertia, ſi ſcit illo ad aſſequendam victoriam prudente vti. Ob primam conditionem, laudem inter veteres merentur Pyrrhus Rex Epirotarum, & Marius Cóſul; inter recētioris memoriæ Duces, AlbericusBalbianus, & Georgius Scanderbergus. Ob ſecundam, Scipio Numantinus, & Domitius Corbulo ex veteribus; ex recentioribus verò Selimus I I. Turcarum Imp. exercendo ſuos Ianitzaros, & Saladinus Aegypti Sultanus, inſtituendo ſuos Mamaluchos; Apud nos verò Oſtaphæus Daſcouicius formando Coſachos Zaporoſéſes, & Rex Stephanus Batoreus faciendo Haiducos. Ob tertiam deniq;
Alexan-

Alexãder Magnus,qui triginta quinque millibus peditum , & ſeptem millibus equitum Aſiam occupauerat, & Iulius Cæſar, qui pluribus quidem legionibus hoſtes vincere ſolitus erat, ſed longè numeroſiores hoſtium exercitus profligabat, & cum fortioribus multò populis quàm Alexander Magnus bella geſſit: & quod maximum eſt, cum ipſis Romanis,&tâti nominis Imperatoribus.

Igitur peritiæ potiſſima in Duce ratio habenda eſt, vt ſit miles potiùs quàm vir bonus. Vnde Ariſtoteles. *In bellica præfectura maior reſpectus habendus peritiæ quàm virtutis, aut morum*. Non enim ſufficit bella incipere, aut ea velle gerere, ſed opus eſt omnia requiſita ſcire, & praxi ipſa experiri ; nam ſi quolibet in negotio homo nouus & inexpertus parum proficit, priuſquam rei experiẽtiam acquiret, tum maximè in re militari,vbi communiſſimè caſus & fortuna dominantur, quibus interuenientibus, impoſſibile vt Dux nouus poſſit pruden-ter, iudicioſè,& fortiter omnia quæ accident peragere, priuſquam praxim rei addiſcet & aſſidua armorum tractatione ingenium confirmabit. Eapropter Romanam Remp.non Imperium tantũ, ſed & ſalutem arti militari debuiſſe prudentiorum nemo dubitat. Nulla ſiquidem magna ciuitas aut regnũ quie-

ſcere poteſt;ſi ſortis hoſtem non habet, domi inuenit: bellis autem Reſpublicę implicatę, à periculis omnibus & mutationibus ſunt immunes. Ideo ſtante adhuc Republica Romana, nemo militiam detrectare poterat, quem non ætas, aut fracta valetudo, aut alia iuſtiſſima cauſa excuſaret, quòd aſſiduè cum vicinis belligerandum eſſet, vt pax domi maneret; quemadmodum nunc faciunt Turcæ. Hoc autem imprimis ſtudioſè curabant Primates Romanorum, vt à teneris filij eorum militiæ aſſueſcerent, nec voluptati, aut otio ſe darent; quia ſciebant eos aliquando militibus præficiendos, quos nemo cum laude gerit, qui non diu & ſubeſſe didicit, & militare. *Nemo enim*, inquit Seneca, *benè imperat niſi qui ante paruerit imperio*, vt & Iulius Cæſar fecit, qui prima ſtipendia, teſte Suetonio, in Aſia peregit, primuſq; poſtea Romanorum Imperator fuit, qui rebus geſtis omnes quotquot hactenus in Orbe Duces bellicoſiſſimi fuerunt, atque ipſum Alexandrum Magnum ſuperauit. Quapropter in Pretura militari, opinione Philoſophi, vſus magis quàm virtus ſpectari debet, quem, qui negligunt, patriæ non ſtudent. Olim Pompeius cum alacribus ſaltu, cum velocibus curſu, cum validis vecte certabat, vt par futuro Imperio fieri poſſet.

Neque

Neque enim aliter ille potuiſſet par eſſe Sertorio, niſi ſe, & milites, frequentibus exercitijs præparauiſſet ad prælia Aetas noſtra quatuor ſummos Imperatores vidit, qui aſſidua meditatione armorum, peritiam rei militaris aſſecuti fuere, Henricum IV. Franciæ Regem, & Guſtauum Adolphum Suecię, tum Mauritium Naſſouium Auraſiorum Principẽ, atq; Caroſum Ghodkieuicium Magni Ducatus Lituanię Supremum exercituum Ducem, quibus cũ multa ignens animus, tùm omnia ferè ad aſſequendam gloriam continuũ à teneris exercituum dederat. Hodie peſſimo exemplo tota ferè in Europa etiam pueros, aut adoleſcentes immaturis honoribus corrumpunt; adeo, vt plurimi ante ſint Duces, quàm ferulę maternę manum ſubduxerint, aut per ætatem ſapere poſſint. Quàpropter ſciant Reges & Reſp. peſſimè ſecum agi, ſi rei militaris imperitos, qui ſe otio magis quàm bello dedere, virtute neglecta, iniuſtus fauor militibus pręficiat.

CAPVT VI.

De Ingenio, & Induſtria Ducis.

NOn ſufficit Ducẽ eſſe Scientijs imbutum, & bellicę rei peritũ, opus eſt etiam vt ſine mora, tempore neceſſitatis, poſſit mõſtrare ingenium ſuum, & induſtriam, caſus aduerſos in bonum

interpretando, ſedando tumultus militum. aut conſternatorum, aut ſeditioſorum; excogitando dolos ſeu ſtratagemata; conciliando ſibi hoſtes; prouidendo commeatus; inueniendo nouas machinas, aut arma, & id genus ſimilia quibus de ſe opinionem ingentis prudẽtiæ & dexteritatis, tàm apud aduerſarios quàm apud ſuos conciliare poſſet. Nã quædam ingenia ſunt vulgaria plebeia, parua, deiecta, quæ in anguſtas damnata cogitationes, nil animis altum concipiunt, nil præclari cogitant, nec è ſua humilitate excedere audent. Tali ingenio Dux præditus nihil ardui ſuſcipiet, nihil magni cogitabit, nec præuenire hoſtem audebit, nec obſidionẽ aliquam difficilem aggredietur, aut aggreſſam perficere poterit, neſciet poſſeſſam prouinciam retinere, aut victo acie aduerſario victoriam proſequi, ſed contentus felicitate pugnæ domum reuertetur, aut præda ſeſe occupabit. Propterea non ſunt æſtimandi Duces ex indolis, quam habent bonitate, ſed ex operũ quæ faciunt, vel præſtãtia, vel prauitate.

Alia ingenia ſunt, nimia mobilitate, vaga, futilia, fluxa, euanida; quę nullo ſuburrata pondere inſtabili huc illuc motu feruntur, fluida tantum leuitate, conſtantia. Dux tali ingenio nihil præſtantis efficiet, ſed huc & illuc vagabitur

cum

cum exercitu donec eum perdat aut pereat ipſe. Ita noſtra ætate Mansfeldius contra Regem Hiſpaniarum, & Ferdinandum II. Imp. modò Danum iuuabat, modò Hollandos, modò Haſſium & rebelles, & nullibi inſignem bello operá edidit, licet ſæpiùs numeroſiſſimum exercitum habuiſſet. Tandem ad Gaborium in Tranſyluaniam profectus nullo edito ingenij ſui ad poſteros militari monumento, inglorius obijt, relictis in Sileſia quadraginta millibus armatorum adtrucidandum Ferdinando Imper. qui eos breui poſt per Duces ſuos ad interuecionem ferè deleuit.

Itē ſunt ingenia tarda, dura, pinguia, retuſa, hebetia ad cogitandum, ad iudicandum imparata, ad capiendas diſciplinas, niſi immanem adhibeant laborem, incommoda. Talia omnino ad militarem Præfecturam ſunt inhabilia, nec digna nomine aut officio Imperatorio. Quibus cognatione quadam accedunt ingenia tortuoſa, perplexa, intricata, multiplicia, quæſuis implicata veſtigijs hærent, vt ſe euoluere atque expedire nequeant. Et proinde ad Imperatorium munus inepta, vtpote quę omnia cõſilia perturbãt & nullũ in caſtris ordinē poſſunt ſeruare, aut in agēdo celeritate vti. Iā autē in bello ſępenumero inopinati tumultus ingruētes, tumultuariā quoq; vtilis conſilij rationem expedire cogũt.

Quo

Quò fit, vt è re nata, & difficili, promendum ſæpè ſit ſubditum conſilium. Nam in rebus bellicis, *inſperata accidunt magis*, vt inquit Plautus, *quàm quæ ſperes*.

Sed inuenies & ſubdita ingenia atq; extemporanea, ſubtilia, prompta, elegantia, quę celeri ad cogitandum motu facilè quæque compręhendunt, ſed memoria parum fida, & iudicio infirmo. Talia ſanè ingenia Ductoribus cohortium aut legionum potius, quàm Ducibus ipſis conuenire poſſunt; qui dolos in hoſtem excogitabunt, & modum oppugnandi vrbes, ſed iudicio Imperatoris ſubmittent, quem non modò acutum & perſpicacem, ſed & iudicio firmo vaſtaq; memoria pollentem eſſe oportet.

Reperies etiam ingenia grauia, robuſta valentia, acri iudicio, ſingulari ſolertia, quę in arduis verſata negotijs, quo tardiores, eo ampliores ſtudij conſtantięq; ſuę fructus proferunt; Et non tantùm ad regimen ciuile ſed & ad Militare quoque ſunt aptiſſima. Talis M. Marcellus teſte Liuio fuit qui *nihil ita gerebat, vt aut fortunæ, aut temere hoſti commiſſum dici poſſet*, Nā vt dicit Plutarchus. *Fortuna id vnū hominibus non aufert, quod benè fuerit conſultum*. Nemo autem melius conſulere poteſt, quam qui iudicio acuto, & ſolertia ſingulari præditus eſt.

Neque deſũt etiam temperata & mediocria ingenia, quæ inter fluxam leuitatem, & ponderoſam poſita tarditatem ad cultum humanitatis & bonarum artium imprimis valent. Sed nec in bellis ſpernenda omnino ſunt, quia animos militum ſibi conciliant facilè, & aduerſariorum ſectatores ad ſe pelliciũt optimè. Talis apud Perſas Metabarzenes fuiſſe dicitur, *quo neque aſtutius alicuius Imperatoris*, inquit Probus, *cogitatum, neque celerius factum*.

Omnem verò virtutibus implent fructum, ingenia illa diuina, præclara, eximia, diffuſæ vbertatis, expeditæ celeritatis confirmatæ ſtabilitatis, quæ in rem omnem tempuſq; cómoda, ardua quæ: quæ animosè ſuſcipiunt, & dextrè perficiunt; tam ad inueniendum prompta, quam ad iudicandum acuta, & ad memoriam diuturna & firma. Et talia tam in ſagoquam in toga pręcipuo loco cenſentur. Qualis erat olim Scipio Africanus, qui ſua induſtria conciliauerat ſibi animos Hiſpanorum, Siculorum, Maſſiniſſę & Sifacis; ęorumq; ſumptibus armauerat ingétem exercitum in Carthaginenſes. Nuper ſimiliter Guſtauus omnibus militaribus virtutibus præditus & ingenio diuino, Germanorum viribus Germaniam occupauerat, & oppugnabat domum Auſtriacam. Sed ex veteri-

veteribus L. quoque Sylla nimium laudatur. Cui inquit Salluſtius, *nunquam ſuper induſtriam fortuna fuit; multique dubitauere fortior an felicior eſſet; & cui ad ſimulanda conſilia altitudo animi incredibilis.*

CAPVT II.

De Vigore, & Alacritate Ducis:

VIger in Duce maximè in hoc cóſiſtit, vt lubens lubenſq; & non coactus, expeditionem belli aggrediatur; vt deliberata in conſilio, promptè, & alacriter exequatur: vt ſuſceptam expeditionem conſtanter vſque ad finem deducat, vtq; ſemper tàm in pugna, quá etiam ante pugnam, ardoré animi vultu oculiſq; præferat, & nuſquam deſperatum animum ſuis militibus oſtendat, aut deſperatam vocem emittat. Quid enim audeant, ſi te videant ſegnem, & velut animi captum, huc illuc clamoribus circumagi? Profecto neceſſe eſt ad fugam parati ſint, qui Ducem ſuum ſentiút deſperare. Excita igitur & doce, quo timoris minus ſit eò minus fermè periculi eſſe. Séperq; in prælio his maximú periculum eſſe, qui maximè timent audaciam pro muro haberi.

Et quia nulla res magis in bello valet, quàm celeritas non ſegnis; ideo Dux ſit

alacer

alacer, vegetus, expeditus, & promptus in exequendo ea, quæ in conſilio determinauit, Vnde Otto Imperator dicere ſolebat. *Nullus cunctationi locus eſt in eo conſilio, quod non poteſt laudari niſi peractū, quapropter conſultare oportet lentè, conſulta exequi feſtinanter.* Ne deinde accidat id, quod de Fabio Valente Tacitus ſcripſit. *Quod inter ancipitia deterrimum eſt, dum media ſequitur, nec auſus eſt ſatis, nec prouidit. Inutili cunctatione agendi tempora conſulendo conſumpſit*; Nam in omni negotio bellico hæc tria potiſſimum requiruntur. Conſultatio, Determinatio, & Executio. In qua re vltima præſtabat M. Agrippa, & Septimius Seuerus, vterque enim per omnia extra dilationes fuit poſitus, conſultiſq; facta coniungens. Quibus apud nos perquam ſimilis erat Vitoldus: Apud Valachos Stephanus Palatinus Apud Hungaros Ioannes Huniades apud Albanos Georgius Scãderbegus; apud Regem Hungariæ Ioannem, Hieronimus Laſcus Palatinus Siradienſis. Sed Alexãdrũ M. & Iulium Cæſarem, nemo vnquã hac in re ſuparauit. Et de Alexandro quidem Q. Curtius dicit. *Nullam virtutem Regis iſtius magis, quàm celeritatem laudauerim.* De Cæſare verò Suetonius, *Vt perſæpè nuncios de ſe præuenerit.* Eadem celeritate valuit Selimus I. Turcarum

Imp.

Imp. qua Syriam atque Aegyptum occupauit, & Ferdinandus Corteſius in Nouo Orbe; & Gaſton de Foix, Regis Galliæ copiarum Præfectus, qui in ſpacio quindecim dierum, liberauit obſidione Bononiam, profligauit ad Villáfrancam Venetos,& Brixiam recuperauit Se & Totilas Rex Gottorum, ob celeritatem in agendo, laudem inter bellicoſos Duces promeruit. Et apud nos in Polonia Romanus Sanguſcus, & Alexander Liſouius hac eadem arte ſunt celebres, quod vterque Moſcorum copias & regna, ita ſua celeritate opprimeret, vt nullus eorum Dux aduentū ipſorum præſentire, vt manus effugere poſſet.

Sed non tantum ſi alacer Dux in aggrediendo ea quæ in deliberatione determinauit, verum etiam perſeuerans in perficiendo, vbi reſiſtentiam præter opinionem ſuam nactus fuerit. Qualiter Appius Claudius fecit; qui cum Veios obſideret, nec oppugnare vrbem abſque ingenti damno ſuorum poſſet; nec ad promouendam in longum obſidionem ſufficientem apparatum haberet, recedere tamen noluit, populoq; Romano continuationem omnino ſuaſit. *Hic*, inquiens, *ſit error nominis noſtri, vt exercitum Romanum non tædium longiquæ oppugnationis, non vis hyemis ab vrbe circumſeſſa ſemel*

ſemel amouere poſsit, nec finem vllum aiium belli, quam victoriam nouerit, nec impetu potius bella, quàm perſeuerantia gerat. Qua perſeuerantia Rex Hiſpaniarum vſus eſt in obſidione Oſtendæ, Poloni in expugnatione Boleſlauecie & Nacli, Rex Galliarum Ludouicus XIII. in euerſione Rupellæ. Stephanus Battoreus in obſidione Polociæ. Zamoſcius in obſidione Pleſcouiæ. Sigiſmundus III. in expugnatione Smolenſci, eiuſq; filius nuper Sereniſs. Vladislaus IV. ibidem in obſidione caſtrorum Moſcouiticorũ, vbi & cælum nimiùm rigidum eſt, & commeatus ob rariſſimas populationes, vias vliginoſas, vaſtitatemq; ſyluarum valdè diſſicilis fuit. Vt igitur in pericula Dux bellicus audax eſt & alacer ita in ſupportatione moræ, inopiæ, atque iniuriarum cæli ſit patiens, vegetus viuax, & ad omnes caſus promptus, quo milites etiam vultum ipſius conſiderantes, ſint ad omnia expediti & vigoroſi, nullam deſperationem in rebus diſſicillimis animo concipientes.

CAPVT VIII.

De Magnanimitate, & Fortitudine Ducis.

Fortitudo ſecundum opinionem Ciceronis eſt, conſiderata periculorum

lorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio. Eius partes Magnificentia, Fidentia, Patientia, & perſeuerantia. Ex quibus ſanè fit Magnanimitas, quæ eſt rerũ magnarum & excelſarum, cum animi ampla quadam & ſplendida propoſitione, agitatio, atq; adminiſtratio. Magnus enim & à natura ipſa ad honeſtatem conformatus animus, nec aſperitatibus terreri, nec vlla vtilitatis ſpecie à recto amoueri poteſt. Et Dux belli tali animo præditus excelſa quæque cogitat; difficilia aggreditur; ſpernit mortem ſuſtinet incommoda, non quærit lucrum aut diuitias, ſed conſtanter perſeuerat in propoſito, vnde immortalem gloriam aſſequi poſſit. Tales cum fuerint infiniti, nouem attamen præcipui atque incomparabiles Heroes eſſe dicuntur. Tres Iudæi, Iudas Machabæus, Ioſue, & Dauid. Tres gentiles ſeu pagani. Hector, Alexãder Magnus, & Iulius Cæſar. Tres denique Chriſtiani. Cerolus Magnus, Arthurus britanus, & Gotifredus Bullonius. Cæterumquo ad Magnanimitatem, & Fidentiam, M. Marcellus teſtimonio ipſius Annibalis celebratur, q̃ primus poſt tot caladesacceptas auſus eſt Marte aperto cum Pœnis congredi. Vnde Annibal eum in acie conſpicatus dixiſſe fertur. *Cum eo nimirum nobis hoſte res eſt, qui nec bonam, nec malam ferre fortunam poteſt;*

ſeu

ſeu vicit fortiter inſtat victis, ſeu victus eſt, inſtaurat cum victoribus certamen. Sed & Marſes prætereundus non eſt, qui à Iuſtiniano Imp. cum exercitu in Italiam miſſus, tales tantaſque res geſſit, tantas confecit expeditiones, tot Reges vicit, tantaſq. de hoſtibus victorias reportauit vt in vno ſuo robur Herculis audaciam Hectoris, generoſitatem Alexandri, ingenium Pyrrhi, & Fortunam Scipionis eſſe Romani affirmarent. Ex ijs autem qui ducti magnanimitate ſpreuerunt multitudinem aduerſariorum, & paucis ſuis militibus, numeroſiſſimos hoſtium exercitus profligarunt, Polonia noſtra habuit ferè infinitos. Et nuperrimè Nicolaus Potocius Dux militiæ Regni Cãpeſtris, ad coercendum rebelles Coſachos Zaporoſenſes miſſus, qui ducibus Pauluco & SKidano vltra quadraginta millia congregati, inſolenter ſe ſe geſſerant prouinciales vexando, nobilitatéq; Catholici ritus (nam ipſi omnes Schiſmatici ſunt, Græcanici ritus) occidendo, & inſurgendo in Dominos ſuos, quorum ſubditi erant. Igitur Paulucus relicto certo in loco benè munito cum reliqua multitudine, ſocio ſeditionis SKidano, ipſe cum ſelectoribus quindecim millibus ſclopetariorũ, & octo millibus gregariorum more ſuo carraginibus vallatus, in cãpos apertos obuiã Po-

tocio

tocio proceſſit, hactenus octo maiores bombardas ſecum, vtinopinatum aggredi poſſet & circumuenire, eo quòd intellexiſſet cum vix duo millia Polonorum penes ſe habere, & tormenta bellica nulla; præterea maiorem partē eorum equites eſſe. Potocius itaque conſpecto aduerſario, indignum retrocedere ratus, magno animo concurrere ſuos iuſſit, & cæſis ex eis vndecim millibus in acie, tormenta maiora accepit, fugienteſq; ad SKindanum inſecutus, ita fortiter eos, vbique ſeſe opponentes, cecidit, vt & Ducem ipſorum Paulucū, & chiliarchas præcipuos, viuos ceperit, adq; Regem Varſouiam miſerit, potitus omnibus ſignis, ſigillo, priuilegijs & inſignijs ipſorum. Ita enim ſæpiùs fortes ac generoſos animos Superi aduerſis probant, eoſque docent dura ac difficilia non formidare, & ſeſe cum fortuna luctando, ac pugnando exercere, vt egregia contentione, quid eorum virtus valeat, poſſint vniuerſo Orbi oſtēdere.

CAPVT IX.

De Temperantia & Abſtinentia Ducis.

QVia intemperantis animi motus ſemel admiſſi, liberas mētes ſubigūt, & impotētes ferūtur in libidines,

dines, ideo Dux bello deſignatus ſit tẽperans & quantum ad caſtitatem, & quantum ad attrectationem rei alienæ, ſed in omnibus ſe præbeat generoſũ ſobrium, modeſtum, frugalem, vt poſſit ſuo exemplo milites bonõs efficere. Alias *non poterit exercitum is continere Imperator*, inquit Cicero: *qui ſeipſum non cõtinet, neque ſeuerus eſſe in iudicando, qui alios in ſe ſeueros eſſe iudices non vult* Iam autẽ præcipua militis virtus eſſe debet, erga ciues patriæ, modeſtos, humanos, clementes, contra hoſtes verò, feroces & crudeles ſeſe exhibere. Hæc non niſi ab imperatore diſcet, qui imprimis Caſtus oportet ſit, ne voluptarijs diſtractus hinc inde cupiditatibus, rerum curam poſthabeat maximarum, vt fecit Antonius, cuius animus vt in corpore amicè viueret, in ipſo moriebatur. Et quamquam dimidium imperij adminiſtrandum haberet, & infinita negotia; nullis tamen vacare poterat, nec legatos audire, nec hoſtium conatus animaduertere, nec res ad bellum neceſſarias præparare, nec amicorum, & ſociorum amicitiam fouere. Adeo enim Cleopatra mentem eius detinebat, vt ne per horam quidem ipſam ad munia publica referre poſſet. *Itaque Imperaturus refrenet primum libidines*, inquit Cicero, *ſpernat voluptates, animi labes repellat; tum*

incipiat

incipiat alijs imperari, cum dedecori, & turpitudini parere deſierit. Maximè autem auacitiam fugiat; quia ea ſola ſumma authoritas in Duce eſt incorruptè, & magnificè præeſſe exercitui. Exemplo Pyrrhus Epirotarum Rex, qui bello cũ Romanis ſuperior captiuos omnes gratis remiſit, teſtatus coram legatis Romanis, qui ciues ſuos auro redimere curabant, ſe non mangonum more cum Romanis negociari, ſed certare tantum de hloria, & imperio. Idem fecit Zamoſcius cum Moſcouitis, quibus nobiles fœminas captas, honeſtè habitas abſq; vllo litro remiſit, barbaroſq; eorum animos in ſui admirationem conuertit, qui palá teſtati ſunt, ſe nuſquam paſſos eſſe vt ſimiliter cum Polonis matronis procederent, ſi eas captiuas haberent. Plerique enim viri fortes vmbonum haſtarumq; micantium ſtricturas oculis contra ſpectant irretortis, at auri nummorumq; fulgorem aut faciei venuſtæ formam, non vſquequaque ſuſtinent, mentiſque aciem habeſcere patiuntur, vel libidine incitante, vel auaritia.

Sobrium quoque Ducem eſſe oportet vt in arduis, negotijs parãdis putandiſq; peruigilet. Noctu enim quaſi ſilente, & quieſcente animo, multa Ducis cogitatio molitur ac perficit. Hinc Iulium Cæſarem fortunam ſibi fabricantem tempe-

temperantiæ addictum fuiſſe, ſcripta ſuper eo edita teſtificantur, adeò vt Marcus Cato dixerit. *Vt vnum ex omnibus Cæſarem ad euertendam Rempub. ſobrium acceſſiſſe*. Nam Catilinæ coniurationem nihil aliud niſi ebrietas ipſius perdidit. Vnde Dux belli à poculis abſtineat, inq; omni tempore & re frugi ſit, quia facultates exhauriunt & exſiccant frequentia conuiuia aut compotationes, prodigiaq; familiarum miniſteria. Similiter & Tribunorum immoderati ac intempeſtiui ſumptus, in veſtes gemmas, luxus atq; delicias, dant occaſionem ad rapiendum per vim aliena. Hinc ex verò inquiebat Cyrus ille Xenophontæus. *Parſimoniam firmiſſimum eſſe ; enu verū agendorum*. Scanderbegus verò inclytus ille militiæ Dux dictabat ; *belligerandum ita eſſe hodie, vt cras etiam belligerare poſſimus*: habendus itaque apparatus rdiſpenſandę vires, partiendum ita;patrimonium, vt quotidie emergentibus nouis creditoribus ſoluendo eſſe poſſimus.

CAPVT X.

De Comitate & Affabilitate Ducis.

NVlla in viro nobili virtus affabilitate & comitate amabilior. Quid in Duce belli? his vt hoſtes ad ſe alliciat,

vt prouinciales in obedientia retineat, vt milites in diſciplina conſeruet, vt agreſtes noua de ſuo aduerſario adferentes excipiat, vt per paganos hoſtium occupationes cognoſcat, vt p ſpeculatores conſilia eorū exploret, neceſſe vt facilis ſit in admittēdo, comis in alloquendo, & affabilis in prouocando eiuſmodi homines ad narrandum, quę ſciunt, aut ſentiūt, aut iā fecerūt. Aliter, ſi vel ſuperbia elatus, vel crudelitate ſeuerus difficilē adytum accedentibus ad ſe præbebit, in maximas difficultates incidet, cum neſciet conatus & conſilia aduerſariorum aut ea iam poſt tempus ſciet. Veteres Imperatores hac virtute diuini habebātur, ſed præcipuè Alexander Magnus, & Iulius Cæſar. Quinimò & Marcus Antonius antequam à Cleopatræ illecebris eius animus corrumperetur. Traianus quoque Imp. ob facilitatem & beneficientiam in omnes, omnibus amabilis erat, nulliq; formidandus, præterquam hoſtibus. Sæpiùs ſiquidem deliberationibus actionibuſq; amicorum interérat, militum animos iocis & dicterijs excitabat, ægrotantes & ſauciatos viſitabat, donabat, conſolabatur. Eius exemplo Carolus quoque Quintus, adeo fuit facilis aditu alloquioque, vt priuatum in modū ſe demitteret, ſecurus vbique maieſtatis ſuæ. Atque, vt erat verſa-

verſatili ad omnia pariter ingenio, mores exteros ita induebat, vt non minus cum Germanis Germanum ageret, Italumque cum Italis, aut cum Hiſpanis Hiſpanum, quàm Belgis ſuis ſe Belgam præſtaret. Indignus enim amore ille, Imperator eſt, qui erga eos, qui multis ipſum plenisque demerentur obſequijs, verborum etiam commodorum parcus eſt. Quod Zamoſcius probè ſciens, cum diuerſarum nationum & linguarum, milites in caſtris ſuis haberet, omnes ſibi liberalitate & beneficientia comprimis, deinde affabilitate & facili acceſſu dicto obedientes efficiebat vt illius amore omnia incommoda ſufferēt, omnia pericula ſubirent. Nulla enim tam eſt fera immanis belluà, quæ nō humanitatis cultu manſueſcat; nullusq; hominum animo adeò indomito, vt leniter habitus beneficentia non miteſcat. Trahebant ad ſe animos omnium ſua humanitate Tyllīusl, liberalitate Bucquoius, comitate Dampierus, facilitate Papenheimius affabilitate Picolomineus. Sed his omnibus virtutibus præcellebat Guſtauus, vt de illo velut de C. Cæſare dici veriſſimè poſſit, quod fuerit ſpecimen humanitatis, ſalis ſuauitatis, leporis, beneficientiæ. Ipſe enim gregarios viſitabat ægrotos, ſolabatur deficientes, excitabat vacillantes: commeatu & pe-

cunijs prouidebat egentibus, vt patrem eum ſui milites non Regem appellarét. Non parum igitur præſidij erit, Ducem belli eligere, vulgi commendatione, ob humanitatis cultum, & amabilem quãdam comitatem, probatum. Qué enim homines ſpontaneą volũtatum inclinatione cordi habent; eius facilimè imperio parent, dicto audiunt, periculis ſubueniunt, decertantemq; protegunt. Expertus Conſtantinus Oſtrogius, qui in ſuis expeditionibus nũ alia re glorioſus, aut victor exſtitit, quam amore militũ, & fauore agricolarum, qui ad eum omnia, quæ vel viderant, vel inaudierãt de hoſtibus, exemplò referebant. Qua in re, quam diligens & aſſiduus Imperator eſſe debeat, capite ſequenti videamus.

CAPVT XI.

De Diligentia, & Labore Ducis.

DVx cui tantæ poteſtatis inſignia tribuuntur, cuius fide, atq virtuti poſſeſſorum fortunæ, tutela vrbium, ſalus militum, Reipub. creditur gloria, non tantùm pro vniuerſo exercitu, ſed etiã pro ſingulis contubernalibus debet eſſe ſolicitus. Siquid enim illis eueniat in bello, & ipſius culpa, & publica
vide-

videtur iniuria. Hinc apud Græcos laudatur Themiſtocles, quod prudenti ſuo conſilio ſeruauerit Athenas. Epaminondas, quòd illuſtrauerit ſuis victorijs Thoebas. Xantipous, quòd ſuo ingenio iuuerit Carthaginenſes, toties victos à Romanis. Fabius Maximus apud Romanos, quòd ſua cunctatione reſtituerit rem Romanam; & alij infiniti, qui officij ſui diligentes fuerunt; ſed inter eos maximè Conon, de quo Probus, *Et prudens rei militaris, & diligens erat imperij*. Similiter Paulus Aemilius, qui nullam rem non attentauit ipſe, nullam non fecit. Ex recentioribus verò Ferdinandus verò Marchio Peſcaræ hac in parte laudetur, tum quoque Franciſcus I. Rex Galliæ. Nuperrimè verò Cuſtauus Rex Suecię, atq; Carolus ChodKieuicius, copiarum Magni Ducatus Lituaniæ Magnus Polemarchus, qui identidē illud M Catonis repetere ſolebat. *In bello nihil tam leue eſt, quod non magnæ interdum rei momentum faciat*. Proinde quæquæ minima ipſe videre, ipſe ſcire volebat, & quis Comes, qui tribunus, quis domeſticus, quis contubernalis, & quantum poſſit in bello, velut alter Annibal probè cognoſcebat, & nominatim velut Mitridates vnumquemque appellabat;

Talis quoque olim apud nos Boleslaus Criuouſtus Rex Poloniæ dicitur fuiſſe;

& patrum memoria Nicolaus Melecius Polonicarum copiarum Magiſter. Igitur ſit diligens officij ſui Imperator, & patiens laboris, vt non primus à militia deficiat, ſed poſtremus. De Cæſare Tranquillus. *Laboris vltra fidem patiens erat, & in agmine nonnunquã in equo, ſæpiùs pedibus anteibat, capite detecto, ſeu ſol, ſeu imber eſſet.* Et apud Lacedæmonios Ageſilaus exiſtimabat; *Imperatorem decere potiùs vt tolerantia, quàm mollitia priuatis hominibus præſtaret*; ideoq; ipſe cum laborandum exercitui eſſet, ſponte ſua ſupra cæteros laborabat, quod arbitraretur eiuſmodi omnia militibus eſſe ſolatio. Similis ipſi fuiſſe memoratur apud nos Conſtantinus Oſtrogius, qui ter, & tricies non minus ſua felicitate, quàm diligẽtia & labore, victor exſtitit; ſingula enim militaria munia ipſe obibat; ſingula prudentis Imperatoris officia, per ſe exequebatur; & velut alter Cecinna, ſecundarum, ambiguarumque rerum ſciens, eoq; interritus ſemper fuit. Qualiter etiam Catonem Liuius laudat, *In parſimonia*, inquit, *in patientia laboris, periculiſq; ferrei propè corporis animique.* Sed & Carolus V. in bello contra rebelles, licet totus podagra grauatus eſſet, nec poſſet pedem in ſtaffa tenere, ligatum nihilominus & ſuſpenſum faſcia in equo tota die tenuit, totaque

hyeme

hyeme ſub padilionibus manſit, memor dicti Veſpaſiani. *Imperatorem ſtantem mori oportere*. Sit igitur Dux plerumq; in opere, ac in agmine gregario militi mixtus, incorrupto tamen ſemper Ducis honore.

CAPVT XII.

De Exemplo Ducis.

QVia magis paucis mentes humanæ exemplis, quam verbis mouentur plurimis, ideo ſi quid ſubitò confici oportet Imperator, primus ipſe manu operi admota conſpicitur. Nec enim militũ vulgus adeò potentiorum comminationibus cogitur, atque præſtantium dignitate virorum exemplis ad opus prouocatur. Vide Alexandrum in oppugnatione Tyri vrbis, *Cum*, inquit Polyænus, *amplam foſſam mœnibus Tyriorum, dilectam ſuperare cuperet, primus ipſe corbem arena refertum apportauit: Macedones cum Regem ſuis manibus opus facere viderent, cõfeſtim abiactis clamydibus celeriter loca exæquarunt*. De Caracalla verò Herodianus ſcribit. *Ipſe vtique nullum non militiæ munus obire, & ſiue quid fodiendum foret, primus fodere, ſiue pons flumini imponendus, aut exſtruendus ager, ſiue quod opus manu*

faciendum, ut labor ſubeundus, primus omnia occupare. Ita etiam Nero in Achaia Iſthmum perfodere aggreſſus, primus raſtello humum effodit, & corbulæ congeſtam humeris extollit. Et Veſpeſianus Imp. cum reſtituere Capitolium aggreſſus eſſet, ipſe ruderibus purgãdis, manus primus admouit, ac ſuo collo quędam extulit, inquit Suetonius. Simile refert Choniates de Manuale Imperat. *Vrbis*, inquit, *Dorilæi inſtaurationem aggreſſus, ipſe primus ſaxa humeris portare cæpit; eaque re aliorum alacritatem ita excitauit, vt murus celerrimè in altum erectus, vallo extrinſecus muniretur: & intra mœnia puteti complures, vt affatim aqua ſuppeteret, effoderentur.* Et Vitoldus Lituaniæ Princeps illud Valerij Coruini ſæpiùs dictare ſolebat. *Facta mea non dicta vos milites ſequi volo; nec diſciplinam modò, ſed etiã exemplum à me petere.*

CAPVT XIII.

De Prudentia atque Prouidentia Ducis.

PRudentiam à prouidendo Latini dixerunt, quod per eam animus & futura præuideat, & præſentia diſponat, & præterita memoria teneat. Nam qui de præteritis nihil cogitat, vitę obliuiſcitur: qui futura non proſpicit, multis peri-

periculis obnoxius eſt, in omniaq; malè cautus incidit. Vera igitur prudentia eſt,& cognoſcere quid petendum fugiẽdumq; ſit, & quibus vijs tũ ipſe eo peruenire, tum alios eodem perducere commodiſſimè poſſit: nihil temere atq; inconſideratè agere,ſed vnaquaque in re,quid rerum,perſonarum, locorũ,temporum,varietas poſtulet diiudicare. Ex quo Prouidentiam quoque Cicero ſic definiuit. *Prouidentia eſt, per quam futurum aliquid videtur antequam factum ſit.* Quod nimirum prudentum non tàm corporis, quàm animi oculi, nullis Aduocatis adhibitis, exactè & minutatim omnia,& à longè contẽplentur. Et hanc verè Ariſtoteles ait eſſe propriam virtutem imperantium; nam ex præteritis & præſentibus, ea quæ deinceps euentura ſint colligit,cauſas reuidet; rectè de rebus iudicat: ſibi,ſuiſq;in longum proſpicit; & impendentia mala ſapiẽter auertit. Et propter Prudentia in Duce habetur tanquam oculus, & vigor animi, de quo ſupra egimus,tanquam manus;ſine illa omnis beltator cæcus, ſine iſta impotens. Nã prudentia ſubminiſtrat conſilium,vigor animi fortitudinem, illa imperat,iſta exequitur: illa præuidet difficultates, iſta peruincit: illa confirmat iudicium mediantis,iſta corroborat cor præliantis. Maximè autem requiritur

prudentia in Duce, vt omnes caſus aduerſos, qui in bellis accidunt, ſciat in bonum dextrà interpretari, vti faciebat Germanicus teſte Tacito, *quæ caſus*, inquit, *congulerat in ſapientiam conuertenda ratus*, milites ſuos animabat ne conciderent metu leui ex re orto, vti ſæpius in caſtris accidit. Id autem eſt & viri & Ducis, non deeſſe fortunæ ſeſe præbenti, & caſu oblata flectere ad conſilium, vti Pericles fecit, qui territis ſuis Athenienſibus obſcuratione ſolis, tali vſus eſt ad animandum prudentia. Gubernatorē ſuæ triremis perterritum ob eandem cauſam conſpiciens, oppoſita ad eius faciem chlamyde, velatiſque oculis rogauit; nunquid horrendum eius rei ſignū putaret? abnuenteque illo. Quid igitur intereſt, inquit, aut quid diſtat hoc ab illo, niſi quod maius quiddam chlamyde eſt illud, quod nunc tenebras agit. Prudentis itaque eſt, pro temporum ratione hominum ingenia ad commoditates ſuas applicare, & accurata cum cōſideratione res arduas & periculoſas aggredi. Hinc tres partes Prudentiæ dicuntur eſſe Memoria, Intelligentia, & Prouidentia, vt illi qui præſunt cæteris, bonarum & malarum rerum ſcientiam habentes, prudenter eis imperent, doceantque eos fidem colere, iuſtitiam retinere, alijs æquo animo parere, labo-

res pro communi vtilitate ſuſcipere, proque gloria publica fortiter dimicare ſiue ſecũda fortuna faueat, ſiue aduerſa. Sed de hac capite ſequenti.

CAPVT XIV.

De Fortuna, ſeu Felicitate Ducis.

DVcis belli quatuor præcipua requiſita eſſe aiunt. Longam bellicæ rei experientiam, Egregiam virtutis famam, Longe reſplendentem authoritatem, & Fortunæ fauentis afflatum. De experientia itaq; & cæteris virtutibus in Duce requiſitis, ſuperioribus capitibus ſatis prolixè diſputauimus. De authoritate illius capite vltimo dicemus; de Felicitate verò nunc breuiter diſſeramus, & ſic librum iſtum ſecundum Inſtitutorum rei bellicæ finiemus.

Felicitas itaque Ducis, non procedit à perſona ipſius, ſed vt plurimum à cauſa belli iuſta, quàm Deus ipſe promouet, vti experientia ſæpiùs compertum eſt. Nam & Andreas Doria nil memorabile fecit, cum militaret ſub auſpicijs Franciſci I. Regis Galliæ, & in expeditione Sardicam contrariam fortunam expertus eſt. Cum verò eſſet in ſeruitio Caroli V. inſignes victorias obtinuit. Et Rentius fortiſſimus Dux fuit, cum pro

Venetis militaret: infeliciſſimus cum apud eundem Regem Galliæ Franciſcum I. & apud Clementem. VII. fuiſſet. Licet igitur felicitas non ſemper comitetur virtutem (quia Deus dat etiam proſperitatem & Gentilibus, & Hæreticis & Machometanis contra malos Catholicos) tamen communiter bonos & pios, iuſtaque ex cauſa arma ſumentes Principes fortuna iuuat, vt nunc vidimus in Germania, quomodo omnes aduerſarios ſuos Ferdinandus II. Imp. feliciter deuicerit, Duceſq; illius pro Imperij maieſtate & religione Catholica pugnando, paruis ſæpè copijs, glorioſiſſimas victorias obtinuerint. Cum autem miles videt Ducem felicem, & proſperos belli ſucceſſus, ſequitur ſigna abſque timore, & pro cauſa iuſta, certam ſibi pollicetur victoriā. Sylla hanc laudem habebat, quod XV. millibus peditum, & mille quingentis equitibus, profligauerit Archelaum & Taſſilem Duces Regis Mitridatis, tanta felicitate, vt ex centum millibus peditum, & decem millibus equitum, non effugerint ex integro decem millia. Ille verò de ſuis militibus non amiſerit vix duodecē homines. Apud nos Martinus Leſniouius mille quingentis equitibus, quadraginta millia Moſcorum aggreſſus, tredecim ferè millia ex eis occidit;

ex ſuis verò vnũ tantum modò amiſit.

Obſeruabant igitur diligẽti cautione Romani, apud quos magiſtratus Conſularis annuus tãtùm fuerat, vt ſi Imperator felix eſſet, ne mutaretur ãno magiſtratus ſui exacto, ſed ei officium Imperatoris confirmabant in plures annos, ne videlicet ſic ordo bellicus & progreſſus interrumperetur. Ita Scipioni in bello Hiſpanico & Africano. T. Flaminio in bello Macedonico. C. Mario in Cymbrico, & Iulio Cæſari in bello Gallico; *quia animaduerterunt*, inquit Hiſtoricus, *interrumpi tenorem rerũ, in quibus peragendis continuatio ipſa efficaciſſima eſſet: inter traditionem imperij, nouitatemq; ſucceſſoris, quæ naſcendis, priuſquam agendis rebus imbuenda ſit, ſæpè benè gerẽdæ rei occaſionẽ intercidere.* Itaq; tamdiu permiſerunt Lucullo bellum gerere, quamdiu eum felicitas comitabatur: cum autem animaduertiſſent, quod in medio curſu fortuna eum desereret, miſerunt in locum eius Pompeium. Carthaginenſes quoque cum viderent res ſuas haud proſpere per Duces gentis ſuæ geri, aduocarunt è Græcia Xantippum Lacedæmonienſem, & illi ſummam belli commiſerunt, mutaruntq; fortunam in melius. Similiter Siculi reſiſtere aduerſarijs ſuis per Duces ſuos nõ valẽtes, Gilippũ Spartanum aduocauerãt. Idẽ Principes & Ciuitates

aliæ faciebant cum factionibus Guelfum & Gibellinorum inter ſe diſſecti eſſent. Et poſteriore ætate quoque denuo, cum Bractiani, & Sfortiani armis Italiam conquaſſarent.

Igitur felicitas non ſolùm in militia, ſed in vita omni Ducibus eſt expetéda, quia huc omnia in bellis referuntur; hanc autem nec dare ſibi quiſquam poteſt, nec augere; diuinum planè munus, ſed ita Duci neceſſarium, vt quanquam reliquis affluat, ſi hoc vnum deſit, nemo infelicem Ducem, doctum licet ac ſtrenuum, eligendum cenſeat. Nam vt felicitatem fiducia, ſic iuſfelicitatem Ducũ ſequitur pauor militũ, quo nil propius eſt exitio. In hac eminent Africanus minor, Camillus, Titus, Traianus, Theodoſius, Alexander M. Cyrus, Annibal, Maharbali, Carolus M. Mariut, Metellus, Ventidius Baſſus, aliiq; infiniti, tum Gentiles, tum Chriſtiani, tum etiam Machometani. Sed quia ex felicitate Ducis maxime naſcitur authoritas illius idcirco de ea capite hoc vltimo videamus.

CAPVT VLTIMVM.

De auctoritate, & Reputatione Ducis.

DIximus quod prudentia, & animi vigor conciliant Auctoritatem Ducis,

Ducis, auget aſſidua in expeditionibus felicitas: nunc declarandum quomodo indies maiorem Reputationem faciunt diuerſæ virtutes, Et *Primo* quidem, ſi ſcit tegere impotentiam ſuam, ſeu debilitatem virium ſuarum, vti faciebant Alphonſus Magnus, & Ludouicus Sfortia; quia licet bellis exhauſti, omnium rerum penuria laborabant, ſciebant tamen aduerſarijs ſuis monſtrare magnificentiam, ſplendorem, copiarum numerum, & commeatuum abundantiam. Sicuti nunc etiam faciunt Turcæ, apud quos, in loco vbi datur acceſſus ad Veſirium Magnum Oratoribus vicinorum Principum, aut etiam mercatoribus extraneis alloquium, ſingulis diebus veniunt trecenti baiuli ſaccos pecunijs repletos portantes, quos exonerant per feneſtram ad id in proximo factam, velut fruges in cameram vicinam cum ſtrepitu emittendo, vbi deinde alij ponderibus numerum ſimili cum ſonitu æris examinant, quaſi infinitus eſſet, nec poſſet numeratione computari theſaurus Imperatoris ipſorum quod exteri videntes inexhauſtos theſauros & aſſiduò accreſcentes deferant famam potentiæ illius ad ſuos conterraneos; doceantq; timere Turcas. Quos vt arte deluderet ſimili Nicolaus Sienauius Campiductor Poloniæ, poſt obitum

Regis

Regis Auguſti, licet exiguas copias ſecum habuerit, ſciens tamen quam ſit neceſſarium barbaris hiſce monſtrare potentiam, cum ſint in vicinia, ingreſſus erat prouincias ipſorum tempore Interregni, cum maximè ſciſſum fuiſſet Regnum in factiones circa electionem noui Regis, & ſic Myſiam Moldauiamq; defendendo, quarum Regulos turbare, tunc cęperat barbarus & Principatu detrudere, ita fortiter cum paucis cohortibus tenuit à fræno furentes Turcas, vt ſaluam Reipub. dignitatem in integro conſeruaret.

Secundò, vt belli Dux plura ſemper faciat, quàm loquatur: quæ autem loquetur, loquatur cum grauitate & iudicio, præſertim extraneis præſentibus. Zamoſcius & ChodKieuicius mirabiles in hac parte fuere, quos magnopere nunc Stanislaus Koniecpolſcius conatur exprimere, qui & natura breuiloquus eſt, & nullum verbum vanum extraneis præſertim audientibus profert, niſi quæ admirationem in barbaris pariunt. Magiſter huius virtutis Scipio Africanus fuit, de quo Liuius ſcribit, quod *cum legatis Hiſpanorum loquebatur ita elato ab ingenti virtutum ſuarum fiducia animo, vt nullum ferox verbum excideret, ingenſque omnibus quæ ageret; cum maieſtas ineſſet, tum fides.*

Tertiò,

Tertiò, vt promiſſa fideliter exequatur: hinc enim illius conſtantia apparebit,& animi iudicium. Et non alia prorſus re apud Belgas gloriam ſibi acquiſiuerat & reputationem Alexander Farneſius, quàm conſtãti promiſſorum executione: ſicuti & Magnus Zamoſcius apud Liuones, qui cum militibus ad dictam diem à Repub. ſolutionem, ob publici ærarij defectum, non impetraſſet, res ſuas & bona tempeſtiuè oppignorauit, vt promiſſo tempore toti exercitui ſatisfaceret, aut potiùs verbo ſuo, quo fidé ſtipulatus fuerat, vt meritò de illo dici poſſit, quod Paulus Aemilius dicere ſolitus fuerat. *Is demum vir erat, cuius animum, nec proſpera ſtatu ſuo efferent, nec aduerſa infringent*. Quandoquidem & cliételis & amicitijs felix,& victorijs clarus, & magiſtratibus in Rep. inſignis ſemper æquali animo fuerit & in proſpera & in aduerſa fortuna, nec ſiuerit præpediri in uidorum calumnijs, aut maleuolorum factionibus curſum gloriæ ſuæ, vſq; ad extremum vitę ſuæ. Sed & ZolKieuius ex eius diſciplina prodiens, ſimileſq; in Rep. Ducis Exercituũ videlicet, & Cancellarij ſupremi, honores gerés, ita ſemper infractus & immobilis tota vita máſit, vt vel ſola cõſtãtia ingens ſibi nomé, & apud ciues ſuos, & apud extraneos compararet, nec deſineret ea fideliter

exequi,

exequi, quæ in rem Patriæ putaret faciendam, donec mors meliorem ſortem ei monſtraſſet.

Quarto, vt nihil ſupra vires ſuas tentet quæ autem aggredietur, omni conatu perfici ſtudeat. Et hanc ob cauſam res Hiſpanorum nunc benè ſuccedũt, quòd rem ſemel cęptam nuſquam deſerant, niſi ad finem ſuum deductam. Pulchrè hac de re Marcellus ad Q. Fabium, tẽpore obſidionis Caſelini. *Multa magis Ducibus ſicut non aggredienda, ita ſemel aggreſſis non dimittenda eſſe, quia magna famæ momenta in vtramque partem ſunt.* Et Scipio cum iuuenis adhuc ad regimen Hiſpanicorum exercituum miſſus eſſet, ea conſtantia munus ſuſceptum proſequebatur, vt nonniſi cum gloria in patriam redire poſſet. Nõ ignorabat enim inſtandum famæ, ac prout prima ceſſiſſent, fore vniuerſa.

Quinto, vt ſit in moribus & veſtitu grauis, nec ſtudeat nouitati; nec immutet regendi modum, aut facienda in bello Tribunis ſuis & cohortium ductoribus, per leues perſonas, aut pueros ſignificet; ſed per viros magnos, conſtantes, & fideles, peritoſque rerum militarium.

Sexto, vt in omnibus ſuis actionibus monſtret excelſum animum & Heroicum; non auarum atque ſorditatum, ſed magni-

magnificum ac munificum, ſplendidumque tàm circa cultum diuinum, quàm circa ornatum ſuum priuatum & militarem. Quia nihil rerum mortalium tam inſtabile, ac fluxum eſt, quã fama potentiæ non ſua vi nixæ. Vnde Tiberius Cæſar non abs re dicere ſolebat. *Cæteris mortalibus in eo ſtare conſilia, quod ſibi conducere putent: Principum diuerſam eſſe ſortem, quibus præcipua rerum ad famam dirigenda*; maximè in bellis, vbi omnino requiritur vt imperator ſit ſumus ſeueritatis & munificentiæ.

Vnde auctoritatem maximam ſeueritate ſumat, omnes culpas militares legibus vindicet, nulli errantium credatur ignoſcere, & in diuerſis locis, ex diuerſis occaſionibus omnium experimenta pręcipiat. Tales ſub Rudolpho II. fuere in bellis Hungaricis Duces Manſueldius & Suartzembergius; ſub Ferdinando II. Dampierus & Valſteinius. Apud nos Lituanicarum Copiarum Præfecti, tres ChodKieuicij; Gregorius, Ioennes, & Carolus, qui ſibi ob virtutẽ ſuccedentes in iſta dignitate, ſeueriſſimè diſciplinam militarem conſeruabãt, exq; eo ſibi apud omnes authoritatem conſiliabant, quæ de Ducum virtutibus, atque proſperitate fama concepta, augetur in dies opinione hominum. Ad quod & forma corporis nonnihil con-

fert,

ſert, non mundicijs vti ſupra diximus culta, ſed virilis, & verè militaris. Inſuper & nobilitas ſanguinis, & caſtrènſis eloquentia; quo in genere Iulius Cæſar, Africanus Maior, & Pompeius apud Romanos, apud nos verò ferè omnes Duces Radiuilli quicunque bellis Lituanicis præfuerunt, celeberrimi habentur.

Quorum tanta fuit authoritas, eaq; ſub illis militum fiducia, vt non ſe ad prælium, & diſcrimen, ſed ad victoriam & prędam duci cederent.

Et hæc de
Duce.
belli eiuſque qualitatibus requiſitis.

SIMO-

SIMONIS STAROVOLSCII

INSTITVTORVM
Rei Militaris.

LIBER TERTIVS
De Diſciplina Militari.

CAPVT PRIMVM

De Militia in genere.

M*ilitia eſt*, inquit Lipſius *Multitudo apta & compoſita in armis, ad vim faciẽdam, aut arcendam, ſub certa lege.* Qui enim ad militiam animum applicuere, eos nonmodo veſtium mox aliam ratione inire, verùm etiam in moribus, conſuetudine, voce, quin etiam inceſſu, omnem ciuilem modum faſtidire videmus. Ideo ſub legibus talem multitudinem congregatam, in bona diſciplina continere oportet, ſiue defendamus noſtra, ſiue in vicinos arma ſumamus; aliter militum audacia eo vſque graſſatur, vt, aut euertere Rempublicam poſſit,

poſſit, aut certè bonos modeſtoſq; ciues, ipſamq; demum Iuſtitiam armis ſeruire cogat. Sub ferreis quandoquidem corporum tegumentis, feri, ferreiq; animi communiſſimè delitescunt. Sub trucu-lenta vultum ſpecie, dira morũ imma-nitas, effrenata violentia, legum contẽptus, prædandi ſæuiendiq; cupiditas, inſolentia, perfidia, impietas habitat. Meritoq; Alexander Seuerus, in milites ſeuerus fuerat; quia ſciebat licentiam militum non niſi ſeuera punitione coerceri exercitusq; non niſi diligenti diſciplina conſeruari. Hinc ſæpiùs vſurpabat. *Diſciplina militari Remp. contineri, quæ ſi dilabatur, & nomen & Imperium Romanum amiſſum iri.* Quippè quæ ex ignauo ciue fortem, ex intemperante moderatum, ex deſidioſo ſtrenuum ex luxurioſo frugalem, ex libidinoſo continentem efficit. Hinc Romanos omnes gentes ſola armorum exercitatione, & diſciplina Imperio ſuo ſubieciſſe videmus, quod tamdiu ſtetit, quamdiu ſecundum leges Duces militem gubernabant, vbi autem de vetere diſciplina remiſerunt, ſtatim ab omnibus gẽtibus, quibus imperabant diſcerpti fuerunt, vt vix nomen nunc Imperij Romani reperiatur.

Omnis igitur copiarum vis conſiſtit, aut in militum diſciplina, aut numero,

aut

aut robore; ſed quæ omnia ſuppeditat, meditatio ſeu exercitium aſſiduum: quia in omni prælio, non tam multitudo & virtus indocta, quàm ars & exercitatio ſolent præſtare victoriam. Vnde optimus quiſque miles, qui patriæ defendendæ incenſus ſtudio, nobilem ex armis gloriam quærit, otij impatiens ad naſcentium bellorum famam exhilareſcit, gaudiumq; concipit. Nihil volupe magis quàm premere equum calcaribus, obtegere crinem caſſida, concurrere cum hoſte aduerſo, euadereq; in hoſtiles muros, pro gloria & victoria, nullum laborem, nullum periculum extimeſcere ſtudet. Quia bellandi peritia gignit in eo audaciam; nec vllus timet agere, quę antea ſe probè didiciſſe confidit.

Quapropter in pace militis officium erit arma ſcire tractare, bello dignum ſe præſtare, vita cæteris cum ciuibus æquali, iuſtaq; frui, nec eorum otioſæ dignitati armis nocere: & vt erga patriotas modeſtos, humanos, atque clementes, ita contra hoſtes feroces, & crudeles ſeſe exhibere. Quod vt fiat, intereſt Reipub. vt militibus leges imponat ſeueriores, quibus & ad exercitia armorum adigātur, & ad honeſtè viuendum compellātur, atque à lædendo deterrantur. Nihil enim immanius eſt armata iniuſtitia; Quare laudantur Epaminondas, &

Pelodias

Pelopidas, Thœbani, quod corruptum licentia exercitum, ad generoſiſſimam militiæ diſciplinam reuocauerint. Celebrantur Chabrias & Iphicrates, Athenienſes. Hepheſtionis, Clitonis, Achillæ, Eumenis, Phylotæ multorumque aliorum, qui caſtra Magni Alexandri ſequuti ſunt rei militaris gloria ora hominum repugnatur. Sed & Alexander Seuerus, cuius ſupra mentionem fecimus, ſua gloria non caret, qui ita ſeuere militarem diſciplinam ſeruauit, vt cũ exercitum in Parthos duceret, non milites, ſed Senatores tranſire dicerentur. Quacunq; enim legiones iter faciebãt, Tribuni accincti, Centuriones verecundi, milites amabiles erant. Si quis de via, in alicuius poſſeſſionem deflexiſſet, pro qualitate loci & criminis, aut fuſtibus ſubijciebatur, aut virgis, aut cõdemnationi. Aut ſi hæc omnia tranſiret dignitas hominis, grauiſſimis contumelijs afficiebatur, quum diceret. *Viſne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis?* Et ante eũ longè multò C. Iulius Cæſar non minus ſe in milite modeſtiam & continẽtiam, quàm virtutem atque animi magnitudinem deſiderare dicebat; quod hic ſcopus optimi militis eſſe deberet. Sed vt concludamus.

Finis militia eſt, non diuitiæ, vt eas ſibi proponunt omnes artes Mechanicę: nec

Impe-

Imperia aut Principatus, qui interdum comparantur artibus pacis, aut per electionem aut per ſucceſſionem, aut per matrimonium; ſed *aſſecutio victoriæ*, partim animi dexteritate, partim armorũ vſu & fortitudine, partim denique occulta Dei voluntate, in cuius manu, & felicitas poſita eſt, & corda Principum, & denique ipſa victoria.

CAPVT II.

De Diuiſione Militiæ.

RES militaris, inquit Vegetius, quæ armis conſtat & viris, in tres communiter diuiditur partes. Equites, Pedites, Claſſes. Equitibus campi; claſſibus maria & flumina; peditibus colles, vrbes, arces, plana, & abrupta ſeruantur.

Hominum igitur quos ad bellum colligimus, ſiue in mari, ſiue in terra faciendum, alij bellatores erũt, alij imbelles, ad vſus tantùm bellatorum neceſſarios, & miniſteria accomodati.

Bellatores ij ſunt, qui ad decertandum inſtruuntur, armiſq; aduerſarium inuadunt. Imbelles reliqui omnes habentur, vt Medici, Tabernarij, Chirurgi, ſerui; artifices & cæteri qui exercitum miniſterij cauſa ſequuntur.

Bellatorũ autẽ alij Pedites alij vecto-

res ſunt. Pedites, qui pedibus in terra enituntur. Vectores, qui aliquo ferũtur vehiculo : quorum duplex eſt genus. Nam alij equis, alij elephantis vehuntur. Et qui equo vtuntur, iterum in duas partes diſtinguuntur; quippe, qui aut in curribus conſtent, aut equis ipſis inſideant. Elephantis igitur Aſiatici & Africani populi vtuntur. Europæi verò equis ſolùm modò : currus verò iam pridem in vſu eſſe deſierunt, niſi fortem ad portanda onera aut commeatus; quibus nihilominus Coſachi tempore pugnæ vtuntur, non quidem more veteri, ſed ad tegenda latera, ne ab equitatu conculcentur.

Pedeſtris quoque ordo in partes digeritur tres. Armatos, Nudos, & Semicopertos. Armati (non dico de veteri militia) nunc ferreo torace & galea teguntur, & ad offendendum partim ſclopos & gladios, partim haſtas aut bipennes gerunt. Nudi (quales præcipuè ſunt Indi, Aethiopes, Narſingani Calecutenſes, tum maior pars Americanorũ) nullo prorſus torace aut munimine ad euitandum tela tecti, ſed lanceis ſolummodò arcubus, ad inuadendum hoſtem armati: velis ſubtiliſſimis vmbilicotenus coperti. Seminudi dicuntur, qui veſtibus quidem (in Polonia ſemper vnicoloribus) honeſtè coperti ſunt, aſt tamen nullo

nullo armorum defenſiuorum genere muniti ad offendendum aduerſarium cõtos, ſclopos, ſecures minores, frameaſq; ad latus aut gladios habent.

Equites ſimiliter nunc in vniuerſo Orbe, modo armandi inter ſe differunt. Pars enim armis tota obſepta eſt; & hinc cataphracti nomen habet. Pars non tota armis integitur. Cataphractos igitur eos intelligi volo, qui non ſolùm ſua corpora, ſed etiam equos lorica vndique muniunt, & tales olim paſſim per Europam in vſu fuere; modo vix alicubi, præter Germaniam reperiuntur, idque pauciſſimi. Partis verò non Cataphractæ, *alij Haſtati* habentur, *alij Ferentarij*.

Haſtati qui manus conſerunt & cominus haſta decertant, ſunt in duplici differentia. Alij enim ſcutum gerunt, vt Perſæ Siamitæ Chinenſes, Abyſſini, & ex Turcis nonnulli; & inde ſcutati dicuntur. Alij ſine ſcuto haſta impugnãt, qui ob id olim Haſtati, ſeu contati vocabantur, nunc vulgò Huſſari in Polonia, & in Hungaria dicuntur: qui antiquitus more Germanico ſcuta etiam magna ferebant; nunc torace tantum modò ferreo, cum manicis loricatis, & caſſide armati, pellibus deſuper tygridum, leopardorum, luporum, variorũq; animalium conteguntur.

Ferentarij verò equites dicuntur, qui eminus ſolent dimicare, quorum alij toracibus ferreis & galeis armati ſunt, & ſclopetis tantùm breuioribus vtuntur: qui vulgò apud Germanos Reitari dicuntur. Alij leuius armati ſunt, & in Polonia Coſachi appellantur, ſiue ſint loricati vt moris eſt, ſiue non: quorũ alij ſagittis more Scythico vtuntur, & vocatur ſagittarij; alij lanceis & iaculis more Arabum Turcarumq; & vulgò Velites dicuntur, alij deniq; ſclopetis oblongioribus vtũtur, & à Callis vſurpato nomine Carabiniri appellantur. Omnes iſti tales, iaculis emiſſis, manus de cætero cum aduerſario cõſerunt & rem gladio gerunt, non ſecus ac illi, quos haſtatos appellauimus. Nam Velites antiquitus non ſolebant pugnare cominus, ſed tantùm ex equis optimè miſſilia iacebant, prӕſertim apud Romanos; apud quos ad id genus militiæ, iuuenes corpore alacri deligebantur, & ad agilitaté aſſiduò exercitio aſſueſaciebãtur. Vnde & nos quoque de delectu primùm, deinde de exercitio militum agemus.

CAPVT III.

De Delectu Militum.

QVia in certamine bellorum, exercitata paucitas ad victoriam promptior

ptior eſt; rudis autem & indocta multitudo expoſita ſemper ad cædem. Ideo qualis miles debeat ad bellum eligi rerũ ordo depoſcit vt imprimis dicamus.

Legio itaque ab eligendo appellata eſt, quod robur militiæ Romanorum in electis militibus præpolleret, vocabuloq; iſto fides in eis atque diligentia deſideraretur. Promiſcuè enim vocati ad militiam, vti nunc mos fert, nec fidem ſeruant, quia puniri non poſſunt ſi diffugerint; neſcitur enim vbi nati ſunt, aut quo abierint; nec diligentiam adhibet, quia non ſunt patriotæ, ſed ex diuerſis gentibus & linguis aggregati, etiamſi prouinciam integram perdiderint, minimè curant, cum non ſit patria ipſorũ. Si igitur è diuerſis gentibus & non ſubiectis tuo Principi prouincijs milites legendi ſunt, de temperatioribus plagis eos elige; nam & ad pugnandum boni, & ad ſeruandam in caſtris modeſtiam apti. Aptiores autem de plebe ruſticana, quá de vrbibus delecti, quia ad omnem laborem, tolerantiam, aſſueti, & luxus deliciarumq; neſcij. Hinc maiores noſtri nobilitatem vniuerſam in agris manere iuſſerunt, quòd propriè milicia in manibus ipſorum eſſet. Noluerũtq; ciues Poloniæ vti curribus aut rhedis ad vehendum, aut quouis carpétorum genere, (præter fœminas) ſed paſſim tá

iuuenes,quàm ſenes, in equis etiam domeſtica itinera peragebant, idq: perpetuò armati, ob quod in hodiernum Equites appellamur. Semper autẽ illi minus mortem extimeſcũt, qui minus deliciarum nouerunt in vita; aſt qui iá rure relicto ciuitatis illecebras deguſtarunt, illi nec ſolem aut algorem ferre poſſunt, nec victu parciori & ruſtico in caſtris ſunt contenti ſed ſemper ſapidiores deſiderant dapes, & luxum omnibus in rebus in caſtra inuehunt, ita vt iam paſſim popinas, culinas, & proſtibula, ſub padilionibus videamus,

Cæterùm qui in proprio ſolo aut regno, facit militum delectum, ſiue illi equites ſiue pedites ſint, has quinque viri militaris notas diligenter obſeruet Patriam, Aetatem Corpus, Animum, & Vitam.

Quantum ad patriam, ſcias quòd locorum aſperitas, hominum quoque ingenia durat, & vt Seneca inquit, *Fortior miles è confragoſo venit; ſegnior eſt vrbanus & verna*. Ergo è montibus meliores, quàm è planicie; è ſyluis, quàm è campis; è pagis, quàm ex vrbibus. Talibus enim viris non labor inſolitus, non locus vllus aſper aut arduus erit, non armatus hoſtis formidoloſus. Neſcio enim quomodo minimè mortem timet, qui tota vita nihil deliciarum perſenſit.

Itaque

Itaque hos maximè leges, qui ſaltuoſos locos incolentes, duritiæ patientiæq; magis inſueuere, aut ſi qui Septentriones, & mare verſus habitant; nam & hi ipſo terræ ſuæ ſolo & cœlo acrius animantur.

Quantum ad ætatem, ex Romana regula eos legi ſuadeam ab anno decimoſeptimo, aut paullum ſupra; néc enim tatùm celerius, ſed etiam perfectiùs imbibuntur, quę diſcuntur à pueris. Grandiores autem & veteranos ſi miſces, vnà etiam vetera vitia admiſces, vt sũt propria huius ſæculi mala inertia & cõtumacia, & dedignatio parendi. Igitur in delectu faciendo, non tam veteranos, vt nunc mos inoleuit, intuendos arbitror, quàm eos, qui poſſint aliquando eſſe boni veterani. *Neque enim longitudo*, inquit Vegetius, *ætatis, aut annorum numerus artẽ bellicã tradit, ſed cõtinua exercitationis meditatio*. Et ſemper facilius eſt ad virtutem inſtruere nouos milites, quàm reuocare præteritos.

Quo verò ad corpus. C. Mario grande & prælongum placuiſſe video, quales apud nos communiter Haiducos è Carpatijs montibus Proceres Poloniæ habere ſolent. Et Pyrrhus dilectori ſuo fertur dixiſſe. *Tu grandes elige, ego eos fortes reddam*, quod feciſſe videbatur tempore belli Turcici ad Chotimiam Georgius

Dux Zaſſauienſis, qui legionem ſuam ex viris ſtupendæ proceritatis collectã, in caſtra regia duxerat. Me tamen iudice, non tam ſtaturæ rationem habere conuenit, quàm virium. Vtiliuſque eſt fortes milites eſſe, quàm grandes media ſtatura creatos. Sic tamen vt ex vultu, ex oculis, ex omni conformatione mẽbrorum eos eligas: nempè quibus ſunt dura corpora, ſtricti artus, minax vultus, & vt Tacitus de Germanis inquit, maior animi vigor. Tales apud nos ſunt ferè omnes Maſouij, quibus vtebatur Sigiſ. III. ad expugnationem Smolenſei, Duce Ioanne Graiouio, viro haud impigro & forti, & qui non dubitauerit, quadringentos ſuos pedites Maſouios, duobus millibus Hungarorum acie aperta opponere, & vltrò etiam in certamen prouocare.

Item obſerua, ſiccum, vrgetumque potiùs, quàm fluidum & craſſum, ſuperflua carne diſtentum, eligendum; quia velocitas eſt, quæ percepto exercito ſtrenuum efficit bellatorem, à qua nimirum magna illa & fluxa corpora, iudicio Lipſij, ſunt aliena.

Sequitur nota quarta Animi, quæ maximè in delectu obſeruanda. Nam hoc eſt, in quo totius Reipub: ſalus vertitur (ait militaris ſcriptor) vt tyrones non tantùm corporibus, ſed etiam animis

præ-

præſtantiſſimi deligantur; quia animus acer & præſens, vt docet Cicero, & acutus, idem atque verſutus, inuictos viros efficit. Sint igitur eligendi, audaces, fortes, robuſti, probi, fati ſui ſecuri, laboris tolerantes, gloriæ auidi, & vt verbo dicam, qui nihil aliud timeant, niſi turpē famam.

Vltima nota in delectu faciendo vite, id eſt, quo genere quæſtus aut artis ſeſe ſuſtentent: nam ad mollitiem aut duritiem, ignauiam aut ferociam, haud leuiter hoc facit. Hinc piſcatores, aucupes, dulciarios, linteones, omneſque qui aliquid tractaſſe videbuntur ad gynecæa pertinens, Vegetius longè arbitratur repellendos à caſtris. Quin etiam opificū vulgus: & ſellularij minimè militiæ idoneum genus.

Addit inſuper ad Delectum Lipſius, duo egregia monita, *Primum*. vt non leue hoc munus & officium putes aut paſſim quibuſcunque mandandum, vt huius ſæculi mos eſt: ſed à magnis viris, magna diligentia idoneos eligi cures iuniores, in quo apud nos magnam nuper laudem promeruiſſe videtur Thomas Zamoſcius Cancellarius Regni, & Lucas ZolKieuius, Pereaſlauiēſis in cōfinio Scytarū Oczacouienſiū Præfectus, qui cōplures cohortes è ſuis poſſeſſionibus ita ordinatè delectos, armis optimè

inſtruxerant,& in vſum habebant. *Alterũ* vt idemtidem repetas, & an ex integro numerum compleant, diligenter inſpicias, quia morbo, fuga, miſſione, numerus imminuitur, niſi annis ſingulis, imò ſingulis pænè mẽſibus in decedentium locum iuniorum turba ſuccedat, quamuis copioſus exhaurietur exercitus. Propterea Sigiſ. I I I. ad initium cuiuslibet menſis, aulicum ſuum peditatum ipſe luſtrare volebat, dũq; grauioribus Reipub. diſtineretur negotijs, iubebat ad ſe venire in Palatium, vexillis expanſis; & tibicinibus præcinẽtibus, ter quilibet ſclopetum ſuum explodere tenebatur, illo per feneſtram in aream proſpiciente.

CAPVT IV.

De Exercitijs Militum.

EXercitus ab exercitio nomen accepit; quia non longitudo ætatis, vt ſupra cum Vegetio diximus, aut annorum numerus artem bellicam tradit, ſed continua exercitationis meditatio. Vnde non tyrones ſolùm, ſed veteres etiam & eruditi exerceantur continuò, ne intermiſſa conſuetudine, animi militum debilitentur & corpora. Nam quẽadmodum, benè exercitatus miles præ-

lium.

lium cupit, & audet congredi cum hoſte, ita formidat indoctus, & effugia quærit ignauus. Propterea apud Romanos tyrones bis in die, mane & poſt meridiẽ; veteranos autem ſémel tantùm exercé. ri ſolitos. Vegetius ſcribit, quia huiuſmodi ludo & exercitatione, militum valetudo confirmatur, robur corporis acquiritur, metus excutitur, periculiſq; aſſueſcitur, ſudando, nitendo, anhelando: atque demum ſinguli in feruenti ſole caloribus, & algoribus ſub dio perferendis exercentur, & famem, ſitim, vigilias pati aſſueſcunt. Iam autem omnibus omnium ætatum Hiſtorijs docemur, parum in bello valere militem inexercitatum ſępiuſq; profligatos exercitus numeroſiſſimos, à paucis exercitatis. Vnde non legimus Conſules Romanos aduerſum hoſtes copioſiſſimos plures milites duxiſſe, quàm duas Legiones, additis auxilijs ſociorum. Tanta in illis erat exercitatio, tanta fiducia, vt cuius bello duæ Legiones crederentur ſufficere poſſe. Caſſius ſolebat dicere. *Miſerum eſſe; cum exerceantur athletæ, venatores, & gladiatores, non exerceri milites, quibus minor eſſet futurus labor, ſi conſuetus eſſet.* Imò & felicior labor; nam in omni prælio, non tam multitudo & virtus indocta, quàm ars & exercitium ſolent præſtare victoriam. Tanta ideo cura

G 6 præ-

præecipui omnes Imperatores ſuos exercuere, cum ſcireat maximos ſæpè exercitus, à paucis deletos fuiſſe, & *Cæſaris milites*, inquit Suetonius, *innumeras aduerſariorum copias, multis partibus ipſi, paucieres facilè ſuperauerunt*. Cum itaq; manifeſtè videamus in pugna vſum amplius prodeſſe, quam vires; quia paucos viros fortes natura procreat, bona inſtitutione plures reddit induſtrias; idcirco quid ſit exercitium, & quotuplex paulò latiùs videamus.

Exercitium itaque eſt, electum militem aſſiduè ad arma condocefacere, & ad opus, ne vel ad pugnam rudis & inexercitatus procedat, vel eruditus in armis, otio torpeſcat & pigritia. Hinc Paulus Aemilius, officium militis tribus in rebus cōſiſtere dicebat, *vt videlicet miles ſit agilis, & fortis, vt benè in armis exercitatus & promptus ad omnem nutum Ducis ſui*. Similiter Braſidas tria in omni milite requiſita poſtulabat. *Vololuntatem, Verecundiam, & Obedientiam*, vt ſcilicet lubens volenſq; in omni armorum genere ſe exerceat, vt turpe exiſtimet fugere ex acie; & vt non recuſet laborem iniunctū ſibi ab Imperatore. Vnde Vegetius, *Honeſtas, idoneum militem reddit, verecundia dum prohibet fugam, facit eſſe victorem*. Quamobrem Sarmatæ noſtri, tam grauioris, quam leuioris armaturæ, equitatum, è ſola

ſola nobilitate (lixis & calonibus exceptis) conſcribere ſolent, quod & audacius hoſtem, quàm plebeij milites aggrediantur, & honeſtate ducti fugere ex acie erubeſcant, certo certiùs eo ipſo amiſſuri honorem, quem ſibi tãto ſanguine ſui maiores comparauerant. Dum igitur verecundia prohibet fugere, facit militem victorem, quem honeſtas & gloriæ cupido ad omnia idoneum reddit; vti ſupra expreſſit Vegetius.

Triplex autem exercitij ratio eſſe debet *Vna*, qua corpus induretur, atque incommoda pati diſcat, tum etiam agilius dextrumq; magis reddatur. *Altera*, qua arma tractare aſſueſcat. *Tertia*, qua ordines tueri norit, idq; tam proficiſcendo, quàm dimicando, tum etiam caſtra metando. Quæ quidẽ tres actiones, pręcipuè ſunt, quæ ab exercitu expectentur; nam ſi exercitus dextrè, atque ex legibus militiæ iter faciat, dimicet, atque caſtra metetur, licet præliũ ſiniſtrum exitum ſortiatur, tamen Duci honos ſuus nihilominus conſtabit. Eam ob rem priſcæ Reſp. omnes adeo hiſce exercitijs inuigilabant easque vſu & legibus tuebantur: Vt nullam harum partiũ vnquam intermitterent. Exercebant itaq; iuuentutẽ curſu ad velocitatẽ; ſaltu ad agilitatẽ; lucta vel palo ad robur acquirendũ, ſiquidem hæc tres partes

tes in milite vix non neceſſariæ eſſe ſolent. Velocitas enim prꝯſtat, vt loca idonea hoſti præripiat, aut illum expectatione citius inuadat, vel diſſipatum, aut fugientem citiùs aſſequatur. Agilitate ictus vitare, foſſam tranſilire, vallũ ſuperare diſcit. Robore faciliùs arma ſuſtinet, hoſtem ferit, impetum repellit, & omnem laborem perfert. Idq; imprimis curabant, vt corpora ad incommoditates perpetiendas oneribus baiulandis præmunirentur, quæ quidem aſſuetudo maximè neceſſaria eſt, ſiquidem ſæpiùs contingere ſolet, vt in expeditionibus difficilioribus militi præter arma annona aliquot dierum gerenda ſit, cui quidem oneri, niſi laboribus aſſuefacto parem eſſe non licet: atq; hoc ſanè modo, aut periculum aliquod vitari non poſſet, aut victoria nulla cum exiſtimatione adquiri.

Ergo Dux curabit, vt ſiue legio, ſiue auxilia fuerint, exerceantur aſſiduè; ac imprimis tyronibus per quotidiana exercitia, armorum eſt demonſtrãda doctrina, idq; exemplo veteri à Campiductoribus, quod ſolebat ſæpiùs noſtra ætate facere Mauritius Naſſouius ipſe, tũ Guſtauus Rex Sueciæ. Apud veteres autem Romanos nemo melius exercebat militem T. Manlio, Paulo, Aemilio, Scipione, Numantino, Metello Numidico.

dico, Domitio Corbulone. Et poſt amiſſam diſciplinam Alexander Seuerus, qui ſemper hoc in ore habebat. *Diſciplina maiorum Rempub. tenet: quæ ſi dilabatur, & nomen Romanum, & imperium amittemus*. Quod & euenit Imperio ad Græcos translato. Cæterùm priuſquam translatum fuiſſet, licet corrupta iam Republica, Adrianus Imp. nihilominus ſemper militem habuit in exercitio: & ne obmurmurarent Tribuni, ipſe primus omnem laborem incipiebat, ſingulisq; diebus armis indutus & pedes, quatuor ferè milliaria ibat, cum exercitum aliquorſum duceret, eodemq; cibo vtebatur, quo & milites. Idem faciebant Aurelianus Imp. & Probus, atque ante eos longe in florente Repub. Valerius Coruinus, & Papirius Curſor. Et de Pompeio ſcribit Saluſtius quòd *cum alacribus ſaltu, cum velocibus curſu, cum validis vecte certabat*.

Exercitium igitur neceſſarium valdè quia errata in bello commiſſa emendari nequeunt, niſi priùs fuerint longa armorum meditatione præuiſa; quod nimirum pœna præſto ſit, & mors ignauis. Nam qui non ſunt benè in armis exercitati, aut ignaue pugnando confeſtim pereunt, aut in ſugam verſi, victoribus vltra pares eſſe non audent. Iam autè experientia illa in exercitatione, ſolet ani-

animum militis augere, cum nemo id tractare metuat, quod abundè ſe didiciſſe atque cognouiſſe ſciat, Quapropter diligenter obſeruandum eſt, vt ad minus ter in menſem, tàm equites quã pedites educantur ambulatum, hoc e ercendæ pugnæ cauſa, tàm in cliuoſis & arduis locis, quàm in planis, & limo paludibuſq; obductis, vbi datis ferulis, aut rudibus, & iaculorum arundinibus, pugnam ſine ferro, & ſãguine depugnét. Et ſi in aruo ſint, glebis, vt miſſilibus Imp. vti iubeat, item crudo ceſtu, loriſq; bubulis. Deſignet quoque illis colles, cacumina, & ardua loca celeri curſu conſcendere imperet: tum etiam ſubmittat cum telis alios, qui illos exturbare contendant: eoſq; laudibus efferat, qui vel permanſerit fortiter reluctando, vel qui conſtanter oppugnando aduerſarios deiecerint. Quare omnes dies feſtos, ſeu otioſos hiſce rudimentis tribuere vellem; & poſtquam ſatis in ludicra pugna tyrones exercitati fuerint, tum ad ſeriam dimicationem iam exercendi erunt vniuerſi, tela perdextrè vibrare, punctim & cæſium ferire, magnis viribus haſtile contorquere, ſagittas aut ſclopos ex deſtinato dirigere, equos domare, atq; demũ in eis haſtis cõcurrere, & non ſolùm à dextis, ſed etiã à ſiniſtris partibus inſilire & deſilire ſubitò,

tò,

tò, quòd maximè docebant priſci, vt ad nutum Ducis omnis exercitus equeſtris in pedibus conſpiceretur, iterumque ad momentum in equos ſe reciperet. Similiter exercendi ſunt tyrones, foſſas tráſilire, equum huc illuc flectere, velitationibus ſocios ceu hoſtes ex inſidijs apte adoriri, & mox regredi ad turmas grauioris armaturæ, vel ad ſigna ſua: in quo ſeſe maximè veteres Poloni exercebát, nunc Scytæ aſſidua in meditatione habent, tum Turcæ, Perſæ, Arabes, & Nairi Calecutenſes, non tantùm in campis patentibus ac planis, ſed etiam circa colliũ radices, quantum, per arduas aſperitates attingere licet, certatim pugnando, curſim inſequendo, mixtim præliando, aut tumultuariè velitando.

Ijdem quoque natandi vſum condiſcere debent, quia non vbiq; pontes haberi poſſunt: præſertim ſi inopinato hoſtem aggredi volumus; ſed & cedens & inſequens natari cogitur frequenter exercitus. Ideo Scythæ nobis vicini, aſſiduis excurſionibus Moſcouiam, Valachiam atq; Ruſſiæ prouincias infeſtant, quia inopinatò ſuperueniunt, & flumina quæquæ maxima ſine pontibus ſuperant, tanta celeritate, vt à ſpeculatoribus conſpecti, pari curſu cum ipſi aduolent, parique facilitate rapta præda, abeunt; cum interim inſequentes noſtri,

natare non aſſueti,ad ripas fluminum conſiſtere cogantur. Si igitur exercitus tuus natare neſciet, multis commoditatibus, atq; etiam occaſionibus, rei benè gerendæ tibi carendum erit. Ac propterea veteres alijs exercitijs addebant & Nationem, quòd nimirum, poſt Decurſionem, Saltum & Palaria, illa quoque maximo commodo in bellis eſſe ſoleat. Præmiaq; ſimiliter vrinatoribus atq; natatoribus proponebantur, ſicut & equeſtribus turmis, aut legionarijs cohortibus.

Denique non ſufficit multum in exercitijs deſudaſſe, laboribus aſſuefactos, veloces, natatores, agileſq; euaſiſſe, niſi ſcias ordinibus quoque inſiſtere, ſigna, tubas, teſſeras, vocemq; Ducis agnoſcere, atque ordines ſtando, recedendo, progrediendo, pugnando, & proficiſcendo tueri noueris. Siquidem abſque hac diſciplina, omni ſtudio acuratiſſimè obſeruata atque exercitata, exercitus nunquam bonus fuerit: cum omni procul dubio quantumuis feroces; at in ordinati, timidis ſed in ordinem tributis, longè debiliores ſint, quod ordines timoré diſſipent, neglecti verò ferociam minuant. Proinde militari gradu ambulare celeriter & æqualiter omnes milites diſcant, ſic vt nec locum deſerant, nec ordines turbent, ſed quæcunque eueni-

re in

re in acie atque prælijs poſſunt, omnia in campeſtri meditatione prænoſcant, memores quod in quolibet bellico negotio, nõ tam prodeſt multitudo, quam exercitatio, & virtus. Vnde & veteranorum cohortes, non modo tyronum, in hyberna miſſas, ad bellicas exercitationes traducat Imperator, nec ſciant eas ociari vel deſidere. *Nam otio quidem corporis vires molleſcunt & languent: deſidia vero,* inquit Onoſander, *animi veluti eneruantur, ſocordeſque & ignaui fiunt, non prodeunt lubentes ad munera militaria, nec diu perſeuerant, ſed repente timore conſternati trepidant, priuſquam periculorum dubia tentauerint: ſimulac verò tentauerunt, abſcedunt atque iſta in illis, nec ſperant, nec reſiſtunt.*

Sint itaque matriculæ militum, in quibus nomina eorum ſcribantur, & patria cuiuſque, tum ordo in aciem deſcẽdi. Sed imprimis ſint libri Iuris militaris & diſciplinæ, vnde ad præſcriptum viuere diſcant, & ſi neglexerint, puniãtur. Ita faciebant Lacedæmonij & Athenienſes, ita veteres Romani, qui ex paruis initijs imperia ſua latiſſimè propagauerant, non alia re quam armorũ diſciplina, & aſſiduo militis exercitio.

CA-

CAPVT V.

De Operibus, & labore militum.

POſt exercitium armorum, & exercitium operis neceſſarium, vt condiſcat tyro aſſiduè laborare, decurrere, portare pondus, & ſolem pulueremque ferre, quia indurant hæc militē & *exercitus labore*, vt vetus prouerbium & veriſſimū eſt, *proficit otio conſeneſcit*. Quapropter è priſcis Germanis Catti, militē ſuum ſuper arma, ferramentis quoque & copijs onerabant. Et P. Naſica in hybernis, quamuis claſſis vſus non eſſet neceſſarius, ne tamen deſidia miles corrumperetur, aut per ocij licentiā ſocijs iniuriam inferret, naues ædificare inſtituit. M. Aemilius, ne miles ociaretur, viā per multa milliaria lapidibus ſternere iuſſit, à Placentia vſq; Ariminum. Idem fecit C. Flaminius, & à Bononia incipiēdo vſq; Aretiū viam ſtrauit. Quod conſiderans Domitius Corbulo, dolabra, id eſt operibus, hoſtem vincendum eſſe dicebat, quia exercitio qnotidiano & laboribus aſſiduis temperatè adhibitis, & lacertis robur accreſcit, & pugnandi cum hoſte peritia acquiritur & operæ militū manibus effectæ, ad conſequendam victoriam media ſubminiſtrant. Idcirco Guſtauus Germaniam ingreſſus, miram hac

hac in parte diſciplinam obſeruabat, ſeueramq; & exemplaré poſteris reliquit, dum millites molliciæ otioq; marceſcere minimè pateretur, ſed continuis laboribus (moderatis tamen) exerceret; ratus immodicā mollitiem nihilo magnis facinoribus apriorem eſſe, quàm dementiam, & fieri non poſſe, vt is qui luxui, & mollitiei indulget, viro aliquid dignum, vel cōſulat, vel agat. Exercebat igitur ſemper militem aut prælijs, aut militari alio munere, ne per deſidiā molleſceret: & propterea munitiones vbiq; nouas erigebat vetereſq; reficiebat, aut in meliorē formam, ſecundū artis peritiam redigebat, vt Stetini, Norimbergæ, Moguntiæ, Auguſtæ, Vindelicorū, Francofurti ad Mœnum, Stralſundæ, Erfordiæ, alijſq; in locis infinitis. Vnde ipſe etiam toto byberno tempore in caſtris manſit, & vrbes oppugnabat, aut de prouincias inoadebat, quia militem infeſsū laboribus prælijs forté, imperterritumq; periculis habuit. Nam qui vitam commodam voluptuoſamq; ducunt, illam magnipendere ſolent, & pericula vitāt, qui verò exercitam & laborioſam, flocci faciunt, & pericula cupiūt, vel ipſo vitæ faſtidio. Annibal quod ociari milites ſuos Capuæ pmiſerit, Italia eiectus fuit, Alexander M. quòd in Babylonia luxui cū ſuis militibus deditus eſſet, ipſe perijt.

Bole-

Boleslauſq; Audax Chiouia expugnata, ex otio, & luxu in Tyrannum verſus Regno excidit. Vnde Curtius, *Diutius in hac Vrbe, quàm vſquam conſtitit Rex: nec vllus locus diſciplinæ militari magis nocuit.*

Ea propter laboribus aſſidue ſit occupatus miles, & imprimis pondus baiulare condiſcant tyrones, vt in arduis expeditionibus, annonam pariter ac arma portare poſſint: tum foſſam ducere, aggerem ponere, ligna ſecare, lapidum aut truncorum moles, pro extruendis munitionibus conferre, tormenta bellica eis imponere, aut vallo admouere, proq; eis eſtruendis metallum geſtare, corbes conficere, pontes extruere, foſſam ducere, & ſudes ſcienter figere. Quæ omnia nonniſi duratis ad laborem militum membris confici facile haud poſſunt, noſtro præſertim ſæculo, cum paſſim omnium gentium milites ad laborem ob molliciem videam ineptos, ſolis Moſcouitis exceptis, atque Coſachis Zaporoſéſibus, qui aliquid hac in parte de veteri diſciplina inter ſe retinent. Nam apud Romanos olim, vt teſtatur Salluſtius, *Iuuentus ſimul ac belli patiens erat, in caſtris per laboribus vſum militiam diſcebat.* Sed cum campeſtris exercitatio interueniente negligentia deſidiaq; ceſſaret, grauia videri arma cæperunt, quę vt dicit Vegetius, raro iam milites induebant,

duebant, & ſic nudis pectoribus & capitibus congreſſi contra Gottos, ſagittariorum multitudine deleti ſunt, & totũ deinceps Imperium amiſerunt. Eadem deſidia noſtri ſæculi milites, primo cataphractas, deinde caſſides depoſuerunt, ſæpiùſq; à Turcis in Hungaria ſub Rudolpho II & à Scythis in Myſia, atque Tranſyluania, ſub Sigiſmundo atque Andrea Battoreis fratribus, cladem retulerunt. Ita enim fit, vt non de pugna, ſed de fuga cogitent, qui nudi in acie exponuntur ad vulnera, & cum exercitium laboremq; declinant, cum maximo dedecore trucidantur vt pecudes.

CAPVT VI.

De Ordine ſeruando in militia.

PRræcipua eſt pars diſciplinæ Ordo, qui multipliciter in militia eſt ſeruandus. *Primum*, in digerendis copijs per Legiones, Cohortes, Centurias, & Decurias; quia *acies diſtinctior, & ex pluribus partibus conſtans, facilis partienti quacunque opus ſit, facilis iungent*, vt inquit Liuius. Etenim certum atque clarum eſt, non omnia omnibus imperanda, ſed ita ſe ducum auctoritas, ſic rigor diſciplinæ habet, vt multa Céturiones, Tribunoſq; tantum iuberi expediat; proinde in

Ordi-

Ordinem milites diſpoſiti , ad nutum regentis, ſine tumultu reſpondent, cum eos aliquid facere velit, imperiumque Ducis ſimul omnes copiæ ſentiunt. *Deinde*, in incedendo , & ſtando in acie, vt ſcilicet omnes milites in itinere faciendo Ordinem ſeruent, & vt in pugna æquali legitimoq; ſpatio vnus diſtet, ab alio, nec vltra quam expedit, aut conglobent agmen, aut laxent Nam grande in his rebus momentum : ſæpèq; integri exercitus perire à tali aliqua confuſione. *Poſtremo* , quia nihil tam vile, aut decorum hominibus, quàm Ordo; ideo in caſtris etiam diligenter ſeruandus, vt illa ſcilicet habeant apta dimenſione vias ſuas, portas, fora, & ſint velut ad formam minutæ vrbis . Ibi pro gradu, Legionibus , Auxilijs, Equitibus, & Peditibus, loca in quibus papiliones tēdant, deputentur, ſic vt facilè cuiq; ſit & locum ſuum, & commilitones reperire. Sed de hac re loco ſuo , hic autem notandum , omnes populos, in conſtituendis exercitibus , aut militia, ordinis aliquam rationem habuiſſe , atq; eius præcipuum quoddam membrum conſtituiſſe : quod licet nomine tenus alij aliter mutauerint , parum tamen quoad numerum inter ſe diſcrepaſſe , compertum eſt; ſiquidem omnes iſtud ex ſex , vel octo hominum millibus compoſuerunt.

runt. Hoc membrum à Romanis vocabatur Legio: á Græcis Phalanx, à Gallis Caterua: ab Heluetijs, qui quidem ſoli hoc æuo ex antiqua militia vmbram quādam retinent, vocatur Regimentū, quod nobis aciē ſignificat. Licet ſinguli iſtud poſtea in turmas atque agmina ſubdiuiſerint, atque exarbitrio ordinauerint, Germani præſertim, quia iſta Regiměta bellis modernis, vix quingentorū hominum habere voluerunt, modo titulos Tribunorum aucuperentur, & ſtipendia tanto nomine digna, à principibus emungerent, cum nec artem militarem norint alij, nec ſciāt quid Legio ſit, aut quomodo adminiſtranda. Melius Coſachi Zaporoſenſes, qui per Chiliades exercitum ſuum diſtribuunt, & Chiliarcham decem Centurionibus præficiunt, Centurionem decem Decurionibus. Decurio verò pręter nouem veteranos, quibus pręeſt de conſuetudine, habet interdum in manipulo ſuo triginta & quadraginta tyrones, quos ſuis deinde commilitonibus inſtruendos æqualiter diuidit. Vnde Chiliarcha mille quidem veteranis pręeſt, ſed quandoque ad trita & quatuor millia hominū in ſua Caterua habere ſolet, quibus ferè ad normam veterum Romanorū imperat, ad labores & militaria exercitia eos aſſuefaciēdo. Sed maximè ab illis ſilen

tium in caſtris,& obedientiam,ſub pœna etiá capitis, non modò fuſtigationis exigit.quorum exemplo,in omni planè exerciu,duas Ordinum ratione obſeruari vellem. Vnam,qua vniuſcuiuſque cohortis, Alteram, qua vniuerſæ Legionis milites obſtringuntur. Sed in exercitio, cohortium id primum eſt, vt ordines ritè ſeruentur.

Princeps itaque, qui milites in ſuis prouincijs deſcriptos habet,iubeat vnáque cohortem exercere ſeparatim, feſtis diebus præſertim, quo cognoſcant tyrones,quali ratione ſeſe colligere,quid ad claſſicum, quod in prælijs receptum eſt,agere debeant. Bis autem in annum adminimum omnes cohortes iubeat conuenire ad Ducem Legionis, ad iuſtam exercitus formam componendam, vt diſcát omnes ſimul ordines in ea ſeruare, ſigna ſequi, & imperium Ducis agnoſcere, quibuſue ſignis, vocibus, claſſico obtemperare; frontem, alas, atque ſubſidia noſcere, hoſtem excipere, vel in eum ingruere,acies cómittere; quoue loco idoneo ſi pulſi fuerint ſeſe recipere, & vnde ſubſidia exſpectare. Hinc Ioſephus in ſua Hiſtoria teſtatur,Romanorum exercitijs id tádem effectú fuiſſe, vt etiam turba illa, quæ exercitum lucri cauſa ſectari conſueuit cum de ſũma certaretur vtilis eſſet, ſiquidé tueri ordi-

ordines, atque in illis pugnare, omnes nouiſſent.

Quapropter Imperator milites ſuos & pedem referre, & hoſtes perſequi, ordine ſemper ſeruato iubeat, vt non ſingillatim diſperſi, in hoſtium manus incidentes, dum forte fugient, minore clade premantur. Et ſi rem benè feliciterq; gerát, integris ſemper ordinibus ac manipulis, maiorem hoſtibus perniciē inferát, & fortiores exiſtimentur, ſintq; re ipſa tutiores. Nam plerunque terga vertentes hoſtes, cum aduerſarios paſſim, nulloq; ordine inſequentes vident, conſpirantibus mutatiſq; animis, ordines ſuos repetunt ac reparant, rurſuſq; inuerſi impetum acriter vrgendo faciunt. Vt fecerunt Turcæ ad Caniſiam, qui iam ferè omnes à Chriſtianis diſſipati fuerát; ſed cum viderent noſtros partim prædæ inhiare, partim diſſipatos in victoria eſſe, obuerſi tot millia interemerunt in inſtanti, quot multis ānis Cæſares Germanici poſtea contra barbaros conſcribere haud poterant: qui tamen non ita nimium cæſi in fuga fuiſſent, ſi ordines in recedendo ſeruare ſciuiſſent. Vti obſeruare licet in Heluetijs, qui temporibus bellorum ciuiliū in Gallia, in illa memorabili pugna Dreuxenſi, à Condæo ſectarioru Principe acriter circumquaque oppugnati, nihiloſecius ordinibus ſer-

uatis pede preſſo reſiſtere, cunctis alijs diffugientibus, hoſtemq; tantis per ſuſtinere, dum viribus ſenſim acciſis pedem ad ſua caſtra referre cogerentur, hoſtibus in admirationem raptis, qui eos nullo modo diſſoluere poterant. Ideo & Ioannes Auſtriacus, in pugna ad Mechliniam, cum ſuos laborare videret, quos ad certamẽ præmiſerat, exercitũ qui in acie ſtabat circumuectus, Tribunos ac Cẽturiones hortabatur, cõtinerent loco militem, redeunteſq; à certamine ſocios, ſeruatis ordinibus reciperẽt: ne, quod confœderatis Belgis exitio fuit in Gemblacenſi pugna, dum illorum equitatus actus à Farneſio in fugam, peditatũ omnem interturbauit, afflixitq;, idem Catholici Regis exercitui fortè contingeret, ſi ex acceſſu commilitonum, diſtractis agminibus perculſum, ſuperueniens hoſtis ex aliena trepidatione ferox inuaderet.

Præcipua itaque cura militum ſit, aſſiduo vſu permanere in ordine, vt adſueſcãt de facie, ac nomine, ſeſe inuicẽ noſſe. Item vt diſcant, quis progredi debeat; quo imperante; quo loco; quot ſocijs comitatus. Tum verò doceantur vel leuiſſimo nutu & ſigno adſtare in ordine, agmen producere, vel contrahere, inclinare in læuũ, in dextrũ latus, manipulos traducere, diuidere, cõdenſare, vel

etiam

etiam vicibus alternis accedere, & recedere. Quod quia ignoratum fuit à noſtris in pugna Czeczorienſi cum Turcis & Scythis, qui conglobati adoriuntur hoſtem, ideo carragines vnius cornu, quas extra vallum eduxeramus, & machinas æneas, in primo congreſſu amiſimus. Quapropter adſueſiant milites aciei diſtributionibus, diſpoſitionibus, ac obuerſionibus tempeſtiue ante præliũ, ſiue in Phalangem componenda ſit acies, ſiue confertim colligenda, ſiue longa ſerie protendenda, ſiue ita, vt poſtremi aduerſus circumuenientes obuerſo vultu prælientur, pugna biceps, ac bifrõs pugnanda, ſiue etiam receptui ſigno audito ſecedendum; quod ChodKie vicius etiam haſtatos equites facere edocebat, cohortem de loco non mouendo in omnes partes facie opponebat. Alias enim ordinum ſeruandorum inſueti & ignari, trepidi admodum, poſt multos errores & anfractus, vix tandem diſpoſitè cum equis ſuis conquieſcunt. Qui verò communibus animis conſpirare edocti ſunt, dato ſigno, derepente, quaſi naturali motu, ipſi per ſe feruntur in ordines, aciemque pulchrè cõcinnatam componunt.

CAPVT VII.

De Officio Tribuni, ſeu Legionis Præfecti.

LEgio ab eligẽdo appellata eſt, quòd milites electos ex ſubditis naturalibus haberet; cui deinde addebãtur auxilia è ſocijs, ſeu fœderatis populis, tàm peditum, quàm equitum. Et equites ſanè ad latera diſpoſiti fuere quos appellabant alas Legionis, ab eo: quòd ad ſimilitudinem alarum, ab vtraque parte protegant acies, quæ nunc vexillationes vocãtur, à velo; quod vexillo pro ſigno & Aquila vtantur.

Ritu itaque veterum Romanorum, in vna Legione decem Cohortes eſſe debent. In cohorte autem qualibet, diuerſum illi numerum ponebant; ſed quarũ prima, & plures milites reliquis habebat, & dignitate præcedentes alios Leginarios, quia & genere, & inſtitutione literarum, viros electiſſimos requirebat. Et hæc Aquilam argenteam, ſignũ præcipuum Romanorũ habebat, & imaginem Imperatoris, totius Legionis inſigne. Nos; æquales numero omnes cohortes, & æquales prærogatiua omnes milites habeamus, modò è ſtrenuis viris collecta ſit Legio, ſiue equites illi fuerint, ſiue pedites. Nam illi vnicuiq;

cohorti

cohorti peditum, partem quaſi ſeptimã, equitum adiungebant, vt, cum cohors conſtaret 555. peditibus, bonos haberet 66. equites. Nos ſeparatim, more præſenti, equites à peditibus habeamus; & non vltra centum in vna cohorte: quia & facilius obire munia ſua poterunt, & commodius in itinere à paganis ſub tecta recipi, poſtquam iam ſub dio dormire deſueuerunt.

His adiungendi ſunt artifices, machinarum ſtructores aut vibratores, vectores, rhedarij, fabri, fabrorumque pręfecti cum ſuis familijs & ſeruis, aut officialibus, vt quocunque in loco fixerit caſtra Legio, armatam faciat ciuitatem.

Legioni autem præeſt Tribunus; qui ſic vocatur, à tribu, tribuendoque iure, quòd præeſſet militibus, quos ex tribu primus Romulus legerat. Centuriones verò ſunt, qui ſingulas centurias curant, nunc vulgò Capitanei, quaſi capipita cohortium vocantur. Decani verò, denis militibus præpoſiti, qui capita contubernij nominantur, quòd decem ſub vno papilione degentibus præſint. Hæc nomina & officia, pedites Poloni, quos Haidones, ab Hungaris mutuato nomine, vocamus, rectè quidem ex vetere diſciplina obſeruant, ſed melius Coſachi Zaporo ſenſes. Reliquus verò peditatus Europæus plures officiales, cũ

in qualibet cohorte, tùm in vniuerſa legione habet, non vt ordinem meliùs obſeruet, ſed vt ærarium emungat, & miles vanis titulis inter ciues ſuperbiat.

Legati verò ſunt, Imperatoris Vicarij, quibus Legiones & auxilia vniuerſa apud Romanos obtemperabant in ordinatione pacis, vel neceſſitate bellorum: in quorum locum nos Sarmatæ, tàm in Lituania, quàm in Polonia, magiſtros militum, Viros illuſtres ſubſtituimus, quos vſitato nomine, Duces Campeſtres, appellamus; Imperatores verò ipſos, ſupremos exercituū Duces Gemani autē & alij occidentales, illos Cāpi Marſcalcos vocant iſtos Generaliſſimos belli.

CAPVT VIII.

De Officio Cohortis Præfecti.

CEnturio ſeu Cohortis præfectus, qui centū peditibus præeſt, habeat milites ſuos per decurias diſpoſitos. Optimus autem cuiuſque decuriæ præponi, & ductor cæterorum omnium eſſe debet, qui & Decurio, & Decanus, & Dux & Primus, & Præſtes nuncupatur. Qui verò decurionē proximè ſequitur, Subſtes dicitur. At qui totiùs Centuriæ, ſiue etiam Cohortis equeſtris, vltimum agmen claudit, eum Romani Tergiductorem

rem vocabant: nos Vicarium Præfecti, ſeu Locotenentem appellamus, quod locũ illius abſentis teneat, viceſq; gerat.

Vt autem Decuriones, ita & Signiferos & Tergiductores optimos eſſe omnino conuenit, ita vt & ſtatura, & viribus corporis præſtantiores cæteris ſint, & rei militaris peritiores. Maximè itamen Tergidux ſuperordinarius prudẽs perituſq; eſſe debet (frequenter enim Præfecti ipſi ſeu Centuriones, fauore Principis, aut Ducis belli, iuuenes, & ignari rerum militarium, conſtituũtur: Præſertim in Polonia equeſtrium turmarum Præfecti, eo quòd Procerum filij proprijs ſumptibus, non cohortes ſolummodò, verùm integras etiam legiones interdum conſcribere ſoleant) qui & ipſum Ducem Cohortis, & omnes ſuos commilitones inſtruat, prouideatq; & procuret, vt ordine ſemper incedant, maximè autem prælij tempore, cum ab hoſte premuntur, aut recedere coguntur. Idem authoritate ſua, animo conſtanti, verbis atq; exemplo reliquos in officio contineat, atque ad pugnam alacriores reddat recedenteſq; ex pugna vel metu, vel aliqua alia cauſa; prohibeat, & reſtitui cogat in ordinẽ; atq; etiã cũ conſtipandũ ſit, compellat militem, cogatq; ſi vſus exigit, in arctum quàm maximè adduci, vel etiam diduci, & in

partes ſeſe obuertere omnes. Decuriones quoque ſinguli ſuas decurias ſibi paratas habeant, cum illis in caſtris habitent, ſeſe exereeant, atque eoſdem ordines tueantur.

CAPVT IX.

De officio Præfecti Turmæ.

QVemadmodum inter pedites Cēturia vel manipulus appellatur, ita inter equites Turma dicitur. Sicut igitur Centurio, ita quoque & Turmæ Præfectus eligendus eſt magnis viribus, magnoq; animo procera ſtatura, qui haſtas, vel miſſilia peritè iaculetur & fortiter, qui dimicare gladio, qui ſcutum rotare doctiſſimè nouerit, qui omnem artem didicerit armaturæ: vigilans, ſobrius, agilis; magis ad facienda, quæ ei imperantur, quàm ad loquendum paratus, Contubernales ſuos ad diſciplinam retineat, & ad armorum exercitium cogat, vt bene veſtiti & calceati ſint, vt arma omnium defricentur ac ſplendeât.

Et quia nunc moris eſt, vt quiſque Turmæ aut Centuriæ præfectus habeat ſuum legatum ſeu vicarium, idcirco delegatus quoque iſte, eligatur habili corpore, vt loricatus & armis circumdatus omnibus, cum ſumma admiratione

contubernalium ſuorum equum poſſit aſcendere, equitare fortiſſimè ſconto ſciẽter vti, ſagittas doctiſſimè mittere, haſtã dirigere, acinacem vibrare, ſclopetum promptè implere, & ex deſtinato explodere, audaciſſimè cum hoſte congredi, turmaleſque ſuos, id eſt, ſub cura ſua equites poſitos, diligenter erudire ad omnia, quæ vel pedeſtris, vel equeſtris pugna depoſcit. Nam hæc communiſſimè ipſi Turmarum Præfecti, Dynaſtarum præſertim filij, vti tyrones ignorant. Proinde obſeruet diligenter Imperator, vt ſi illi inualidi ſunt, & pueri adhuc habeant legatos ſuos, longa militia probatos; peditibuſque ſuis, quos ære proprio conſcriptos habere penes ſe cõſueuernnt, veteranos Centuriones præponant, nec per conniuentiam ipſorum, caſtrenſis diſciplina paulatim diſſoluatur.

Notandum, quod antiqui, qui ſciebãt in acie commiſſo prelio celeriter ordines turbari atque confundi, ne hoc poſſet accidere, Cohortes in centurias diuiſerant, & ſingulis centurij, ſingula vexilla conſtituerant, ita, vt ex qua cohorte, vel quota eſſet centuria in illo vexillo literis eſſet ſcriptum, quod intuentes vel legentes milites, in quantouis tumultu à contubernalibus ſuis aberrare non poſſent. Centurioneſq; ipſos

tranſuerſis caſſide argenteis criſtis, quo facilius noſcerentur, ſingulas iuſſerunt gubernare cateruas, quatenus nullus error exiſteret, cum cuncti milites ſequerentur non vexillum ſuum, ſed etiá centurionem, qui ſignum habebat in galea. Præterea in aduerſo ſcuto vniuſcuiuſque militis erat nomen literis aſſcriptum, tum ex qua eſſet cohorte, ex quaue centuria. Quod poſſet iterum in conſuetudinem reuocari, quamuis, & hoc non male, quod apud nos ſuperioribus annis, tàm Coſachi equites leuioris armaturæ, quàm pedites omnes per vni colores veſtes, cuius centuriæ fuerint, dignoſcebantur; ſed nunc iam in deſuetudinem venit, poſtquam ad morem Germanorum, peditatum noſtrum exercere cœpimus.

CAPVT X.

De Officio Præfecti Caſtrorum.

CAſtrorum Præfectus eſt, ad quem caſtrorum poſitio, valli & foſſæ deſtinatio pertinet. Ad eundem priſca conſuetudine tabernacula, vel caſæ militum, cum omnibus impedimentis pertinebant, ipſiuſq; nutu curabantur. Præterea ægri contubernales, & Medici, à quibus curabantur. Expenſæ etiam ad eius induſtriam pertinebant vehicula,

currus

currus, & ferramenta quibus materies ſecatur, vel cæditur, quibuſq; aperiuntur foſſæ circa ſitũ valli, & aquæ ductus. Item ligna, ſtramina, aſſeres ad pontes exſtruendos, & omnia genera tormentorum. Et propterea ſub eius iuriſdictione fuerunt lignatores, lapicidæ, machinarum artifices, liberatores armentorum cuſtodes; atque omnis generis artifices; currus item publici tam victũ, quàm arma, & quæ eo ſpectãt, gerentes. Vnde & apud nos priſco Romanorum more, poſt longam probatamq; militiã, peritiſſimus omnium, olim ad hoc officium legebatur, alter in Polonia, & alter in Lituania, cũ honore & titulo perpetuo. Cæterũ nunc, non eadem prudẽtia in eis requiritur, quod titulo contenti in caſtris nuſquam compareant, vt rẽ opere præſtent, idcirco copiarum Duces alios in campo pro libitu ſuo creant, & immutant.

☞ Pręfectus igitur electus, poſtquã vias caſtrorũ delineauerit, neceſſe eſt, vt quatuor ſpatia pro impedimẽtis relinquat, adeò, vt vnũ armentis, alterũ artificibus tertium annonæ, quartũ armamentario cederet. Caueatq; diligenter, ne Machinæ vitiari, aut aſſerri ab hoſte poſſint. Hinc Gregorius Toleſſanus. *Magnam partem victoriæ tulit, qui armis hoſtẽ exuit, vires enim ſibi ad ſupremũ triũphũ addidit.*

C A.

CAPVT XI.

De officio Præfecti Fabrorum, & Tormentorum.

HAec erat antiquorum Imperatorũ cura præcipua, vt quicquid exercitui neceſſarium videbatur, nunquam deeſſet in caſtris. Quare, quælibet Legio habebat fouebatq; fabros lignarios, ferrarios, inſtructores, carpentarios, pictores, reliquoſq; artifices, ad ſitus locorum, vrbium, aut munitionum depingendos; ad hybernorum ædificia fabricanda, ad pontes exſtruendos, ad machinas præparandas: tum qui arma, qui vehicula, cæteraq; genera inſtrumentorum, aut armorum (quibus vel expugnantur, aduerſariorum ciuitates, vel defenduntur propriæ) vel noua facerent, vel quaſſata repararent: Iſta cura in omnibus ferè Chriſtianorum Principũ exercitibus neglecta nunc eſt, Venetis, atque Batauis exceptis; ſæpiuſque ob id cæptas diſſidiones omiſſas vidimus, vel in longiſſimũ tempus protractas. Quin & exercitus in proprijs caſtris ab obſeſſis deletos, quod ob intermiſſum exercitium & laborem, eiuſmodi inſtrumẽta in campum deferre noluiſſent.

Quapropter, non vniuerſus modò exer-

exercitus, ſed quæquæ Legio habeat ad foſſarum opera facienda bibentes, ligones, palas, roſtra, alueos, cophinos quibus portetur terra. Itemq; ſcaphas, harpagones falces ferreas confixas longiſſimis cōtis, dolabras, ſecures, aſcias, ſerras, quibus materia ac pali dolantur, atq; ſecantur. Præterea, teſtuidines muſculos, vineas, colubrinas, haſtas, ſclopeta frameas, tormenta ænea: turres etiā ambulatorias & ſcalas, atq; ea vniuerſa, quæ in quoq; belli genere neceſſaria eſſe credūtur, vt etiā medijs in cāpis Legio depræhenſa, non metueret repentinum hoſtium ſuperuentum, ſed ſubitò foſſa ſe valloque muniret, omneq; genus militarium, inſtrumentorum & artificium in ſe cōtineret. Quiduis enim efficit ſolertia, ſi competentes non denegentur expenſæ.

His autem omnibus & inſtrumentis & fabris, præficiatur in qualibet Legione vir prudens & fidelis in expendendo, tum diligens & ſobrius in attendendo ad operas artificum. In vniuerſo autem exercitu ſit vnus, qui his legionarijs fabrorum præfectis, cum authoritate præſit, & ab illis tàm expenſarum quam etiam inſtrumentorum omnium rationes exigat, & ad Imperatorem deferat.

CA-

CAPVT XII.

De Buccinatoribus, & Tympaniſtis.

VEteres habebāt in caſtris Tibicines, Cornicines, & Buccinatores: de Tympaniſtis verò nullibi legimus, ſed dicunt eſſe nouitium inuentum Heluetiorum, quamuis Calecutenſes, & Magoriani antiquitus vtantur tympano æreo, & laminis ſonum ex concuſſione edentibus, à quibus deinde Perſę, & ab his Moſcouitę tympana partim lignea, partiā ærea equis adligare parua cōſueuerunt, Tribuni pręſertim, aut turmarū ductores, quibus vel ad pugnam, vel ad iter milites concitare ſolent. Apud Romanos verò Tubicines ad bellum vocabant milites, & rurſum receptu canētes reuocabant. Cornicines, & Buccinatores, erant ornamentum Legionum in ingreſſu conflictus, & eius reditu. Modo quoties ad aliquod opus mouentur milites, ſiue ad pugnam, ſiue ad iter, tubicines canunt, & tympana murmure ſuo reſonant. Cornicines verò & fiſtulatores varij ornatus cauſa adhibentur, tam equitum turmis, quàm peditū centurijs in Polonia pręſertim, vbi peditatus & Hungarico & Germanico more inſtruitur, equitatuſq; è nobilitate collectus pro ſua animoſitate & libertate militari, diuerſarū gentiū armis, & habitu vtitur. Cū autē eos, vel pugnare, vel ſtare,

re, vel ſequi, vel redire ex acie, Duces Supremi iubent, tuba ænea inſonante, datur peculiare ſignũ. Vnde Vitoldus Magnus Dux Lituaniȩ in quadã pugna multitudini Scytharũ reſiſtere nequiẽs, ad ripã Boryſtenis, vbi caſtra habebat, tubas quȩ vento inflãte ſonarẽt exſtruxerat, ipſe autẽ in alio loco, nocte obſcura fluuiũ tranſgreſſus hoſtem inopinatò adortus erat, & victoria potius inſigni, multa Scytarũ millia in captiuitatẽ duxit, quibus deinde ſedes in media Lituania propè Vilnã aſſignauit, qui in hodiernũ etiam genus ſuũ ducunt, ſuntq; vtiles bello Regibus Poloniȩ. Moſcouitȩ cõplures ſolent tubicines habere, & in pugna illa Orſanenſi, toto Orbe celeberrima, quingenti bucinatores fuerũt. Turcȩ è contra, pauciſſimos tubicines habent & tympana ferè nulla, preter ipsũ Imp. Baſſȩ verò & triremium prȩfecti, fiſtulatores penes ſe habent; ad pugnam verò loco tubarũ clamore, ſicut & Hungari, concitantur. Nairi autẽ in India, cũ ad prȩliũ procedunt, laminas æreas ſinguli gladiorũ manubrijs appẽdunt, quȩ ferro alliſȩ ſtrepitũ ingentem efficiunt, & ſic ad pugnam omnes accendunt. Sed confuſio inde maxima in acie naſcitur, quia à pugna milites reuocari non poſſunt, cum opus eſt; melius eſt vti turbis. Nam ſicuti qui ſaltant numeris Muſicis

obtem-

temperare ſolent, atq; eo modo errare neſciunt, ita & milites ſi buccinis & tibis obtemperant ordines ſuos fadilè tuétur. Proinde veteres mutabāt ſonitum crebrius, prout ipſis viſum erat, vel gradum mutari, vel animos incitari, componi aut refrœnari. Sicuti autem modo iſti diuerſi, diſtinctiq; erant, ſic etiam diuerſa hæc nomnia ſortiebantur. Doricus etenim conſtantiam, Phrygius furorem excitabat, reliqui ſonitus alia ſigna motus dabant. Alexander Magnus habebat Antigenidam excellentiſſimum tubicinem, cuius ſonitu ita excitabatur ad prælium, vt circumſtantes Duces eum timerent, cum ſcintillas ex oculis ipſius ardentes prodire cernerent.

Neceſſe itaque eſt vt milites obtemperare tubis aſſueſcant; aureſq; eorum crebris exercitationibus imbuantur, quia & nunc, prout & olim, varia tubarum aut tibiarium ſunt in bellis genera, quibus varia imperantur à Ducibus. Et Lacedæmonij quidem, ſicut ex Thucidide cognoſcimus, fiſtulis tenuibus vtebantur, qualibus fortaſſe nunc peditatus Germanicus vtitur. Carthaginenſes in primo conflictu citharas adhibebant. Macedones & Romani cornua atq; buccinas habebant. Poloni nunc omnia genera tubarū & fiſtularum habemus, ſed diuerſi modè adhibeamus fiſtulas Bulgaricas

diverso modo?

ricas equitatui,tibias verò Hũgaricas peditatui attribuimus.Item tympana ærea maiora haſtatis,minora velitibus,lignea Heluetica peditibus damus;ſigna autem peratiua omnia,in caſtris præſertim,per tubæ ſonitum denunciamus.

Eapropter buccinatores propè Ducẽ Supremum collocentur,tum iuxta Tribunos reliquos, vt ad iuſſa Ducis moneant, quãdo vel conſiſtendum, vel mouendum; vel etiam pes referendus, aut tormenta diſplodenda. Hos deinde reliquarum cohortium ſonatores & tympaniſtæ conſequantur, qui cauendum diligenter, ne inebrientur, cum hoſtis in proximo eſt, ne fortè aliquem errorẽ ſono edito committant, aut totum exercitum conturbent, vt accidit Koniecpolſcio in Pruſſia bellum gerenti, qui cum nocturnas inſidias ad capiendũ Guſtauum propè Grudencum collocaſſet, ipſeq; eum in acie armatus expectaſſet, eo quòd ille excubias ſuas aggreſſurus inopinato veniebat, Tympaniſta Germanus qui in inſidijs collocatus fuerat, prætereuntem Guſtauum conſpicatus ſtrepitu tympani facto, vt retrocederet admonuit, vel vtrò ſaluti illius conſulens, vel, vt ferebatur, mero occecatus,aut in furorem incitatus; atq; ſic periculo ſuo,Regem Suecum in caſſes ruentem,periculo exemit.

C A-

CAPVT XIII.

De Calonibus, & Lixis.

ANtiqui calones & lixas, ad exemplum militum ſub ſignis habebāt, vexillaq; eis dabant, vt ſcirent ad quę ſigna deberent impedimenta, quę conducebant, tempore neceſſitatis colligere. Ideo eis ex ipſis calonibus idoneos ac perites vſu legebant, quos non amplius quam ducentis lixis pręficiebant, & ad pugnā adhibebant. Ita Minutius Ruffus, & Accilius Glabrio, Romani Conſules, ſuperiores euaſerunt, lixas loco auxiliorum à ſylua venientes in terrorē exhibendo. Ita Marius circa aquas Sextias, cū in animo haberet poſtera die depugnare aduerſus Theutones Marcellū cū parua manu equitum peditūq; noctu poſt terga hoſtiū miſit, & ad implendam multitudinis ſpeciem agaſones lixaſq; armatos ſimul ire iuſſit, iumentorūq; magnā partem inſtratorū, cum cētunculis, vt per hoc facies equitatus obijceretur, pręcepitq; ūt cū animaduertiſſent committi prœlium, ipſi in integra hoſtium deſcēderent, qui apparatus tantū terroris intulit, vt aſperrimi hoſtes in fugam verſi ſint. Caius etiam Sulpitius calones atq; lixas, mulis

atque

atq; alijs bello inutilibus iumentis impoſuit, eoſq; tanquam agmen cataphractorum diſpoſitos, in ipſa cum Gallis pugna in colle vicino cōparere iuſſit, atq; ſic victoria potitus eſt. Qua itidem ratione GhodKieuicius in Liuonia contra Suecos feliciter vſus fuit, & Liſſouiani Coſachi in Germania contra rebelles Morauos cum Ferdinādo II. Imperatori ſuppetiatum iuiſſent; cum hoc ſit commune quaſi Polonis, lixas tempore neceſſitatis pugnæ immiſcere, aut ad defendenda caſtra ad caſtra adhibere, vel vrbibus oppugnandis in acie monſtrare: Vnde cum VielKolucos in Moſcouia Rex Stephanus expugnaret, in illo aſſaltu, in quo arx primùm capta fuit, calones & lixæ primi quoque fuerunt, qui muros conſcenderant, auxerantq; numero ſuo terrorem hoſti, qui paucitatem militum regiorum flocci pendebat.

Attamen in calonibus etiam atque lixis debet eſſe delectus, ne pueri ſint nimium, aut malarum artium ſectatores; tū ne mercatores rerum ad luxum ſpectantium adhibeantur, aut cupediarū venditores. Maximè verò cauendum eſt, ne fœminę comitētur caſtra, in quo maximus committitur modo error apud Germanos, qui tot ferè fœminas habere ſolent in bello, quot ſunt & viri. Turcæ, Perſę, & Scythę hac in re pruden-

prudétiores,qui nullam in caſtris fœminam patiuntur, niſi fortè captiuam, & meritò, quia & commeatum conſumũt, & fœtorem in caſtrjs augent, & timoré in viris ſuo pauore excitant, & militem eneruant,& quòd grauiſſimum eſt,peccatis multiplicatis iram Numinis prouocant, quod animaduertens Metellus, etſi gentilis & idolorum cultor, ipſe nullum tamen puerum, in bello cum Iugurtha, nullam fœminam, nullumq; popinatorem, in caſtris ſuis habere voluit; imò & lixas admittere noluit, quo milites delicijs aſſuetos labori addiceret atque ſic inſtructos priſtinæ diſciplinæ reſtitueret.

CAPVT XIV.

De Mercede conductis.

ETſi multo vtilius eſt naturales ſubditos in caſtris habere, quàm populos alienos mercede conducere, tamen quia raró, aut ferè nuſquam exercitus fieri poſſunt abſque alienigenis, ideo in mercede conductis præliãdi magis adminiculum ſit, quàm principalẹ ſubſidium, ne videlicet amplior eorũ multitudo ſit, quàm ciuium. Niſi fortè neceſſitas aliter poſtulauerit, aut Princeps ſuis militibus diffidat. Vtilius tamen

men ſemper conſtat erudire armisſuos, quàm alienos mercede conducere;quia exteris proprium eſt tumultuari, fidem excutere, patrię incolas tanquam hoſtes vexare, atterere, vrere & magnis tormẽtis excruciari. Teſtis ſit Michael Palęologus Orientis Imperat. qui Turcam contra Bulgarum accito mox nedum ab eo deſtitutus eſt, verùm etiam Conſtantinopoli Imperij ſede exutus fuit. Ita quoque Franciſcus I. ad Papiam Heluetiorum beneficio, qui ob inopiam rei pecuniarię rebellabant, fuſus fugatuſq; imo captus ab hoſte fuit. Quapropter Hanno Carthaginenſium Imperator in Sicilia cum comperiſſet Gallorũ mercenariorum circiter quatuor millia conſpiraſſe ad transfugiendum ad Romanos, quòd aliquot menſium mercedes non receperant, animaduertere autẽ in eos non auderet, metu ſeditionis prolationis, iniuriam liberalitate penſaturũ: quo nomine gratias agentibus Gallis, per idoneum datis pollicitis fideliſſimũ diſpenſatorem ad Otacilium Conſ. miſit, qui tanquam rationibus interuerſis transfugiſſet, nunciauit nocte proxima Gallorum quatuor millia, quę prędatũ forent miſſa, poſſe excipi. Otacilius nec ſtatim credidit transfugę, nec tamen rẽ ſpernendam ratus, diſpoſuit in inſidijs lectiſſimam manum ſuorum, ab ea Galli

excepti

excepti dupliciter Hannonis conſilio ſatisfecerunt, & Romanos ceciderunt, & ipſi omnes interfecti ſunt.

In neceſsitate tamen exteros milites Imperator legat, & vtatur eis prudenter, exercitatione moris ſui adhibita. Nam cum in expeditionibus plurimum proſit omnes milites vnius præcepti ſignificatione conuerti, non poſſunt æqualiter iuſſa complere mercenarij, qui ſunt alterius gentis & linguæ, niſi fuerint pariter exercitati. Propterea inſtruantur diligẽter atq; ita Cæſar & Labienus Numidarum, & aliarum exterarum gẽtiũ ope rem in Gallia dexterrimè geſſerũt. Mercenarij etenim melius pugnant, vti experientia videmus, quia procul ſunt à domibus ſuis, & cum ſe ab hoſtibus vndique cinctos vident, ſumunt ad reſiſtendum animos, non habentes reſpectum ad parentes, vxores, & filios ſuos, qui non ſunt præſentes, nec incitãt affectus in eis, ſicut in illis, qui inter ſuos verſantur. Præterea famam genti ſuæ comparare volunt, & præda ex hoſte ditari, vt ad propria non icolumes modo, ſed & honorati & nummati reuertãtur. Ideo Annibal in præſidio Hiſpaniæ collocabat ſuos Africanos, in Africa verò Hiſpanos. Et Portogallenſes modò remoti à ſua patria in Indijs multò fortius ſe gerunt, quàm vnquam ſeſe in patria geſſe-

geſſeruunt pro defenſione ſuæ libertatis: & Hiſpani omnes in Nouo Orbe quàm in patria contra Hallos aut quoſuis alios vicinos ſuos.

CAPVT XV.

De Ordinatione, & Diſpoſitione Caſtrorum.

Milite Imperator ritè conſcripto, & exercitato cum in itineribus faciendis, & acie diſponenda ordinem bonum ſeruet, tum caſtra quoque ſecundum veterum doctrinam & artem benè diſpoſita atque munita habeat. Incautum enim eſt, plenumq; diſcriminis exercitum malè ordinatum habere, & ſine aliqua munitione confidere, cum militibus ad capiendum cibũ, occupatis, aut munera facienda diſperſis, facilè nectantur inſidiæ. præterea noctis obſcuritas, neceſſitas ſomni, paſcentium equorum diſperſio occaſionem ſuperuenientibns præſtat; Et ita Hannibal cũ exploraſſet negligẽter caſtra Fuluij Romanorũ Ducis poſita, eſſe ipſum præterea multa temere audere, prima luce cũ denſiores nebulæ præſtarent obſcuritatẽ, paucos milites munitionũ vigilibus oſtendit, quo Fuluius repente mouit exercitum. Hannibal per diuerſam partem caſtra eius occupauit, & ita in-

tergum Romanorum effuſus, octo millia fortiſſimorum militũ cum ipſo Duce trucidauit. Simili quoq; auſu Romanus Rozinius, pro Demetrio Moſchouiæ Principe Polonici exercitus Dux, ad Putiuliam ludificatus hoſtem, octuaginta millia Moſchouitarum profligauit, cum partem exercitus in ſyluis cœlaſſet, & partem ad euocãdum hoſtem eduxiſſet in aciem, præmiſſis qui proximum tumulum occuparent. Ad quos opprimẽdos, quod pauci fuiſſent, cum eduxiſſet copias Moſchus, inſidiatores à Rozinio diſpoſiti, ſubitò conſurrexerunt, & primùm caſtra à tergo inuaſerunt, machinaſq; omnes occuparunt, tum deinde aciem obuerſam, & perturbatam rei nouitate, in fugam coniecerunt.

Igitur Imperator caſtra benè munita, beneq; diſpoſita habeat, ſi periculum euitare cupit; quæ tuto ſemper facienda ſunt loco, hoſte præſertim vicino, vbi & lignorum, & pabuli, & aquæ ſuppetat copia: ſed vt præcipuè ſit ſalubritas loci. Deinde cauendum, ne ſit mons aliquis vicinus altior, qui ab hoſtibus captus poſſit officere: neue torrẽs aliquis aptus inũdare caſtra, quod intra colles ſæpiùs accidere cõſueuit, & in locis maritimis fluxui ac refluxui ſubiectis. Tum ne ſint in abruptis ac deuijs, ita, vt circumſedentibus aduerſarijs difficilis prꝙſtetur

tuis

tuis egreſſus: neue ex ſuperioribus locis, miſſa ab hoſtibus tela, in caſtra cum damno tuo perueniant. Præterea animaduertendum eſt, vt pro numero militum vel impedimentorum muniantur caſtra, ne maior multitudo conſtipetur in paruis, neue paucitas in latioribus, vltra quam oportet, cogatur extendi. Si fortè tamen in animo habeas exercitũ tuum clam imminuere (vti Claudium Neronem feciſſe legimus) atque amice ne hoſtis vicinus id animaduertat, auxilia ſubmittere, neceſſe eſt manſionibus, ſignis, ordinibuſque nihil deperire, ſed potius eoſdem ignes, eaſdemq; excubias vbique conſpici. Pari etiam ratione, ſi noua auxilia, quę hoſtem clam habere cupias, tibi ſubmiſſa ſint, manſiones amplificare minimè conducit, ſiquidem conſilia clam habuiſſe ſemper maximę vtilitatis fuit.

Sunt autem caſtra facienda pro loci neceſſitate, quadrata interdum aut rotunda, aut trigona aut ſemirotunda, aut oblonga, porta vna ad hoſtem reſpiciente, qua miles in aciem exiret, & altera ad tergum, qua commeatus, & ſubſidia noua inducerentur, tum aquatio libera fieret. In Romanorum attamen caſtris ſatis conſtat, quatuor ſemper portas fuiſſe, eo quod ſemper quaſi quadrata caſtra haberent. Primaque porta

Prætoria dicebatur, quod vijs in crucis formam diſtributis, prima via ad tabernaculum Imp. recta duceret. Tabernaculum autem Imperatoris, teſte Feſto, Prætoriũ dicebatur, à Prætore, quòd initio ante Conſules, Prætores bella adminiſtrarent. Secunda porta, Prætoriæ ex diametro reſpondens, *Decumana* vocabatur, hoſti auerſa, vt Tacitus auctor eſt. Tertia & Quarta porta, vt Polybius docet, *Dextra Principalis, & Siniſtra Principalis* vocabantur, quæ ſibi ex diametro oppoſitæ erant. *Metatores* autem dicuntur qui præcedentes locum eligunt caſtris. *Menſores* verò, qui in caſtris ad podiſmũ dimetiuntur loca in quibus milites tẽtoria figant; vel hoſpitia in ciuitatibus præſtant.

Primo igitur ſigna locis ſuis intra caſtra ponuntur, quia nihil eſt venerabilius eorum maieſtate militibus. Deinde Duci Prætorium, eiuſq; comitibus præparetur, Poſtmodum Tribunis tabernacula collocentur. Tandem reliquis cohortium, aut alarum ductoribus, & eorum contubernalibus papiliones tẽdantur, & loca deputentur in caſtris Et propterea ad manſiones diſtrbuendas requiruntur homines exercitatiſſimi in Geometria, qui quamprimum Dux caſtris locum elegerit, ex Metatorum conſilio, formam eorum cum ſuis diſtincti-

ctionibus atque vijs, ipſi exhibere ſciát, atq; funibus & haſtis rem confeſtim oculis ſubijcere & metiri, vt omnia momento diſtributa conſpiciantur. Quo verò id citra cõfuſionem perfici poſſit, neceſſum eſt caſtra ſemper in eundẽ modũ metari, vt vnuſquiſque nouerit, qua via & manſione ſibi morandum ſit; quòd quidem omni tempore & loco obſeruãdum erit, adeò vt caſtra ciuitatem mobilem exhibeant, quæ vbiuis locorum ijſdem vijs, habitationibus, atq; proſpectu conſtet. Quamuis pro ſitus diuerſitate aliquomodo immutari debeant, ſemper tamen ad figuram quadratam accomodentur, vel ad formam dimidiati circuli, vt hoſtem caſtra oppugnantem per latera ferire poſſis, & excurrere quãdo libuerit. Conſtructo autem ãmplo quadrato caſtrorum, & in quatuor quadrata per vias regias diuiſo, iterum inſtar hortorum, minora alia quadrata, veterum Romanorum more conſtitue, & vias minores eadem menſura deſigna, quæ ab imo ad ſummum omnes militum ſtationes, in latitudine & longitudine diuidant. Nam ſic, opinione Scipionis Amirati, viri ciuilium militbriumq; rerum peritiſſimi, aduerſus hoſtiles inſultus promptus eris. Tormenta verò ad foſſas caſtrorũ omni ex parte diſtribuuntur, factis portis caſtrorũ
 in

in formam crucis, vt facilè ſubuenire ſibi tēpore neceſſitatis milites poſſent.
Nota, quòd à vallo ad militum tabernacula, interſtitium Romani faciebant, pedum ducentorum. Primo, vt ſi ab hoſtibus tela, igneſue miſſiles iacerentur, citra caderent, ſicq; illeſi conſiſterēt. Secundò, vt locus eſſet, quo commodè præda armentorum & pecorum ab hoſtibus capta recipi poſſet. Tertio, vt ex facili in eo loco milites, qui ex caſtris adducebantur, in aciem ordinarentur. Quod quia moderni Duces in ordinatione caſtrorum non obſeruant, optandum eſt vt in vſum reducant, quia mille confuſionibus & periculis ſeſe, & militem liqerarent. Laudandus hac in re Zamoſcius, qui in metandis caſtris, totaq; re militari, ad veterum diſciplinam & præſcripta, quàm maximè ſeſe accomodabat, & Caſtrorum Metatoribus, nōniſi in carta depictam diſpoſitionem dabat, vbicunque metari volebat, ne confuſio aliqua ſubſequeretur, ignaris militibus veterum caſtramentationem. Sed iam munitionem eorũ videamus.

CAPVT XVI.

De Munitione Caſtrorum.

QVanti munitiones caſtrorum fecerint Romani, ſatis docet P. Aemilius

lius apud Liuium. *Maiores noſtri* inquit, *caſtra munita, portum ad omnes caſus exercitus dicebant eſſe: vnde ad pugnam exirent, quò iactati tempeſtate pugnæ, receptum haberent; Ideo cum munimentis ea cœpiſſent, præſidio quoque valido firmabant: quod qui caſtra exutus, etiamſi pugnando acie viciſſet, pro victo habebatur.* Cæterùm hæc muniendorum caſtrorum ſcientia prorſus iam interciderat, Imperio Romanorũ à barbaris conculcato, nemoq; ab eo tẽpore deductis foſſis, præfixiſq; ſudibus caſtra conſtituit; donec regnante Carolo V. bellis Belgicis innouari cęptum, & modernis tẽporibus ad maiorem vſum perductum eſt: non tamen ad eam perfectionem qualis apud Græcos aut Romanos fuerat. Iure igitur caſtrorũ munitionem, tyro condiſcere, Imperator ſeruare debet; quia nihil tam ſalutare, atque neceſſarium inuenitur in bello, quàm vt ſecurè intra vallum dies noctesque peragas, etiam hoſtis vndique obſideat. Scimus enim multos exercitus, tàm diurno, quam nocturno ſuperuentu hoſtium fuiſſe afflictos; frequenterq; acie pulſi Chriſtiani, dum munimenta caſtrorum, quò ſeſe reciperent non haberent, à barbaris more animalium cæſi fuerunt. Exempla cõmemorare nolo, ne refricare dolorem videar; ſed videant Duces, quantum

damnum inſcitia ipſorum res Chriſtiana paſſa eſt. *Qui autem caſtra munita habet, tutus eſt*, inquit Onoſander, *aduerſus repentinas, & improuiſas irruptiones*. Imò & aduerſus vim ac multitudinem hoſtium. Zamoſcius enim tribus millibus ſuorum, aliquot myriadas barbarorum in Czeczora ſuſtinuit, & ad tractationē pacis adegit, eo quod munitione caſtrorum à tanta multitudine moueri non potuit. Similiter Oſmanus Turcarum Tyrannus, quamuis tot centenis millibus armatorum ad Chotimiam ſtipatus fuiſſet, quia ex caſtris pugnabamus pro occaſione ſuperuentus faciendo in barbaros & excurſiones cū oppugnaremur vndique, ideo rebus infectis & militibus amiſſis ingloriusabijt, munitionibus noſtris non expugnatis.

Si igitur caſtra tuta eſſe velimus, ea tàm munire quàm otdine diſponere neceſſe eſt; & in ordinem quidē induſtria Ducis rediguntur, muniuntur verò vel ſitu, vel arte. Græci ſanè ſitum munitū quærebant neque vnquam loca inſedebant cui vel ſpecus, vel ripæ, vel arborū multitudo, aut aliud quidpiam natura ipſa defenſioni aptum deeſſet. Romani verò non tam ſitu, quam arte caſtra muniebant, neque vnquam metabātur, vbi omnem exercitū minus commodè recipere poſſent; & quod loco ad munitionem

nem deeſſet id arte &induſtria reſtituebant. Etenim in metandis caſtris non ſufficit bonũ locũ eligere, niſi talis ſit, vt alter eo non poſſit melior inueniri: ne vtilior prætermiſſus à nobis & ab aduerſarijs occupatus apportet incommodum, vt nuper Moſcouitis ad Smolenſcũ accidit, qui ab oppugnatione arcis à Sereniſs. Vladiſlao IV. repulſi, cum ſeſe caſtris ad Boryſthenem poſitis incluſiſſent, ob aquationem faciliorem, monté Alaudinum neglexerunt, quem cum Rex deinde occupaſſet, facilè munitiones ipſorum expugnauit, multiſq; milibus interemptis, reliquos ad deditioné coegit. Propterea Annibal quum frequentibus prælijs à Cl. Marcello ſuperaretur, nouiſſimè ſic caſtra metabatur, vt aut montibus aut paludibus, aut ſimili locorum aliqua oportunitate adiutus, aciem eo modo collocaret, vt vincentibus quidem Romanis, penè indemnem recipere poſſet intra munimenta exercitũ, cedentibus autem, inſtandi liberũ haberet arbitriũ. Idem fecere noſtra ætate noſtri Duces contra multitudiné barbarorum ChodKieuicius ad Chotimiã; & Koniecpolſcius ad Cameneciã.

Tribus itaque de cauſis muniri dicũtur caſtra. *Primo*, in vnius noctis tranſitum. *Secundo*, ad facienda ſtatiua tàm in æſtate quàm in hyeme; hæc iã maiore

labore & cura ſunt firmanda, hoſte præſertim vicino, aggeriq; è ceſpite facto, & foſſæ perductæ, addendi ſunt ſudes, vel tribuli lignei per ordinem ita, vt ſine metu ſecurus quieſcat exercitus quemadmodum facere ſolent Moſcouitæ, longè accuratiùs quàm Bataui aut Belgæ. *Tertio*, cum maior aduerſariorum vis metuitur, ne ſcilicet dum obſidione premimus alios, ipſi opprimamur à tergo, Igitur præter aggerem erectum, quo vrbem aliquam, aut caſtra aduerſariorũ cinximus, ſolent prudentes Duces ſepibus ductis, vel interpoſitis ſtipitibus, ramiſq; arborum, ne facilè terra dilabatur, aliam munitionē circa exercitum ſuum addere, pinnaſq; & propugnacula ad ſimilitudinem muri apponere, quod nunc Belgæ & Galli, meliùs è ceſpite qui herbarum radicibus continet terram, vtiliùs conficiunt, ſtellarumq; inſtar denſiora propugnacula erigunt, ne ſubſidio ſuis veniens hoſtis poſſit tua caſtra expugnare, qualiter tentauit Mauricius Naſſouius, obſidente Bredam Marchione Spinola. Sed & cum Ludouicus Naſſouius ope Gallorum, Montes vrbem Hannoniæ occupaſſet, Albanus verò eã recuperare volens in coronam obſediſſet, ita caſtra ſua muniuerat, vt numeroſo cum exercitu fratri ſuppetiatum veniens Gulielmus

mus Orangius, miraretur tantùm modò munitionem caſtrorum, perrumpere autem multis millibus amiſſis, nullo modo potuiſſet; licet ex vrbe quoque tempore eodem obſeſſi procurrerent, & pertinaciſſimè pugnarent. Cedere itaque coactus eſt Orangius, poſt tot fruſtraneos conatus, vrbem autem Albanus ad deditionem coegit, & puniuit.

Et caſtrorum ipſorum diuerſa munitio fieri ſolet, aut enim muniuntur foſſa & muro è ceſpite facto, qui tegeret propugnantes vſq; ad brachia, vt mos Germanorum modò, omniumq; occidentalium eſt. Aut muniuntur ſæpibus ſudibuſq: de lignis fortiſſimis, vt faciunt Chinenſes & Moſchouitæ. Aut denique muniuntur curribus & carris Poloni, Myſij & Sclauones, contra barbaros leuiori armatura vtentes; & in itinere faciendo. Sed vbi vis acrior imminet hoſtium, conuenit ſemper in promptu habere ligones, raſtra, qualos, aliaq; vtenſilium genera, quibus ſi aduerſarius incumbat, media pars exercitus tam equitum, quàm peditum, ducta latiſſima foſſa muniant caſtra; media verò pars ad propulſandum hoſtium impetum ordinentur in ăcie. Quemadmodum accidit bello Turcico ad Chotimiam, vbi laborantibus cæteris, pars exercitus ingruentes tota die repellebat barbaros.

Meliùs tamen & ſecuriùs, vt ſi Dux propè hoſtem caſtra ſua locare voluerit, vt duæ exercitus partes ad prælium diſpoſitæ in acie collocentur, tertia verò caſtramentationi relinquatur: ſiquidem nullus Imperator propè hoſtem caſtra ſua collocat, niſi is qui prælio quotieſcunque id hoſti viſum fuerit, decertare cupiat. Romani cum res id poſtularet, hanc operam triarijs demandabant, Principes verò & haſtati ad prælium parati ſtabant: idq; ea ex cauſa, quòd Triarij poſtremi omnium eſſent, & ſatis maturè arma ſua atque ordines repetere poſſent, ſi fortè etiam ipſos occaſio ad pugnam vocaſſet. Nos verò idem muneris ad Romanorum imitationem, ijs cohortibus tribueremus, quæ poſtremã aciem, ſicut & Triarij claudunt.

Ordinariè autem Romani caſtra ſua vallo foſſaq; muniebant, lata vlnas ſex, & profunda tres; eamq; aliquando amplificabant, prout in eodem loco diutius ſubſiſtere, vel ſibi ab hoſte ingruente proſpicere volebant. Vallum autem facturi, ceſpites primum exſcindebant ad inſtar magnorum laterum, quos poſt foſſam in ſuperficie exteriori ad inſtar muri, in caſtrorum circuitu collocabant (foſſa vero ipſa, vti diximus, pro neceſſitate maior, vel minor erat) atque ita murum ſeu aggerem ſtruebant, ſupra

quem

quem valli,ſiue pali defigebantur, ita denſi,& ramuſculis connexi, vt ne manus quidem interponendæ ſpacium eſſet; neque ſine labore magno, vel vnus vallus de aggere reuelli poſſet. Ita nunc ex doctrina Gallorum,quos ad obſidendum Smolenſcum, cum reliquis tranſmarinis militibus euocauerát, Moſchouitæ faciunt; quamuis non ſemper aggere aggeſto,contra Scytas Præcopenſes præſertim ſed ſæpiùs in planicie roboribus tantùm craſſis firmiter vallatis.

Qualitercũque autem Imperator caſtra ſua muniuerit, nihilominus tamen ſi exercitum in aciem eduxerit, relinquat ad vallum nonnullos, qui caſtra & impedimenta cuſtodiant, ne ſi hoſtium Imperator ſola ac deſerta illa eſſe compererit, aliquos alleget,qui ea diripiát, munitionemq; tuam occupent. Quamuis interdum ſoleant prudentes Imperatores contrarium facere; quemadmodum fecit in Liuonia ChodKieuicius, qui cum Suecis ad Volmariã congreſſurus, caſtra ſua omnino deſerta reliquit, (ſed nulla munitione firmata) lixàſq; & calones omnes in inſidijs collocauit; ipſe cũ parua manu ſuorum ad latus caſtrorum dextrum, ſed remotiùs parũ, in acie ſtetit; hoſtis qui caſtra præteriebat prorſus vacua defenſoribus videns, primò ſpeculatum præmiſit mox

prçda.

prædatum maior pars irrupit, vt prædá diuitem aſportari à ſuis vidit. ChodKieuicius reliquos aedem cupiditate ſpoliorum ardentes, magno animo aggreſſus, vt acie pepulit feliciter, tum ex inſidijs calones, qui metum ſpecie maioris exercitus turbatis augerent, cōfeſtim euocauit, & in predantes obuerſus, facilè ſine ordinibus & Duce confuſos, omnes ferè deleuit, prædamq; amiſſam non mcdò recuperauit, verum etiam hoſtium ſpolij longè adauxit, & triumpho inſigni potitus eſt.

CAPVT XVII.

De Teſſera Militari.

TEſſera dicitur præceptum Ducis, quu vel ad aliquod opus, vel ad bellum mouetur exercitus. Et eret tabella, in qua Imperator ſymbolorum aut mandatum ſcribebat vt docet Statius, atque Pomponius. in leg. 2. de orig. iur. Teſſerarijq; illi aepellantur, qui teſſeram per contubernia militū nunciant. Apud Romanos autem, teſte Polybio, vir vnus ex decimo quoque ſigno, id eſt, manipulo, ſiue cohorte equitum & peditum eligebatur, cui à reliquo munere excubiarum immunis eſſet. Is ſole iam inclinante, Tribuni tentorium adibat, ab

eoq;

eoq; teſſeram ſiue ſignum (quod erat verbum aliquod lignea tabella inſcriptum) ei ab Imperatore datum, accipiebat, vnde Teſſerarius, vti dixi, appellabatur. acceptamq; teſſeram rediens ad ſuū ſignum ſiue manipulum Centurioni dabat, qui deinceps proximo Centurioni dabat; iſq; poſtea proximo, donec ad primum ſignum ſiue manipulum perueniretur, cuius Centurio ante lucis occaſum neceſſario teſſeram ad Tribunum referre debebat. Quod ſi omnes teſſeræ à Centurionibus ad Tribunos relatæ fuiſſent, iam intelligebant teſſerā & Imperium Ducis ad omnes perueniſſe: ſin aliter, inquirebant in culpam, & pœnam irrogabant.

Vigiliarū itaque & profectionis teſſera petitur ab ipſo Imperatore; aut illo abſente à Legato eius, qui tanquam Vicarius ipſius, poteſtatem in caſtris maximam retinet. Obſeruandum tamen Imperatorem ſigna pugnæ aut rei alterius, non per ſe ipſum, ſed per Duces ſuos dare debere, qui mox proximis ſibi nunciabunt iſti quoque ijs qui poſt ſe, cæteriq; pariter deinceps ſequētibus, donec vltimi, quę primi ſciuerunt, hoc modo reſciuerint. Nam obeundo mādata vnicuique nunciare inconueniens eſt, quia & tempus abſumitur? & percūctantibus ex ſeſe inuicem omnibus tumultus

multus ſuboritur. Quod prouidens Paulus Aemilius Tribunis ſolùm modo ſecretum edebat imperium, illi Primipilis, & iſti Centurionibus, donec à primis ſignis ad nouiſſimum agmen perueniret. De Alexandro verò proditum eſt, cum pileo ſariſſæ ſuperpoſito, non buccina, militi mouendũ eſſe ſignificare conſueuiſſe, cum clam diſcedere hoſtẽ cuperet. Cuius factum Radiuillus Nicolaus IV. imitari cupiens, cum Roxos vſque ad vrbem Moſcouiam regnante Stephano Battoreo depopularetur, & vndique ad opprimendum ſeſe hoſtem accurrere ſciret, militibus ſuis, ne ſignũ teſſeræ voce pronunciarent, imperauit, veritus quod ſæpiſſimè accidit, in ſimilitudine linguæ, ne illud voce prolatum hoſtes quoque exciperent; ſed motu tãtùm corporis exprimi iuſſit. Si igitur hoſtes linguæ ſunt eiuſdem, teſſera in caſtris tuis voce pronunciari non debet, ſed vel manus nutu aut geſtu, vel armorum colliſione, aut inclinatione haſtæ, aut enſis coruſcatione ſignum militibus dandũ eſt. Si autem tui milites diuerſarum ſunt linguarum, exprimere illud voce & affari promptè non poterunt, & ſic tumultũ aliquem ob linguæ ignorationem inter ſuos concitabunt. Signa verò ſine locutione occultè imperata, nullo prorſus modo ad hoſtes deuenire pote-

poterunt : nec ſeditionem vllam aut trepidationem concitabunt.

Quia igitur voce ſola inter præliorū tumultus regi multitudo non poteſt, pro neceſſitate autem rerū plura ex tēpore iubenda atque facienda ſunt, antiquus omnium gentium vſus inuenit, quomodo quod ſolus Dux vtile iudicaſſet, per ſigna totus cognoſceret & ſequeretur exercitus. *Tria itaque genera conſtat eſſe ſignorum, Vocalia, Semiuocalia, Muta.* Quorum vocalia & ſemiuocalia percipiuntur auribus; muta verò referuntur ad oculos.

Vocalia dicuntur, quæ voce humana pronunciantur (& hæc propriè vocátur Teſſeræ) ſicut in vigilijs, vel in prælio pro ſigno dicitur. IESVS, vel MARIA vel vtrumque ſimul aut ſimile aliquod ſignum datum ab ijs, qui maximam in exercitu habent poteſtatem. Et talia vocabula debent quotidie variari, ne ex vſu hoſtes ſignum agnoſcant, & exploratores inter noſtros verſentur impunè; præſertim ſi hoſtis eadem lingua & eodem habitu nobiſcum vtitur.

Semiuocalia ſigna ſunt, quæ per tubam aut cornua, ſiſtulam buccinam, aut tympana dantur, vel teſſeram pronunciando; vel claſſicum concinendo, vel ad iter faciendum admonendo. Per talium igitur inſtrumentorum ſonos debet

agno-

agnoſcere exercitus ſigna, vtrum ſtare, aut progredi,aut certè regredi oporteat; vtrum longè proſequi fugientes,aut receptui cãnere.

Muta demum ſigna ſunt, Aquilæ, dracones, flammulæ, ruſæ,piunæ, purpura. Hodie apud Chriſtianos ſola tantùm vexilla,partim graudia, partim exigua: oblonga,vel quadrata,aut ſemirotunda. Apud Machometanos verò,caudę equinæ, crinium nodi in comam prolixam artificiosè conglobati, lunulæ deauratæ ſemicirculares, vella ſericea, & cidaris pennata. Quanquam & noſtri Poloni ſæpiùs vtantur ſigni loco, pileo criſtis exornato,aut ala pennis aquilę e aborata in auro, qui tamen communiter vexillis ſericeis vtimur. Et Ioannes Auſtriacus olim, primum prælium cum confœderatis Belgis ad Camblacum commiſſurus, iuſſerat in vexillo Regio boni ominis cauſa, ad triumphalem Domini crucem, ſubijci hæc verba. *In hoc ſigno vici Turcas. In hoc Hæreticos vincam.*

Sunt autem & alia multa ſigna muta, quæ Dux belli in equis,aut indumẽtis,& etiam in ipſis armis, vt dignoſcatur hoſtis,præcipit cuſtodiri. Præterea, manu aliqnid, claua aurea (Quod eſt inſigne Supremorum Ducum in Polonia) bacillo,vt occidẽtalium Europæorum

rum Duces facere ſolent , vel flagello , vt Scythæ , vel certè mota qua vtitur veſte,aut pileo, exploſioneue tormenti, aut ſclopeti, ſignificat . Quæ omnia in ſedibus, itineribus, inq; omni exercitatione caſtrenſi , vniuerſi milites (mercenarij etiam alterius linguæ & moris) & ſequi, & intelligere conſueſcant .

Item mutum & commune ſignum eſt, cum diuiſæ copiæ , aut vrbis alicuius obſeſſę præſidiarij oſtendunt ſocijs , flammas nimirum de nocte , aut fumũ de die ; aut erigunt de turribus trabes , aut exponunt hæderas , aut expandunt vexilla; quibus expoſitis indicant quæ fieri volunt.

Clariora itaque ſunt.quæ tuba præcipiuntur . Certiora verò quæ voce indicantur ; niſi quid ſit impedimento . Sed tranquilliora , quæ ſignis mandentur,cum videlicet res nulla eſt quæ obſtet,aut obſcuret . Nam vox tam oris quàm tubæ percipi interdum nõ poteſt, aut propter armarum ſonitum , aut propter tormentorum reboatum , aut propter equorum tranſitum & hinnitum , aut propter impedimentorum tumnltũ, clamorem pugnantium , gemitum ſauciatorum , & totius multitudinis ſtrepitum . Quamuis & ſigna vexillaque maiora, ſæpiùs multis rationibus obliterari poſsũt ac euaneſcere;nam & craſ-

ſitudine

ſitudine aeris ſeu nebula,& puluere excitato,& imbre, & ſolis ſplendore oppoſito nonnunquam obſcurantur. Adde quod interdum fieri nõ poteſt, vt ſignũ ad vnumquemqua vſum præparemus, cum longè plura poſſint occurrere, quã quibus aſſuefacti ſunt milites, præcipuè excubatores. De quibus iam atque vigilijs eorum videamus.

CAPVT XVIII.

De Vigilijs, & Excubatoribus.

QVia impoſſibile eſt per totam noctem vigilantes ſingulos permanere, ideo ſecurius eſt, bis de æſtate vigilias mutare, quater de hyeme, in frigidis præſertim regionibus. Zamoſcius verò ſingulis horis, ob immenſum rigorem cœli, excubias in Moſcouia permutabat, cum Pleſcouiam iuſſu Stephani Regis arctiſſimè obſideret. Vbi tãta vis frigoris erat, vt aqua ex editiori loco effuſa, priuſquam terram contingeret, in glaciem tota concreſceret. Quapropter ſub arctoo cœlo, non ſunt cogendi excubatores ſolidam noctem peruigilare. ſed complures vndique cuſtodes diſponantur, vt vicario munere tempore noctis diſtributo, alij quidem ſomno indulgeant; alij rebus ſedulo inuigilent,

lent, nam ſæpè fit, vt nobis etiam inuitis cedentia membra ſomnus vltrò ſubeat; præſertim ſi ſedent, aut iacent, qui in excubijs collocati ſunt. Ideo ſtent recti ſi pedites ſunt: ſi equites, de equis ſuis non deſcendant: quia crurum erectio animum quoque ad vigilias erigit: ſedentibus autem, aut iacentibus, facilè quies languidum ſomnum inducit.

Idoneos itaque Dux & probatiſſimos eligat, qui vigilias aſſignent & circumeant ſobrij non madidi vino: & ſi qua emerſerit culpa, ipſi renuncient. Præterea, è ſingulis vigiliarum ſtationibus, per ſingulas vigilias eat vnus procuſtos ad proximam ſtationem: ex illa item alius, ad ſequentem: & ex alijs porrò ſimiliter ad alias. Præceptum autē eſto omnibus, vt dato ſigno idē faciant. Hoc autem pacto, & multi ſimul circuitionem facient & paruum ſinguli ſpaciū emetientur: neque verò apud eoſdem ijdem ſimul diu morabuntur, cum ſubinde alij procuſtodes apud alios vigi les ſint futuri. Hæc ſi ita adminiſtrentur quoties res nouas moliri vigiles fuerint aggreſſi, occulta conſilia explorandi procuſtodibu erit facultas.

Verùm equites extra vallum, nocturnas, diurnaſq; excubias vbique terrarū faciūt, pedites intra vallum aut parum procul. Cæterùm in Polonicis caſtris, ante

ante prætorium quoque Ducis, tàm de die, quàm de nocte equites excubare ſolent, dum hoſtis in procinctu eſt; cui inopinatò ingruenti ſtatim ſeſe opponunt, cum illis, qui extra vallum excubant: & ſuſtinent impetum donec alij ſuperueniant. Ita ad Chotimiam, in Vigilia Natiuitatis B. V. Mariæ accidit, cum Turcæ caſtra Polonorum inopinatò aſſalirent. Ita in Pruſſia ad Derſauiã, cum Guſtauus à noſtris ſaucius fuiſſet. Et hanc ob cauſam veteres, ſemper extra caſtra (prout & nos Poloni facimus) excubitores habebant, & aſcultatores quàm occultiſſimè paulò remotius a cohorte excubantes dimittebant: ſed pedites tantùm modò. Nos verò è cõtra equites communiſſimè; & viros nobili loco natos, ac patricios ſemper. Alij verò populi, quod animaduerterent, exercitum facilè ea occaſione decipi poſſe, tam quòd difficulter excubatores iſti, an in officio perſiſtant explorentur, quàm quòd facilè ab hoſte corrumpi, vel etiam opprimi poſſint, adeò vt in his ſpem aliquam, aut omnem reponere, rẽ maximi eſſe periculi arbitrati fuerint: eam ob rem omnes excubias intra caſtra recipiebant, eaſq; ſumma cura, diligentia, atque ordine obſeruabant, capitis periculo in illos conſtituto, qui ab officio vel tantillum declinaſſent. Quod

nunc

nunc etiam obſeruant Germani & reliqui ferè omnes occidentales, apud quos miles eſt ex diuerſis gentibus aggregatus. Secus apud nos Polonos, qui & extra caſtra & intra, cohortes integras indigenarum tam de die, quàm de nocte locare ſolemus; ſiue pedites illi ſint, ſiue equites.

Nam de vetere diſciplina, Dux ex ſolis mercenarijs vigilias facere non debet, niſi permixti ſint naturalibus: alias periculum ſubiret vniuerſi exercitus. Hinc Abdala Princeps Saracenorum, cũ multos in ſuis caſtris haberet Chriſtianos, prohibuit, ne ſoli vigilias de die obirent, de nocte verò ne vllus ferè inter vigiles foret. Nam incredibile dictu eſt, nimia fiducia quantæ calamitati ſoleat eſſe. Et Guilelmus Orangius, ſcũ in Brabantiam intrare vellet, videretq; ripam Moſæ paſſim ab Albano Duce cuſtodiri, ita nocturno tempore excubatores omnes fefellit, vt toto cum exercitu fluuium propè Ruremundam ſuperaret, & in acie compareret, Hiſpanis cum ſuo Duce obſtupeſcentibus, & mirantibus tantum ſilentium, & tantam celeritatem, vt tranſuolaſſe eum dicerent, non tranaſſe. Cum interim excubatores Hiſpanorum, Germani, vel religionis Luteranæ prætextu, vel auri cupiditate, vel fauore gentis, quod etiam

Germa-

Germani apud Orangium fuiſſent, vigiliarum cuſtodias negligentius obiuiſſent; aut nō retuliſſent Ducibus Orãgij, quem ſentiebant, conatum. Quapropter omni cura inuigilare Imperator debet, ne eum vnquam lateat, quinam hominum noctem extra caſtra tranſegerint, & qui recētes ea ingreſſi fuerint, tum qui in excubijs nocturnis durauerint: & omnes iſti accuratiſſimè examinentur, quinam hominum ſint, quid in excubijs egerint, vbi fuerint, vel vnde veniant. Hac enim ratione aſſequemur ne hoſti ad præfectorum tuorum animos pertentandos, aut ea ratione consilia tua exploranda via ſternatur; maximè ſi mercenarijs abundas. In Valachia ſiquidem noſtris temporibus nonnulli è Germanis transfugerant ad Turcam, & inde reuerſi grandibus promiſſis integras legiones ad transfugiendum ſollicitabant; cęterum à puero quodam exauditi, meritis pœnis fuerũt affecti. Ibidem equites nonnulli Hungari ad barbarum tranſiuerant qui procuſtodes fuerãt, & loca debiliora caſtrorum noſtrorum Turcis monſtrauerant; ſed conatu barbarorum irrito, quod eo in loco naturales fuerint interea collocati; & Turcę aſſaltu facto vti inſtructi à profugis illis fuerant, KaraKas Baſsã's virum inter ſuos primarium tunc temporis

poris amiſerant. Vnde non profugos illos modò, ſed omnes ferè transfugas poſtea interimebant, & ne à nobis tráſfugerent ſua crudelitate noſtros mercenarios cohibuerant.

Obſeruet quoque Imperator, vt cuſtodiarum ignes tempore brumali, ardeãtà caſtris longius. Sic enim qui excubabunt, ſuos procul ab ignibus conſpicere poterunt; ab hoſtibus auté, qui vltra ignes erunt, nó videbuntur, donec ipſi in excubantium manus inciderint. Vt accidit Scythis Ruſſiæ prouincias Duce Kantimiro peruagantibus, qui à noſtris, procul ab igne nocturno tempore excitato excubantibus, dum capere vigiles vellent, ipſi à vigilibus in id intentis paſſim capiebantur, apud Riboticios,

CAPVT XIX.

De Commeatu & Pabulo.

RECtè ſcribit Boterus, *Abundantiam Populi & commeatum, maximas eſſe cuiuſcunque Regni vires*. Quia paucitas populi, aut peſte facilè tollitur; aut à multitudine hoſtium opprimitur, aut ad diuerſas Regni partes defendendas ſparſis, non valebit ſingulis hoſtibus, ſi plures ſimul cóſurrexerint, pro neceſſitate reſiſtere. Ita Liuoniéſes Crucigeri, cũ

exiguam populi multitudinem haberét preſſi ab vna parte à Moſco, ab altera, à Polonis, à tertia demũ per mare à Suecis, cum ſingulis reſiſtere non potuiſsét, coacti ſunt demum Regi Polonię Auguſto, poſtquam tot ſęculis florentes ſtetiſſent, omnimodam ſubiectionem facere, & tranſcribi in Prouinciam Regni. Commeatus deinde inopia, vel maximum populum ad miſeriam redigere poterit, ſi viæ omnes intercludentur, per quas annona aliunde importatur, Senſerũt hoc ſępiùs Genuenſes, Heluetij, Florentini, Gallis in Italiam irrumpentibus, tum & alij plurimi Guelphorum, & Gibellinorum armis intrigati. Quapropter Dux aut Princeps, quamuis leui ſuſpicione pulſatus arcis aut vrbis alicuius obſidendę, omnem alimoniam victus intra muros debet ſtudioſiſſimè collocare, vt pręſidiarijs eius exuberet ſubſtantia, aduerſarios inopia cogat abſcedere. Sed pręcipuè pabula equis congerenda ſunt; & quę apportari nequiuerint exurenda: nihilq; quod ſuis proficiat hoſtibus relinquendum eſt. Stephanus Valachię Palatinus ita Baiazetem ſecundùm exceperat & pro ſuis abundanti prouiſione facta herbas omnes ad Danubium exuſſerat, vt ille ingenti cum exercitu veniens, ob ſolá pabuli inopiam rebus infectis maxime

cum

cum damno ſuorum abſcedere cogeretur.

Inter pręcipua igitur conuenit Ducē prouidere,ſiue in caſtris,ſiue in ciuitate conſiſtat, vt animalium paſcua, ſubuectio frumenti, cęterarumq; ſpecierum, aquatio, lignatio, pabulatio, ſecura ab hoſtium reddatur incurſu. Quod aliter non poteſt euenire,niſi per loca idonea qu noſtrorum ambulat commeatus, pręſidia diſponantur, ſiue illę ciuitates ſint,ſiue caſtella munita. Quod ſi non reperitur antiqua munitio, oportunis locis circūdata maioribus foſſis tumultuaria caſtella firmentur: inter quę in angarijs aliquanti pedites, equiteſq; degentes, tutum iter commeantibus pręſtent.Ita fecerat Rex Stephanus in Moſcouia, cum Polociam, Vielicolucos & Veliſiam deinceps oppugnaret.Ita eius Strategus Zamoſcius cum Pleſcouiam obſideret. E contra Germani maximam paſſi fuerant rerum penuriam, cū Solimanus bellum gereret in Hungaria, & Croatia contra Ferdinandum I.Imperatorem. Nam vndecunque Turcę ſciebant acceſſum poſſe fieri ad caſtra Chriſtianorum,& importationem victualiorum,vbique vias foſſis arborūq; truncis obſepſerant, & diſpoſitis equitibus venientes cum annona aggreſtes occidebant aut capiebant;atq; ita,fame vexaue-

rāt mirabiliter exercitusImp. Proutetiā nuperrimè Imperiales & Hiſpani, exercitus Gallicos, apud Louanium.

Iam autem parum proficit plurimū pabuli aut annonæ collegiſſe, niſi ab exordio dimenſione ſalubri, per idoneos procuratores erogatio temperetur. Quod cum Pilauiæ, Sueci proximè prærerita expeditione non obſeruaſſent, & iuſſu Sereniſs. Regis Vladislai, tàm aquatio naualibus, per totū littus Pruſſiæ prohibita fuiſſet, quam importatio victualium in munitionem Pilauienſem, quam plurimos ſanè amiſerunt de ſuis, cum & morerentur paſſim & diffugerent ad noſtros. Nunquam autem periclitati ſunt fame, qui frugalitatem inter copiam ſeruare cœperunt. Quid ſi ſufficiens copia deeſt, aut caſtra alio loco mouenda ſunt tempeſtiuè priuſquā ab hoſte circumueniaris; aut exercitus diminuendus per partitionem, vt ab omnibus partibus neceſſaria procuret, & ſubmittat. Imbellis quoque ætas ac ſexus propter neceſſitatem victus foris frequenter excluſa eſt, ne penuria opprimeret armatos, à quibus ſæpè mœnia ſeruabantur. Ita dum Moſchouitæ Smoléſcum haberent, quamuis plebem viliorem excluſiſſent, antequam ad obſidendum Rex Poloniæ Sigiſ. III. veniſſet, tamen menſibus aliquot elapſis, iterum

decem

decem millia hominũ excludere coacti fuerũt, ne armati deinde penuria victus opprimerentur. Quapropter eiecti extra muros, cùm perire vltrò, præcipitando ſeſe in profluẽtem Boryſthenem ſtatuiſſent, clementia Regis à temerario propopoſito reuocati, & commeatu prouiſi, ad diuerſa Moſchouiæ redierunt, & hac benignitate allecti, noſtris deinceps commeatum ſubminiſtrauerunt. experientia igitur didicimus, ſæpiùs penuria quàm pugna conſumi exercitus, vbi aut nulla cura commeatus, aut nulla ratio frugalitatis.

CAPVT XX.

De Frugalitate Caſtrenſi.

DIximus debere prouideri commeatum & pabula tempeſtiuè, & tam inter milites, quàm inter animalia valdè parcè partiri vt non ad luxum, ſed ad ſacietatem ſobriam, & conſeruandũ virium robur viuatur: proinde frugalitas hac in re, non ſolum militibus, ſed Ducibus qooque ipſis, vt exemplo præeant, ſeriò commendanda eſt, qua maximè veteres excelluerunt, & grauiſſima bella, ferè ſola frugalitate caſtrẽſi, ad finẽ propoſitũ eduxerũt. Et Romani milites, Spartaniq; ac Thœbani ordinariũ

panem, nuſquam in caſtris comederunt, niſi ſubcinericinm ſemper, ex tempore coctum ad carbones; aut farinam cum aqua coctam. Prout eam nunc coquũt Coſachi Zaporoſenſes. Apud Atheniẽſes verò fuit prohibitum in caſtris bibere vinum; & per totum tempus belli, miles ſub pœna capitis, vinum guſtare non poterat. Nimium enim corrumpuntur exercitus in quibus bibitur vinũ & aromata venduntur; nam & ſcortationes, & homicidia, morbiq; diuerſi, ac quęſtus cupiditas inde prouenire ſolet. Taceo proditiones ſecretorum, inobedientiam ebrioſorum, proteruiam propinatorum hinc inde curſitantium lucri cauſa, qui deinde ab hoſtibus capiuntur, & metus cauſa quę ſciunt narrant, aut debiliora caſtrorum loca oſtendunt. Idcirco Scythę nullas prorſus delicias in caſtris ſuis habere ſolent, quinimò nec pane noſtro veſcuntur, aut farina, niſi fortè caſu oblata, & in ſumma neceſſitate. Turcę vt plurimum ariza, & carnibus ſiccatis minutatimq; contuſis, etiã ditiores, in bello viuunt, vinumq; de lege Machometi etiam domi non bibũt, ac propterea ſunt inuincibiles. Sed & Moſchouitæ frugalitate maximè pollẽt, inq; bellis ordinariè ſolent vti farina ex cocta auena parata, quam aqua dilutam cum ſale, aut melle, interdum in maſſã

redi-

redigunt, & comedunt abſq; ignis vſu; interdum ſorbiciunculam faciunt,& tépore neceſſitatis,abſque panis admixtio ne vlla expellunt famem. Aliàs tamen maximam omnium rerum faciunt pro, uiſionem, tàm in vrbibus, quàm in caſtris.

Sed reuera,inter ea quæ hoc ſœculo ſummopere impedimento in caſtris eſſe ſolent,non immeritò panis vinumq; ac ceruiſia ſeu mulſum recenſentur, quibus exercitui proſpicere neceſſe eſt, & ad eam luxuriam his noſtris temporibus iam deuentum eſt,vt bello Turcico ad Chotimiam in menſa cuiuſdam nobilis,Tergiductoris cohortis haſtatæ, ipſe quinquaginta fercula aromatibus maiori ex parte condita numerauerim. Vbi quantum vini,quantum hydromelis aut ceruiſiæ hauſtum fuerit, quis explicare poterit? cum illa compotatio ſubinde alijs atque alijs ſuperuenientibus duraſſet à prandio vſque in mediã noctem. Maiorq; iam paſſim in tota Europa habetur à Ducibus cura vini. quàm pulueris, aromatum quàm globorum tormentalium, lautitiarum,quã armorum,& veſtium.pelliumq;precioſarum,quàm equorum aut ſclopetorũ, Cum veteres omnino vinum negligerent, ſed aquam communiſſimè in caſtris biberent, cui ad ſaporem excitan-

 dum,

dum, parum aceti, aut liquoris ex pane biſcocto & aceto facti admiſcebant. Nec panem in clibanis, ſicuti in ciuitatibus receptum eſt coquebant, ſed more priſcorum Græcorum atque Romanorum farinam militibus ſuppeditabant, addito lardo atq; ſumine, quibus panem condiebant, eoq; vires fouebãt, adeo vt per totam ferè Europam tempore bellorũ omnis annona in farina, lardo, aceto, atque ſumine conſiſteret, niſi quod loco aceti ſeptentrionaliores vinum aduſtũ, ſeu crematum habere conſueuerunt: Coſachi verò noſtri loco farinæ milliũ, & loco ſuminis piſces vento ſiccatos. Quantum verò ad carnes, tam Græci, quàm Romani, omnis generis arméta gregeſq; poſt exercitum agebant, quod hac ratione minori impedimento eſſét, quàm ſi mactata caro, ſiue vento ſiccata aut fumo, ſiue ſale condita, conducéda eſſet. Ita etiamnum Turcæ, Perſæ, Arabes, & Africani ferè omnes faciunt, qui pane in bellis non vtuntur, ſed ariſa contuſa, & carne veruecina aut bubula. Atque hac ratione freti, ſæpiùs deſerta Aegypti, Libiæ, Mauritaniæ, Arabiæ, atque Armeniæ Maioris, permeare vniuerſo cum exercitu ſolent, quod annona iſtiuſmodi ipſis præſto ſit, quæ facilè caſtra ſequitur. Contrarium autem noſtris accidere cernimus, in omnibus

Euro-

Europæ plagis bella gerentibus: hi ſiquidem tam vino carere neſcij, quam panibus, & diuerſi generis dapibus inhiante, quibus domi aſſuefacti ſunt, neque interim eorum copiam quouis locorum adipiſcentes, fame ſæpiùs enecantur: aut ſi aliquando panes habere contingat, eorum ſubminiſtratio maximo diſpendio atque incommodo te‿ſatigat. Exemplo Galli ad Bruxellas & Lonanium fame potius, quam armis enecati & exercitus Imperatorij nuperrimè in Burgundiam Duce Galaſſio introducti & ad internecionem planè annonæ penuria extincti. Quæ vt vbique ſuppeditari poſſit, rapina militibus prohibenda eſt, & Veneti, Bataui, Turcæ non alia prorſus copiam commeatum in caſtris ſuis habere ſolent, niſi quod eorum milites ruſticorum domus non deprædantur. Veteres hac in parte diligentes fuerant, Romani præſertim qui tam ſtrictè obſeruabant abſtinentiam‿in caſtris, vt memoriæ tradiderit Scaurus, pomiferam arborem, quam in pede caſtrorum fuerat complexa metatio, poſtero die abeunte exercitu, intactis fructibus relictam. Idem de Sulla Paterculus ſcribit. *Putares*, inquit, *Sullam veniſſe in Italiam non belli vindicem, ſed pacis auctorem: tanta cum quiete exercitum per Calabriã, Apuliamq; cũ ſingulari cura frugũ,*

 agro-

agrorum, hominum, vrbium, perduxit in Cāpaniam. Cæterùm quia neceſſitas moderamen non diligit, parandus eſt tempeſtiuè commeatus; procurandumq; vt habeat miles quod emat, ne cogatur cogitare quod auferat. Ad quod Imperator ipſe exemplo præire debet, veterum Ducū imitatione. Nam Aemilianum Scipionem traditur in itinere cum amicis ambulantem accepto pane veſci ſolitum. Quod & de Magno Alexandro dicitur. Meſſaniſſamq; potentiſſimum Regem, nonageſimum ętatis annum agentem, meridie ante tabernaculum ſtantem, vel ambulantem, capere ſolitum cibos legimus. Et Annibal, cum ſub Aſdrubale Imperatore militaret plerumque ſuper nudam humū ſagulo tectus ſomnos capiebat, pane veſcebatur ſubcinericio, vino abſtinebat. Marcum verò Catonem vino eodem quo remiges contentum fuiſſe traditur. Aſt Epaminundas Dux Thebanorum tantæ abſtinentiæ fuit, vt in ſuppelectili eius, preter ahenum & veru vnicum nihil prorſus inueniretur. Caracalla quoque Imperator, vt ſcribit Poliænus, tenui menſa priſcorum Romanorum ritu, ac lineolis poculis vaſiſq; eſculentorum ſolebat contentus eſſe; panem etiam temere factum comediſſe, quippe tritico quantum ſatis vni fo-

rer,

ret, manu ſua molitio, maſſaq; inde facta, atque in carbonibus decocta veſci ſolitus. Omnia denique elegantiora aſpernari, & viliſſimis quibuſque, ac vel pauperrimo gregarioque militi facillimis vti. Apud nos tres Nicolai Radiuilli ſibi inuicem in officio imperatorio ſuccedentes, non niſi aquæ potores fuerunt. Tum Vitoldus Lituaniæ Dux in cibo parciſſimus, & in caſtrenſi frugalitate obſeruantiſſimus fertur fuiſſe, vt puta cuius exemplo Duces Polonicorū exercituum quoque, qui ſub illo militarunt olim, continentiſſimi fuerint, Samotulij, Panienij, Dembinij, Ianſeuij, alijq; plurimi veteris diſciplinæ Sarmaticæ. Sed iam ad ornatum & veſtitum militarem tranſcendamus, qui itidem modeſtiam ſeu mediocritatem neceſſario requirit.

CAPVT XXI.

De Ornatu, & Veſtitu militum.

VT nudum militem habere miſerrimum eſt, ita pomposè veſtitum periculoſum; nam ille cœli iniurjs oppreſſus facilè ex morbo in mortem incidet, iſte, aſſuetus ſuperbiæ miſeriam neceſſitatis tempore haud libenter patietur, magnumq; pro ſua pompa ſtipendiū

à Repub. expoſcet, & famelico hoſti præda certiſſima erit. Egregiè igitur Tacitus, *Fortiſſimus in ipſo diſcrimine exercitus, qui ante diſcrimen modeſtiſſimus.* Quare vt in verbis factiſq; modeſtia militi eſt, ſeruanda, ita & in veſtibus eam requiro quia Magni Duces ſic ſtatuerunt. *Horridum*, inquit Liuius, *militem eſſe debere, non cælatum auro argentoq. ſed ferro & animis fretum. Quippe illa, prædam veriùs quàm arma eſſe: nitentia ante rem, deformia inter ſanguinem & vulnera.* Tales priſci illi Macedones, non auro, neque diſcolori veſte, ſed ferro atque ære fulgentes. Neque mihi placet luxus noſtratium, qui non auro tantùm & gemmis in bellis vtuntur, ad èxornanda ſua arma & equos, quæ vtique aſſeruari in longùm poſſunt, tanquam minus corruptibilia; ſed pellibus quoque magno precio conquiſitis, & panno aureo conteguntur, quæ facillimè corrumpuntur, & in habitu iam quotidiano computátur. At tu qui exercitibus præes Imperator, ſperne ſuperuacua iſta, & prohibe: nec teneat aut terreat tuos vanus iſte aſpectus, & auri fulgor atque argenti, quod neque tegit, neque vulnerat. Multò magis hoc vide, vt benè armati tui ſint, quam vt ornati. Neceſſe eſt enim vt dimicandi acriorem ſumat audaciam, qui munito capite & pectore non timet vulnus.

vulnus. Armorum igitur in caſtris nitor ſit, non veſtium, aut gemmarum, nã auri & argenti copia, hoſtem ad prædã accendit; noſtrum autem militem vilẽ animo reddit, cauendo ne iſta amitteret, quibus inter commilitones ſuperbiebat. Præterea, multi currus inutiles habentur iſta vehẽtes, qui potius commeatum continere debuiſſent. Vnde maximè hac in parte peccatur à noſtris Septentrionalibus, quod & purpura, & auro, & pellibus precioſiſſimis in caſtris vtantur. multiſq; iam grauis lorica aut galea videtur, quibus loco alas pennatas geſtant, aut tygridum: leopardorumq; exuuias. Atque ita dum laborẽ in portandis veteribus munimentis armorum ferre non poſſunt, detectis corporibus & vulnera ſuſtinere coguntur, & mortes: & quod grauius ac turpius eſt, aut capi, aut certe fuga Rẽpub. perdere. Ita accidit Romanis, cum omiſſa vetere diſciplina, barbarorum impetũ in acie ſuſtinere non potuiſſent. Ita Conſtantinopoleos Imperatoribus, cum eorum exercitus armis defenſiuis ob ſocordiam nudatus Parthorũ ſaggittas, atque Saracenorum lanceas euitare nõ potuiſſent.

Ne tamẽ milites aliquãdo in tumultu prælij à ſuis contubernalibus aberrarẽt, diuerſis cohortibus diuerſa in ſcutis

ſigna

ſigna antiqui Romani pingebant, quæ ipſi nominabant digmata, præter quod habuiſſent & propria ſua ſigna quælibet cohors & Centuria. Nos Sarmatæ antiquitus vnicolore cum pedites tum equites adornare ſolebamus; etiã mercenarios, qui vel è Germania, vel ex Hungaria eligebantur: pedites præſertim, aut leuioris armaturæ equites, cum Poloni ipſi haſtis vtentes facilè vel ab Aſiaticis, vel ab Europeis omnibus habitu & veſtibus dignoſcantur; qui, nihilominus tamen, vnicoloris ſerica pro qualibet cohorte diſtincta, haſtis ſuis appenſa habent. Nunc quia Tribunorum auaritia intermiſſum eſt, vnicolore panno peditatum veſtiri, eorũ præſertim qui more Germanico in legiones conſcribuntur, curet qui exercitibus præeſt, vt non modò ad differentiam hoſtium ſint veſtibus vniformibus cooperti, ſed etiam propter terrendũ oculos aduerſariorum, & perferendas commodius iniurias cœli: cum iam paſſim per Europam nudos planè milites conſpiciamus, qui pluuijs, niue, gelu, pruinaq; preſſi, aut in morbos ſtatim incidũt, & mox cum maximo damno Reipub. contabeſcunt; aut cœli aſperitatem ſufferre non valentes, ante hyemem tempeſtiuè, aut prælium diffugiunt.

Quandoquidem igitur vſu euenire

cerui.

cernimus, eos qui ad militiam animum applicuere, non modo veſtium mox aliã rationem inire, verùm etiam in moribus, conſuetudine, voce; quin etiam inceſſu, omnem ciuilem modum faſtidire, ideo animos ipſorum ad immortalitatis gloriam concitare quàm maximè ſtudeamus, non precioſis veſtibus, quæ luxum ſecum attrahunt, & ſuperbiam, ſed neceſſarijs, quæ corpus à periculis conſeruant & generoſiores animos ad quæuis difficilia aggredienda addunt. Sic Romani præter arma, pedites ſuos criſtis ornabant, equites verò exuuijs leoninis. Sic Arabes faſcijs, maiores noſtri aquilarum aut herodiadum pennis, Parthi comis crinitis, brachati omnes ſtrutionum plumis; quod quidem ſuis iucundum, hoſtibus autem terribile viſu eſſe ſolet. Sed quomodo miles à pugna deſuetus, ad priſtinum animi vigorem reduci debeat, hoc diligẽter conſideremus, vt non veſtibus aut armis tantùm ſit immutatus, ſed etiam diligenti meditatione rerum bello neceſſariarum, ad priſtinam pugnandi alacritatem, viribus & generoſo ſpiritu concitatus.

CA-

CAPVT XXII.

De reformatione militis à pugna deſueti.

VT veſtem facilius eſt conſuere, & parare nouam, quam conſarcire, attritam, ac reparare vetuſtate diffluentem: ſic facilius eſt ad virtutem inſtruere nouos milites, quã reuocare perterritos, aut otio diuturno ſocordiæ deditos. Sæpiuſq; accidit vt fortiſſimi exercitus ſuamet ſponte corruant, cum domitis hoſtibus otium à victoria obtinent; quiq; inuincibiles bello fuere, pace imbecilles erunt: eius planè natnræ quam in ferro notamus, quod quotidiano vſu ſplendeſcit, neglectum verò ærugine exeditur, & corrumpitur penitus. Imparator itaque ſi diu armis deſuetum ducit exercitum, ſingularum legionum ſiue auxiliorum, nec non etiam vexillationum, vires, animos, conſuetudinem diligẽter exploret. Ita Stephanus fecit, cum nouiter in Regem Poloniæ inauguratus primam in Moſcos expeditioné pararet, eo quod regnante Sigiſmundo Auguſto plurimos noſtratium longa pace deſueuiſſe tractare arma intelligeret Iam autem omnes artes, omniaque opera nonniſi quotidiano vſu & iugi exercitatione proficiunt. Vnde Scipio Aphricanus

cum

cum ſub alijs Imperatoribus Hiſpanienſes exercitus frequenter victos accepiſſet, ita eos diſciplinæ regula cuſtodita, omni opere, foſſiſq; faciendis diligenter exercuit, vt diceret *fodientes luto inquinari debere, qui ſanguine hoſtium madere noluiſſent:* Similiter Metellus in Aphrica Albino imperante, ſubiugatum accepit exercitum, quem ita emendauit veteribus inſtitutis, & diſciplina maiorum, vt poſtea eos, à quibus ſub iugum miſſi fuerant, ſuperarent. Et Tarnouius noſter conſternatam ſub Alberto Rege clade Bucouienſi Polonicam nobilitatem, ita aſſiduo exercitio armorum ſub Sigiſmundo I. erexit, vt quatuor millibus ſuorum nō dubitauerit totam Valachorum potentiam aggredi, & acie aperta decertare, Bogdanumq; Principem eorū tot victorijs glorioſum, ad deditionem coactum, efficere trium menſium ſpacio tributarium perpetuum Regum Poloniæ. Numantini quoque olim ſæpiùs profligauerant exercitus Romanos, qui diſciplinam neglexerant militarem, quá cum reſtituiſſet Scipio, ſtatim Numantinos acie aperta profligauit, qui cum diſperſi ad ſuos peruenιſſent, quæſitiq; à ſenioribus fuiſſent, cur tàm citò animo vili ceſſiſſent Romanis. Reſponderunt Oues quidem eſſe eaſdem, ſed paſtorem mutatū. Idem ferè & de Guſtauo

quiſpiam

quiſpiam dicere poſſet, qui Suecos ſuos toties à Polonis, Moſcouitis atque Danis profligatos, ita exercitio ad præſcripta obſeruato erexit, vt omnibus his vltrò bello laceſſitis, etiam in Germaniam arma transferre auderet, & toti minaretur Europæ. Pulchrè itaque Liuius de Camillo. *Omnia, inquit, repente mutauerat, Imperator mutatus: alia ſpes, alius animus hominum, fortuna quoque alia vrbis videri*. Vnde & tu Imperator deſuetum à pugna exercitum, diſciplina corrige, laboribus exerce, exemplo excita, prudentia obedientem fac tibi, & quemuis fortiſſimum aduerſarium ſecurè aggredi poteris, etiam in itinere inſidiantem tibi, modò cautè procedas.

CAPVT XXIII.

De Itineribus faciendis.

DE mouendo exercitu, & itineribus faciendis paulò prolixius nobis agendum eſt: Nam qui rem militarem ſtudioſius didicerunt, aſſerunt in itineribus, quàm in ipſa acie pericula ſolere contingere. Quia in conflictu armati ſunt omnes milites, & hoſtem cominus vident, & ad oppugnandum animo veniunt parati: in itinere autem minus armatus, minuſq; attentus eſt

miles,

miles,& ſuperuentus impetu vel fraude turbatur. Ideò omni cura, omniq; diligentia prouidere Imperator debet, ne proficiſcens patiatur incurſum; vel ſi nō facilè, at ſine damno repellat illatum. Sic præmonitus à ChodKieuicio Nicolaus KiſKa, cum annonam Smolenſcū inferret, non modò poſitas Moſcorum inſidias euitauit, verùm etiam in inſidiantes vltro illatus, octo ex illis millia occidit, nullo ferè ſuorum damno.

Imperatorem itaque non irrito conatu exercitum ducere cupientem, oportet ad haſtas circumſtantias diligenter attendere. *Prima*, vt locorum ſit peritus. *Secunda*, vt ordine benè ſeruato procedat acies. *Tertia*, vt denſo progrediatur non dilatato agmine. *Quarta*, Vt quadrato agmine procedat, non oblōgo. *Quinta*, Vt impedimenta in medio agminis collocet. *Sexta*, Vt ſpeculatores præmittat. *Septima*, Vt dum hoſti appropinquat, pedetentim ſuſpenſoque gradu iter faciat. *Octaua*, Vt tempus, quo caſtra mouenda; attendat, & quantum in itineris facere debeat animaduertat. *Nona*, Vt iter per ſocias regiones faciens, militum manus contineat. *Decima*, Vt hoſtium poſſeſſiones non funditus euertat. *Vndecima*, Vt ad repurgandas vias, ſi eas hoſtis occludere contendant, parata inſtrumenta habeat.

Duodecima denique, Vt commeatum ad manum habeat, & mercatoribus tutum ſecurumq; iter ad caſtra præſtet.

Quantum ad circumſtãtiam attinet; Itineraria omnium regionum, in quibus bellum geritur ante omnia Dux debet pleniſſimè habere perſcripta, ita, vt locorum interualla, non ſolùm paſſuum numero, ſed etiam viarum qualitates perdiſcat; compendia, diuerticula, montes, flumina, ad fidem deſcripta, conſideret, & depicta habeat, vt non ſolùm conſilio mentis, verùm etiam aſpectu oculorum viam profecturis eligat & commonſtret. Ideo non contentus libris Geographicis, qui nunc paſſim sũt in vſu, & delineationibus communibus; à prudentioribus & honoratis, locorumq; gnaris, ſeparatim debet vniuerſa perquirere, & veritatem colligere de pluribus. Etſi partem copiarũ aliquorſum mittit, ductores viarum, idoneos, peritos, ſciẽteſq; perquirat, (ſæpiùs enim imperita ruſticitas plura promittit, & credit ſe ſcire quæ neſcit: iam autem tali in caſu error duorum aut triũ, vniuerſis diſcrimen maximum parit) atque eos diligenti cuſtodiæ committat, addita pœnæ conteſtatione, vel præmij. Erunt enim vtiles, cum intelligent, nec fugiendi ſibi copiam ſupereſſe, & fidei præmium, perfidiæ parata ſupplicia.

Sed

Sed cautelæ caput eſt, vt ad quæ loca, vel quibus itineribus ſit profecturus exercitus, ignoretur quá maximè. Nec enim ſolùm, qua via ducatur exercitus, proſpiciendum eſt, ſed etiam, vt eadem reduci poſſit, diligenter prouidendum.

Quo ad ſecundam verò circumſtantiam; monſtrabit ingenium ſuum Imperator tunc vel maximè, quando bono ordine mouebit de loco ſuo exercitum, bonoq; eum ordine per itinera ducet. Et Romani ſanè dum caſtra mouebant, buccina primaria ter ſignum dabant. Ad primum ſignum tentoria vaſaq; colligebantur. Ad ſecũdum ſarcinæ curribus & iumentis imponebantur. Ad tertium ordines diſpoſiti mouebantur Legionibus in medium receptis. Moderni, in medium impedimenta mittunt quos impedimenta omniũ extrema ſequebãtur Legiones ad frontem vna cum tormentis & ad tergum Cœterum trito iã more, equites primi iter arripiant, inde pedites: impedimenta, pulueres, globi, & grauior armatura machinarum, ſeu inſtrumentorum bellicorum; itemq; calones, & vehicula omnia in medio collocentur, ſagittarijs, & ſclopetarijs ad latera poſitis; ita vt expedita pars peditum & equitum ſubſequatur. Nã ambulantibus, interdum quidem à fronte, & lateribus, ſed frequentius à tergo

ſuper-

ſuperuentus infertur. Sed & à lateribus pari quoque armatorum manu impedimenta claudenda ſunt, vt ſi vndique circumfundatur inimici, vndique præparata inueniant ſubſidia. Quare, ne repentinus tumultus amplius noceat, ante commonendi ſunt milites, (hoſte præſertim in vicinia poſito) vt parati ſint animo, vt arma in manibus habeāt, vt ordine ſeruato procedant, vt conſeruent proprias cohortes, vt ſigna diligēter cuſtodiant, vt ductores ſuos ſubſequantur, vt alacriter excipiant hoſtem. Nam quæ in neceſſitate ſubita conterrent, prouiſa non ſolent eſſe formidini. Quamobrem miles non tantùm ex directo, verùm etiam ex latere in itinere aggreſſus, conflictum tum excipere, tum inferre, nimirum per exercitationem debet condiſcere in loco, vt in itinere ſit ad omnia promptus: maximè cum per hoſtile ſolum inceditur, vbi ſubitarijs excurſionibus ſuſtinendis, ac reprimendis neceſſe eſt vt ſint parati.

Quoad tertiam. Si Imperator cupit feliciter reprimere incurſum aduerſarij ſubitaneum, curet vt ſemper denſo progrediatur non dilatato agmine: ſēperq; vitet, ne per negligentiam alijs feſtinātibus, alijs tardiùs incedentibus, interrumpatur acies, aut fortè tenuetur. Quare proponendi ſunt exercitatiſſimi

campi.

campiductores, qui alacriores tardent, & pigrius incedentes, accelerare compellant, ita vt omnes ſimul ac pariter progrediantur; ſintq; in itinere diligentes, non palantes, & ad conflictum repentinum, non ad rapinas aut prædam accincti. Signa etiam habeant, ſeſeq; inuicem rectè diſpoſitis ordinibus cõtueantur, etſi per ſociorum amicorũq; regiones incedant. Maximè autem cũ per aliquam arduam viam ducuntur, ne cohibentibus anguſtijs pateant diſperſi in vulnera, & leui hoſtium velitatione frangantur.

Quarto requiritur in Duce iter cum exercitu conficiente, ſiue in ſocia terra, ſiue in hoſtico ſolo, vt quàm maximè fieri poteſt quadrato agmine procedat, non oblongo: quia ſic ad omnes impetus ſuſtinendos fortior erit, cum inopinatò ingruet aduerſarius. Quod ſi neceſſitas ferat itinera eiuſmodi aggredi, vbi quadrato agmine progredi non poſſit, curet vt exercitus procedat in minores manipulos diſtinctus: & partibus, qui pro loci ingenio, & temporis oportunitate illas contrahere & diuidere queat. Ita fecit Melecius, cum in Valachia ſaltus fagineos tranſiret. Bogdano loci Regulo, ſuperuentus vbique faciẽte; abſque tamen vllo damno Polonorum, eo quod Melecius taliũ gnarus

cum

cunctis montium verticibus, anguſtiarumq; faucibus præoccupandis tempeſtiuè ſuos præmiſiſſet. E contra Turcæ & Tartari, quia incauti ſunt, & in expeditionibus nullo ferè ordine, & agminis quadrati loco, confusè incedunt, facillimè à tergo & lateribus infeſtari poſſunt à noſtratibus, vti faciebat ſub Iuonia Palatino Coſachorum ductor Suierſczouius, & paucos ante annos Samuel Corecius; qui benè ordinati incurrebant in ipſos. Aliàs enim, & citò circumfundunt equorum ſuorum pernicitate, ſuntq; quaſi in inſtanti infeſtantibus ſe à tergo; & fugientes, ferocius occiduntſagittis, ſi quis incautè ſequatur, quam ſi à fronte aggreſſi fuiſſent.

Quintum eſt, vt impedimẽta in medio agminis collocet, quæ ſi amittat, exercitum in maximam penuriam rerũ conijciet, vt accidit Comiti Torquato ad Colbercam in Pomerania, qui licet egregiè impetum Suecorum toto itinere ſuſtinuiſſet, quod tamen quatuor millia curuum reliquiſſet, cum omni bellica prouiſione, in frontem omnibus militibus cõtractis ad defenſionem ſui, debuerat poſtea omnium rerum pati penuriam, ingenti damno ſuorum. Acciderat idem & Alexandro M. per ſaltus Perſicos exercitum ducenti, cum commeatus in medium armatorum non

repo-

repoſitus,alia via iter cóficiens ab exercitu aberraſſet. Vnde Curtius dicit: *Regem non dolor modo, ſed etiam pudor temere in illas anguſtias coniecti exercitus augebat*. Et in prouincia Suſitana. *Siti exercitum penè perdidit, & qui arenis ſuperatis ad fluuium deuenerant, aquis ingurgitati ſtatim peribant: multoq; maior horum numerus fuit, quàm vnquam amiſerat*. Coſachi Zaporoſenſes cum in Scythiam excurrunt, ipſi cum ſclopetis circumcirca,ſed ordinè tamen,diffuſi,currus in medio habent. Et ſi vis maior ingruat intra illos latitantes tanquam è mœnibus propugnant.

Sexto, Ducis induſtria, quem omnia prius conuenit explorare præſtabit hoc, vt ſubſeſſa inquirat, & depræhenſa circumueniat vtiliter & celeriter,ſic enim hoſtis conſternatus, plus periculi ipſe ſuſtinebit,quam parabat inferre. Quapropter Dux cum agmine exercitus profecturus, fideliſſimos,argutiſſimoſq; cum equis probatiſſimis mittat, qui loca per quæ iter faciendum eſt in progreſſu, & à tergo, dextra, leuaq; perluſtrent, ne aliquas aduerſarij moliantur inſidias. Maximè cum ſyluæ penetrandæ, aut circumſeptæ collibus ſolitudines peruadendæ. Sæpenumero enim ſtruuntur ab hoſtibus inſidiæ,

quæ ſi aduerſarios fallant, rem eorũ vniuerſam perimunt opprimuntq; ſi verò ſubtili aliquantulum Ducis diligentia detegantur, maximum prudentiæ argumentum hoſtium imperatori exhibét. Quod ſi per montes iter faciendum eſt, altiora loca præmiſſis præſidijs occupet; vt cum hoſtis aduenerit, cognoſcat ſe eſſe inferiorem: nec audeat obuiare, cum tàm à fronte quàm ſupra caput suũ cernat armatos. Magiſter hac in re Iulius Cæſar fuit, qui in expeditione contra Heluetios, *factus certior*, inquit de ſeipſo lib. 1. Commentariorum. *hoſtes ſub monte conſediſſe millia paſſuum octo ab ipſius caſtris, qualis eſſet natura montis, & qualis in circuitu aſcenſus, qui cognoſcerent, miſit*. Atque hoc illum in magno ſemper habuiſſe, vt locorum nimirũ ſitus, & ingenium per exploratores cognoſceret, Trãquillus Suetonius auctor eſt. ChodKieuicius verò vt plurimum ipſe locorum ſitus ſpeculabatur, vel ſi non poterat ipſe longè procedere à caſtris; Campiductorem cum peritiſſimis taliũ rerum præmittebat, gnarus conſuetudinis aduerſariorum in ſuperuentibus faciendis. Quia diuerſi diuerſimodè ſolent aggredi hoſtem, propterea noſcere debemus eorum morem & conſuetudinem; vtrum nocte vt *Coſachi Zaporoſenſes*; an incipiente die, *vt Hungari &*

Croatæ,

Croatæ; an hora reficiendis laſſis *vt Tartari*, *&* *Moſcouitæ*, ſuperuenire conſueuerint: & id vitare, quod illos facturos ex more putamus. Cum ſępiùs etiam vt incantos fallant, conſuetudinem ſuam immutare ſoleant. Quemadmodum accidit in prælio Czeczorenſi, vbi Turcæ, & Scythæ de nocte nuſquam alias ſueti ſuperuenire, noſtros audaciſſimè aggreſſi fuerant. Præterea ſcire conuenit, vtrum peditibus, vt Germani, Hiſpani, & Galli, an equitibus, vt Turcæ, Scythæ, Parti, atque Arabes plurimum polleant. Vtrum ſclopetarijs, vt omnes ferè Europæi, an cōtatis, vt Narſingani, & Mogoritæ; an verò ſagittarijs vt Americani & Aſiatici cōmuniſſimè; tum denique bipennibuſue, vt Moſcouitæ an verò haſtis, & acinacibus, vt Perſæ, & Poloni amplius valeant, Vtrũ numero hominum vt Orientales, an armorum munitione, vt Occidentales, præcellant. Item cognoſcere opus eſt, per diem an per noctem iter expediat inchoare; quæ & quanta locorum interualla ſint, ad quæ cupimus properare: ne æſtate aquæ penuria obſit euntibus: ne hyeme difficiles aut inuiæ occurrãt paludes, niues altæ, aut male gelu concretæ glacies, maioreſq; torrẽtes, & impedito itinere circumueniatur exercitus, priuſquam ad deſtinata perueniat.

Hæc ſingula, vt ipſi ſapienter vitare debemus, ita ſi aduerſariorum imperitia, vel diſſimulatio occaſionem nobis dederit, non oportet dimitti, ſed explorare ſolicitè, vt quid hoſtis moliatur, in præſenti vel in futurum poſſimus agnoſcere: paratiſq; equitibus ac leui armatura, ambulantes eoſdem, vel pabulã victumq; quærentes, improuiſo terrore decipere.

Septimo obſeruet Imperator, ne ſuos longo itinere conficiat, dum hoſti appropinquat, ſed pedetentim ſuſpenſoſq; gradu iter faciat, præſertim vbi vel ſolũ ſabuloſum, vel viæ vliginoſæ, vel aſperi colles, fruticeſue denſi aut detinentes militem quia ſic multoties defatigatos Veios atque Volſcos à Romanis deuictos fuiſſe apud Liuiũ legimus. Et Alexander Gonſieuius Suecos, Polociã verſus ex Liuonia tendentes facili negotio vicit; Koniecpolſciuſq; Guſtauũ ad Stumam, eius verò Campiductorem Baldiſiũ ad Nouomlinũ in itinere deprehẽſos & defatigatos, pauciſſimis cohortibus profligauit, nec ſiuit reſpirare Taiſelium atque Strephium Amerſtini in Pomerania, cum ſeſe ex itinere eo receptiſſent, ſed ſtatim ad deditionem coegit, qui ſi maturè ad deſtinatum locum perueniſſent, potuiſſent procul dubio faceſſere negotium reſumptis viribus ex defatigatione itineris. Octa-

Octauo, attendat ad tempus, quo caſtra ſunt mouenda; quantumq; itineris conficere debeat diligenter animaduertat. Nam ſæpiùs accidit vt vrbibus obſeſſis, tardè ſuppetiæ adueniant; aut prælio decertantibus ſuperueniat clades, pri uſquam auxiliares iungantur copiæ. Ita Maximiliano Archiduci euenit, vt coactus à Zamoſcio ad pugnam, non profligatus modò, ſed & captus iam Biciniæ in Sileſia fuiſſet, antequam Hungaricus equitatus, qui iuſtum exercitũ conficiebat, cum Morauijs ſuperueniſſet. Decet itaque exercitum in ordines diſpoſitũ, duo milliaria Germanica quoquo die conficere, ante occaſum ſolis caſtra & occupare, & metari: ſi quidem vt plurimum vrgête neceſſitate exercitus quatuor iſtiuſmodi milliaria in dies cõficere ſoleat, ſed in pacato, in hoſtili autem agru ſufficiunt duo. Aliud ſi de nocte cogitur Imperator caſtra mouere, aut ſuperuentũ facere, in qua re expeditiſſimi habêtur Bulgari. Hoc tamen vbiq; obſeruandũ, vt currus & impedimenta omnia ſint in medio, vti ſupra monuimus toties, miles verò in ordines diſpoſitus, tàm à frõte quã à tergo, quàm etiã ab vtroq; latere: Velites autẽ præcedant aut ſubſequantur à longe quamlibet quadrati exercitus partem, vt ſi hoſtem alicunde conſurgere viderint,

admoneant acies, & Ducem ipſum,qui ita milites ſuos aſſueſacere debet,vt hoſte ingruente ſciant tam ex poſtremo agmine, quàm ex lateribus frontem facere, atq; tandem in priſtinam formam redire norint. Quod ſi hæc facere nouerint,vinci nullo modo poterunt quãnis hoſtes quadruplo maiores copias habuerint;exemplo Macedonicæ phalãges, cum Perſis & Indis belligerantes; & Hiſpanicæ legiones ſub Albuquercio Imperatore,contra Auſtrales populos in Coa militantes ,

Nono , vt per ſocias regiones iter faciens,militum manus à rapina cõtineat exq; amicis , & confœderatis non faciat ſibi hoſtes,vt ſæpiſſimè accidit.Quapropter ſeuerè edicat,vt milites ſe illis locis abſtineant,nihil illorum aut attingant, aut corrumpant . Omnis enim exercitus dum in armis eſt immodeſtè permulta appetere amat , tum præcipuè , cum perpetraſſe aliquid licuit ; quæque ſe oculis vltrò ſubijciunt commóditates maximè titillant & alliciunt impotentem habendi cupiditatem , ac ſæpè vel leuiſſima data occaſione diuertunt animi ſociorum; imò & infenſiſſimi hoſtes fiunt ; quod toties experti ſumus Poloni, in Moldauia , & Myſia vlteriore à Valachis, bella cum Turcis , & Tartaris gerendo, eo quod poſſeſſiones eorum

impru-

imprudenter milites noſtri, tanquam hoſtile ſolum depopularentur. Igitur Dux cum exercitu iter faciens, in fœderatis ſocijſque regionibus non immoretur: è propriaq; patria, vt primum commodum eſt, & licet confeſtim educat: nam in hoſtium agris, ſi optimi sũt & fertiles, opipare & affatim viuet: ſi minus, ac certe ſuos non vaſtabit, aut frugalius viuere militem adſueſcet.

Decimum hoſtiũ poſſeſſiones non fũditus euertet, quamuis interdum & funditus omnia perdere, amburere, cædere, ac depopulari proderit, præſertim quæ vtilia ſibi non fore Imperator proſpexit. Damnoſa enim clades, & opũ fructuũq; penuria, belligerandi vires illi adimet, qeas abundantia fouebat, ac ſuppeditabat. Illis autem parcat, quæ ſi integra ſeruentur, ſuis etiam prodeſſe poterunt. Ita Scythæ cum in Podoliam & Ruſſiæ oras excurrunt, quæ auferre non poſſunt comburunt; excidunt, homines autem, & iumenta ſecum abducunt, & partim ad labores, partim ad progenerandam ſobolem prudenti conſilio aſſeruant, faciuntq; milites contra nos ex pueris noſtris in ritu Machometano educatis, quos perſæpè Turcæ in Ianitzaros tranſcribunt. Nihilominus bonus Imperator aliquandiu ante comminari prouincialibus debet, quàm facere, vt eos be-

nignitate ſua ad ſe alliciat, non ſeueritate abalienet. Namque calamitatis inferendæ metus, periclitantes admittere multa quæ renuebant ſæpè cogit; at vbi ea ſemel illata ſæuijt, dum ſe nihil eius pati poſſe animaduertũt, cætera omnia quaſi pro derelicto habẽt. Ita bellis Moſcouitis ſub Sigiſmundo III. durantibus, experti ſumus in vrbe Metropoli Moſcua, alijſq; pluribus in locis ampliſſimi Imperij illius, vbi Moſcouitæ armis noſtris oppreſſi, vltimam calamitatem euitare volentes, in omnia planè quæ poſtulabamus conſenſerant; at poſtquã immoderatius ſeſe noſtri gerere cæperunt, tectiſq; tàm opulentæ vrbis cupidine prædæ ignem iniecerũt, vniuerſi qui deditionem fecerant ſeſeq ſacramento Regi Poloniæ obſtrinxerant, ab alienato animo arma ſumpſerũt, & potiùs mori voluerunt cum caperentur in agris, quam aut abſcõditum commeatum indicare, aut redire ad pacta ſancita.

Vndecimo requiritur, vt iter facientibus cum exercitu Imperatoribus foſſores atq; id genus homines, quibus itinera ſternantur præſto adſint, qui cum leuiore equitatu, atque ſelectiore peditatu, quorum eſt itinera explorare, vniuerſum exercitum antecedant, & pontes reficiant, foſſas complanent, frutices & arbuſta exſcindant, ſi impedimento curri-

curribus atque inſtructo exercitui progredienti eſſe videntur. Quodſi verò per ſyluas denſiſſimas iter eſt faciendũ, vt accidit Zamoſcio Veliſiũ, & Pleſcouiam tendenti in Moſcouia, oportet vt habeat, ſecures, ſeras, dolabras aliaq; neceſſaria inſtrumenta, ad demolendum arbores vaſtiſſimas, & explanandum integras ferè ſyluas. Et Zamoſcius ſanè tunc, Polonico peditatu atq; Hungarico abundans, qui de more priſco ad cingulum ſecures appenſas cõtinuò gerũt, per auios ſaltus eluctatus, inſperato ferè deſertum illud Veliſienſe, intra dies viginti, cũ exercitu ſuperauit, & cõfeſtim è ſyluis prorumpens, vrbem eam ita obſedit, vt nullo modo potuerunt Moſchi ſubuenire obſeſſis, qui in viciniis erant præſtolantes aduentũ illius, & tranſitũ per paludes impedire volentes. Et in hanc ſolam rem Reges Poloniæ in Magno Ducatu Lituaniæ certos agreſtes deputatos habent, qui omni tributo & laboribus liberi, hanc vnicam curã habẽt, vt Rege ſeu Duce belli ſupremo in expeditionem prodeunte, vias repurgent, pontes reficiãt, ſyluas excidãt, & machinas bellicas conducãt. Cæterũ ſuaderẽ ego, vt quorũ officij eſt vias ſtrauiſſe, id muneris ipſis militibus iniungeretur, tã quòd idẽ priſcis receptũ fuerit quàm quod ea ratione minus impedimento-

 rum,

rum, nec turba intermis caſtris moleſta ſutura ſit: cui quidem rei vnaquæquæ cohors, eum militum numerum quem neceſſitas poſtulare videretur, ſuppeditaret, atq; eorum eſſet ligonibus & id genus inſtrumentis rem adgredi; interim verò arma ſua apud proximos ordines deponere, atque commilitones ijs onerare, quo hoſte ingruente, ea inde repetere, atq; ſe in ordines ſuos confeſtim recipere poſſint. Quod ita nuper apud Guſtauum, Laponas & Finlandos ſec iſſe vidimus. Reliquos verò ſi interea temporis, dum iſti opus faciunt, Imperator pabulatum mittet, ſummopere cauere debet, ne per vberes diuiteſque hoſtium regiones huc illucq; predas opimas perquirendo aborrent, ne hac ratione in maximas aliquando ſtrages incidant; quia indigeſta illa turba, quæſtibus prædiſq; onuſta, neque armis vti, neque mutuum ſibi ferre auxilium poteſt. Ideo Romani per manipulos cohortes atque legiones pabulatū milites mittebant, cū lege vt tota præda communis omnibus eſſet etiam ijs qui qui opera interim & laborem caſtrenſem conficiebant, quemadmodum nūc faciunt Coſachi Zaporoſenſes, & Tartari Præcopitæ cum circumuicinas prouincias depopulantur.

Denique curabit Imperator, vt in itinere

nere cum exercitu commeatum ac manum habeat, nó modò modeſtia id militum & frugalitate efficiente, quòd benè obſeruaſſe Neronem, Liuius hiſce verbis ſcribit. *Modeſtia* inquit, *certare milites, ne quid vltra vſum neceſſarium ſumerent; nihil morari, nec ab ſignis abſiſtere, cibum capientes; diem ac noctem ire; vix quod ſatis ad naturale deſiderium corporum eſſet, quieti dare*: verum etiam ex commoda apportatione, tam populatorum, quàm mercatorum, vel plena ſecuritate impigri, neceſſarias merces & annonam, terra mariq; apportent. Hinc Zamoſcius cum exercitu ad Lucos iter faciens, cum ſciret Regem Stephanum cum reliquo exercitu eadem via ſubſecuturum, in partes certas vniuerſum agrum eum per quem iter erat deſcripſerat, quarum vnam exercitui qui cũ illo erat metendam permiſit (iam enim matura in agris frumenta, & maximè pabula erant) reliquas ſequẽti alij exercitui integras ſeruari iuſſit. Seuerisſimeq; cauit; ne mercatores ad caſtra cum mercibus accedentes à militibus deprædarentur per viam, ſed tàm ab hoſte quàm à ſuis ſecuri, liberum annonæ conuehendæ haberent aditum. Sed videamus etiam breuiter, quemadmodum ſanitas gubernetur exercitus.

CAPVT XXIV,

De Gubernando ſanitate exercitus.

MAximè prouidendum eſt Ducibus, vt ſanitas cuſtodiatur exercitus, Locis, Aquis, Temperie, Medicina atq; Exercitio.

Quantum ad loca, in primis curabit Imperator ne in peſtilẽti regione, iuxta morboſas paludes, neue in aridis collibus aut campis, & ne procul à ſyluis cõmorentur milites. Nam qui tentoria habere non poſſunt, neceſſe eſt vt tuguria ſibi extruant in quibus à ſole & a pluuijs ſeſe defendant, & arma, puluerem pyrium, annonamq; ſuam conſeruent; ad hoc autem arboribus, & dumetis opus eſt, tum & ad focos faciendos, quibus nõ victus modo paratur, ſed & minus ſalubris camporũ aer perpurgatur. In aridis verò locis pabulum animalibus citò deficit, difficulterq; apportatur. In humidis demum contagies acquiritur & infectio corporum. Hinc Batauì milites ſuos, quia in locis humidis manent & bella gerunt, humi iacere non permittunt, ſed homines ad id delectos, qui eis lectos ex aſſeribus parant cubito à terra altos, vbique ſecũ circumducunt.

Inſi-

Inficitur quoq; ſæpiùs exercitus aquis mineralibus inter montes decurrentibus, aut è paludibus fœtidis reſtagnantibus, aut corruptis ab hoſte, quod cauere debet Imperator cum terrã ipſius intrat; vel ad lacus nullum decurſum habentes caſtrametatur, ne videlicet lixæ per negligentiam aut malitia cadauera in aquis demergant, vnde ſequitur corruptio, & morbi occulti in militibus, vt accidit ad Chotimiam in Valachia, vbi in profluentem Tyram, & hominũ & animalium cadauera, tàm à noſtris, quàm à Turcis paſſim proijciebantur, qui alias per ſe, è montibus procurrens, diuerſorum mineralium infectionem ſecum trahebat, & ſic adaquantes morbis diuerſis afficiebat.

Sed & otio corpora humana putreſcunt, ſicut & intemperie aeris nimiũ frigidi in Moſcouia videlicet aut Suecia, vel nimium calidi, in Aegypto nimirũ aut Lybia, cæteriſq; omnibus regionibus inter Tropicos poſitis; niſi adhibeatur medicina, veſtis, exercitiũ, téporum obſeruatio & moderatus ſub dio labor. Quod vt præſtet Imperator, curabit ne exercitus longum iter faciat, (niſi aliter ſuadeat neceſſitas) ne tarde de loco moueatur, & ſole iam aduréte, ſed potius ante lucẽ; ne etiam ſole occiſo de crepuſculo aut de nocte ad locum

deſti-

deſtinatum eat,ſed de die perueniat, & tempeſtiuè ſeſe diſponat ſine tumultu, ſine perturbatione; alias facilè ex fatigatione itineris,& morbum contrahent & ordines negligent, vt accidit Gallis nuper in Italiam per Alpes tendentibus quorũ plurimi & ad Suſam & ad Pinarolam in Sabaudia perierunt ob diuerſa incommoda itineris, quibus in patria ſua diuite, & temperata non fuerant aſſueti. Item caueat Imperator, ſæua hyeme iter per niues & pruuinas noctibus faciant, aut lignorum patiantur inopiam, aut minor illis veſtium ſuppetat copia, nõ enim expeditioni idoneus miles eſt,qui alere compellitur præſertim è clementiori patria euocatus. Sic Germani, & Galli ferè omnes in Moſcouia interierant rigori regionis non adſueti,quos vel hoſtes ipſi,vel Rex noſter mercede in bellum euocauerat Similiter videat ne paludoſis aquis vtatur quia peſtilentiam generant. Ne ægris cibus oportunus deficiat. Ne medicorum diligentia deſit. Maximè verò ne deſides milites maneant, ſed & ad conſeruandam ſanitatem, & ad conflictum, aſſiduo ſeſe labore, & exercitio armorum præparent, vt nihil eis in neceſſitate prælij accidere poſſit incognitum.

Præcipuè tamen ſanitas militũ conſerua-

ſeruatur, frequenti mutatione caſtrorũ; niſi milites ea tempeſtate ſub pellibus, & tentoris hybernent, aut in obſidione vrbis alicuius perſeuerent. Quod ſi verò hoſtibus minimè prementibus, caſtra diutius habiturus ſit: aut ſit regionis vaſtãdæ cauſa commoretur, aut etiã commodiorem circumſpectet occaſionem, eligat minimè humida, aut morboſa loca. *Impurus enim illic*, inquit Vegetius, *& fœtidus aer morbos ac peſtem progignit, validam multorum valetudinem lædit, & compluribus vitam quoq; aufert, vnde & numero & viribus minuitur exercitus.* Eapropter Hollandi in obſidione Oſtendæ ſingulis trimeſtribus, nouo præſidio vrbem muniebant. Et ChodKieuicius obſeſſum à Moſcis Smolenſcum, vel per media hoſtium caſtra perrumpens, nouo ſubinde milite reficiebat. Atque id quidem prudenti conſilio, cum ex nimia cunctatione aer facilè corrumpatur, vnde perniciosiſſimus naſcitur morbus, qui prohiberi non poteſt aliter, niſi crebra mutatione aeris.

CAPVT XXV.

De Cauenda Seditione Militum.

FAcilè mehercle, tàm in vrbibus, quàm in caſtris reperiuntur, qui ré aliquam

aliquam perturbent, & diffidijs materiam ſubminiſtrent: qui verò dexteritatem illam habeant, & voluntaté etiã conciliandi animos, & componendi ſimultates, vix paucos inuenire liceat. Quapropter ſæpiùs fiunt ſeditiones, & tumultus in caſtris, tum confœderationes interſe militum, non contra Duces modò aut Imperatores ſuos verùm etiã contra patriam ipſam, quod noſtra infelici ætate toties experti ſumus Poloni; quamuis & Turca & Chriſtiani Principes ferè omnes, idé à ſuis militibus ſenſerint malum non tamen ita frequenter ſicuti nos modò, aut vetuſtiſſimis temporibus Romani Conſtantinopolitaniq; Imperatores, de quo videndi ſunt Hiſtorici eorum,

Tumultus igitur caſtréſis nihil aliud eſt, quam timor multus, cum multi multa ob flagitia Ducem metuunt, & vt pœnam eo facilius euadere poſſint, tumultus excitare ſolét, vt accidit apud nos ſub Stanislao Zolkieuio in pugna Czetzorenſi contra barbaros orientis ferè totius, dum lixæ & calones dominorum ſuorum currus & ſuppellectilé nocturno tempore diripuiſſent, & cum præda illa domos ſuas diffugere voluiſſent, illis in acie decertantibus. Quapropter nihil facilius excitatur, nihil occultius, latiusq; diſſipatur, & nihil denique

diffi-

difficilius ſedatur, quá ſeditio militaris. Sed & in ciuitatibus benè populatis ſolent frequenter ſeditiones fieri, vt præſidium militum eijciant, aut iugum per bellũ ſibi impoſitum excutiant, aut tumultu aliquo facto ditiorum bona diripiant. Hinc Saluſtius, *Semper in ciuitate, quibus opes nulla ſunt, bonis inuident, malos extolliunt, vetera oderi; noua exoptant, odio ſuarum rerũ mutari omnia ſtudent.* In caſtris quoque ambitioſi multi, qui dum Ducẽ negligentius agere omnia vident, ipſi magiſtratum per tumultũ arripere cupiunt; & primùm egentiores ad ſe, ſpe alicuius lucri attrahunt, poſt potentiorum & officialiũ amicitias exoptant. *Homini autem*, inquit idem Salluſtius, *potentiam quærenti, egentiſſimus quiſque opportuniſſimus, cui neque ſua curæ, quippe quæ nulla ſunt; & omnia cum precio, honeſta videntur.* Ita ſæpius videmus, leui ex occaſione Coſachorum Zaporoſenſium Ductores, aut deijci, aut occidi; ita Principes Valachorum Moldauorumq; mutari, ita Præcopenſiũ, Tartarorũ Chanos atque Galgas variè detrudi, Moſcorũq; Duces ſubinde deponi. Quod ne in tuis quoquè caſtris fiat, qui militiæ præs *principijs obſta*. Ordinariè enim modicis rebus primi motus conſedere: omneq; malum naſcens facilè opprimitur, inueteratum fit robuſtius. Quod ſi & in

in Czetzorienſi illa expeditione noſtra, quam ſupra memorati ſumus, ſtatim animaduerſum fuiſſet in tumultuantes prima nocte ad Prutum, nos cladem in vltima illa pugna ad Tyram non retuliſſemus. Tacitus in id nobile conſilium ſuggerit, *vt nouas cupientibus auferatur Dux & auctor; vel ſi plures ſint, ſeparentur: omniq. ſtudio id curetur, vt in commune non conſulant*. Quod tutiſſimè fiet, ſi per cauſam honoris aliqui ſepoſiti, vel in ordinem redigantur, vel ſi omninò Reip. periculoſi, ſint, ſic tollátur è medio vt facti ſuſpicio in aduerſarios libertatis defenſores non redundet. Perijt hoc modo Piſo in itinere Hiſpanico, à Pompeianis equitibus, aut adiunctis illi ſocijs peremptus, cuius morte conſiliũ Cæſaris deſtitutum fuit, & coniuratio euanuit. Punitus ſimili modo & BorodauKa Coſachorum Zaporoſenſium Dux à ChodKieuicio in Valachia, octuagintaq; præcipui ſeditionis auctores nocte obſcura nemine ſciente ſubmerſi. Habent enim hoc in more Coſachi vt ſeditioſos inter ſe non niſi de nocte, & valde occultè puniant, gnari in omni factione caute agendum eſſe; & ſæpè illis etiam diſſimulandum quibus de facto conſtat. Nam ſi temere detegatur, coniurati plerumque prioribus armis alia & validiora addunt, deſperationem

tionem nempe ſalutis, prauæ voluntati, vt in ijſdem Coſachis toties contra Rempub. inſurgentibus experti ſumus, ſed maximè in coniuratione moderna, cum clade Moſnenſi caſtigati perijſſent. Occuratur igitur primo motui, quia *omne malum naſcens facilè opprimitur*, vt inquit Cicero, *inueteratum verò plerumq; fit robuſtius.*

Et quia impoſſibile eſt, ne exercitus magni ſeditiones faciant; aut contra Principem, vt accidit Sigiſmundo I. Regi Poloniæ vniuerſam nobilitatem cõtra barbaros ad Leopolim euocanti, aut inter ſe, vt plurima in Hiſtorijs exẽpla habemus: præſertim cum Duces ſunt factioſi, & cupidi rerũ nouarum. Ideo ſi non poſſunt ſtatim contra hoſtem Duci, (His etenim duobus modis Romani tàm in ciuitatibus, quàm in caſtris ſeditiones omnes ſedabant; Primo, tollendo capita ſeditionis. Deinde populum aut militem ducendo in hoſtem, vt habeat quod meditetur, & quo ſeſe occupet) diuidendi ſunt in plures partes: quia ſic diminutis viribus diminuitur quoque animus factioſorum; militumq; crudelis animus ſedatur, cum paucitate ſuorum conſpecta quiſque de periculo ſuo cogitare incipit. Sic Reges noſtri, quotieſcunque ſimul Polonos & Lituanos in caſtris magno numero.

mero conſcriptos habuerunt, hoſte præſertim adhuc remotè poſito, ſemper vel inter milites ipſos, vel inter Duces eorum diſſenſiones experti ſunt; quod gẽs vtraque rerum proſperimarum ſucceſſum, æmulatione quadam ſibi adſcribi optaret, & ad gloriæ cupidinem à Ducibus ſuis, maximis in periculis, incitaretur, vt bellis Moſcouiticis atque Liuonicis, toties iam accidit. Conſultiſſimum itaque eſt priſcorum Romanorũ conſilium, ſeditioſos milites periculis obijcere quo metus ille communis periculi, animos conciliet; quod inter Græcos Duces etiam pericles cũ ſuis Atheniensibus faciebat. Sed nihil adeò exercitus concordiam fouet ſeruatque ac opinio de Duce concepta, quæ quidem ſola virtute paratur: neque vnquam vel natalibus, vel authoritate citra virtutem parata fuit. Omitto hic Metellos, Aemilios, Scipiones, Marios: aut ex noſtratibus Seciechos, Gouoricios, Ianſenios, Vitoldos alioſq; magni nominis & authoritatis Duces, vnicum Turcarum Imperatorem Baiazetem II. adſcribam, cui quũ filius Selimus I. rebellaſſet, vellentq; ad eum tranſire Ianizari omnes, intrepido animo ad eos acceſſit, & ipſa maieſtate ſua perſuaſit eis, ne eũ toties in bellis expertum feliciter, aut deſererent pee ignauiam, aut filio traderent per mali-

malitiam prout conſtituerant. Poſtea paulatim in ſeditioſos animaduertit.

Frequenter quoque accidit, vt milites vocati ad bellum è locis, in quibus ociosè delicatèq; vixerunt, pugnare nolint; præſertim ex diuerſis locis collecti; ideo multiplex variaq; medicina ab Imperatore huic rei opponi debet. Quia illi aſperitate inſoliti laboris offenſi, quę in expeditione neceſſe eſt ſuſtinere, armorum exercitia declinant, prælium metuunt, & ſeditionis ſumunt audaciā. Quare campi curſionem, ſeu inſpectionem armorum aſſiduè faciant: & dū adhuc ſeparati ſunt in ſedibus ſuis, tribunorum vel vicariorum ad omnem diſciplinam arctiſſima, ſeueritate tenеātur: exercitia militaria iuſſu Ducis aſſiduò peragant, ſigna obſeruent, moderationē diſcant, Regis aut Reipub. deuotionem cuſtodiant, nullis commeatibus vacent; Et ne Tribuni ipſi aliquid moliantur in ocio, aut tumultus excitent, Imperator eos ſeparatos à caſtris habeat & ad agendum aliquid ipſis optabile mittat: puta ad caſtella vrbeſq; muniendas aut ſeruandas, tanta ſubtilitate vt cū abijciuntur, videantur eſſe electi & ſupra alios prudētiores, fortiores aut fideliores æſtimati. Ita Viriatus per multos annos numeroſum exercitum ſuum diuerſis è nationibus conflatum, abſque

omni

muni cōtraditione & ſeditione, in obedientia continuit. Ita Georgius Scanderbergius. Ita Iuonia Palatinus Valachiæ, & Michael Palatinus Moldauiæ, & noſtra ætate Guſtauus Rex Sueciæ, ſola ſuaui loquentia ac libertate adhibita. E contra infelices Carthaginenſes fuerunt, quod hanc prudentiam ad gubernandum exercitus ſuos non adhibuerunt. Itaque milites eorum finito primo bello, quod cum Romanis habuere, ducibus per ſeditionem creatis Mathone & Spendio, multo periculoſius bellum ipſis Carthaginenſibus intuliſſe legimus, quàm quod cum Romanis nupere geſtum erat. Idem fecerunt apud nos Coſachi Zaporoſenſes, cum negligenter fuerint gubernati. cum quibus aliquoties iam pugnauimus, multò periculoſius, quàm cum Sueco in Pruſſia, aut Moſcouitis ad Smolenſcum.

Quod ſi igitur medicinam fieri neceſſitas extrema perſuaſerit, rectius eſt more maiorum in authores criminum vindicari, licet ſint potentiſſimi, aut ex antiquiſſimis familijs, vti Bizantini Imperatores faciebant; vt ad omnes metus, ad paucos pœna perueniat. C. Cæſar ſeditione in tumultu ciuilium armorum, actum maximè tumentibus animis, legionem totam exauctorauit,

Ducibus ſeditionis ſecuri percuſſis; mox eos quos exauctorauerat ignominiam deprecantes reſtituit, & optimos milites habuit. Sed huius rei paſſim in Hiſtorijs occurrunt exempla; nos videamus quomodo etiam prudentia, & virtutibus Ducum abſque pun tione, & ſeueritate, concilientur militum animi.

CAPVT XXVI.

De Conciliando militum Amore.

ETiamſi omnis virtus faciat hominem amabilem, Principes attamẽ & Duces bellorum præ ipuè apud ſubditos & milites *amabiles facit*, Clementia, Humanitas, Comitas, Affabilitas, Iuſtitia, Beneficentia atque Liberalitas; *venerabiles ve*, Animi magnitudo, & Dexteritas ingenij, Ex illa procedit Fortitudo & Canſtantia. Ex iſta ingẽs quædam vis eloquendi, & ciuilium militariumq; rerum prudentia. Atq; ita Viriatum olim milites amarunt propter liberalitatem eximiam, & æqualem inter ipſos prædæ diuiſionem. Cæſarẽ, ob diligentem curam ſalutis ipſorum, & tempeſtiuam victualium prouiſionem. M. Antonium ob eloquentiam, affabilitatem, & diligentem curam infirmorum, ſeu ab hoſte vulneratorum.

Lu-

Lucullum ob diligentem officij imperialis executionem, & familiariſſimam cuius ſuis militibus conuerſationem. Et nuper Guſtauum Regem Suecorum ob hæc ferè omnia. Ioannes verò Zamoſcius, quia & viuacitate animi, & promptitudine ingenij pollebat, ideo non à militibus tantùm, ſed à tota nobilitate Polonica amatus & obſeruatus fuit. Maturo etenim iudicio prouidebat omnia, & cana prudentia, ſuauiter diſponebat quidquid agrediebatur, ſiue domi, ſiue in bello; cupienſq; animos militum conciliare ſibi, ſtipendia eorũ maturè prouidebat, commeatum tempeſtiuè ſuppeditabat, exemplo ipſe ad omnia præibat, infirmorum curam diligentem habebat, negligentes dulci ſuada commouebat, & liberalitate perpetua, tenuiorum obſequia ſibi deuincebat: omneſq; ſimul ad omnia munia belli alacres & obedientes velut pater filios habebat. Libentiſſimeq; pro gloria eius, omnes aduerſitates & pericula perferebant, ipſamq; demum vitam profundebant. Nec Timoleones apud Græcos in ſuis expeditionibus alia re glorioſus aut victor exſtitit, quam amore militum, & fauore ſuorum ciuium. Similiter Pelopidas, Alcibiades, atque Cimon. Inter Romanos verò Fabius Rullus, & duo Africani. Ex noſtris denique

nique Camenecius, Oſtrogius, Tarnouius, & Radiuilli ferè omnes. Quamuis è contra, & plebem & milites nimium in partibus habere, ſuſpectũ eſt, & periculoſum ideoq; etiam dum culpa abeſt, ſi libertati cõſultum velimus, non temere ferendum. Apud Venetos Petrus Loredanus, qui triremium præfectura, ante aliquod tempus defunctus, tumultuantes inter ſe nauticos & milites, quos fruſtra alij compeſcere conati fuerant, præſentia ſua & auctoritate cõpoſuerat, Senatui ſuſpectus, cuſtodiæ mancipatus fuit, è qua nũquam euaſit; ne fortaſſis communi hoc fauore elatus, æqualitatem, cuius in ea Rep. maxima cura eſt, aut violare conaretur, aut impatientius ferret; ſicut apud Romanos fecerat Iulius Cæſar, & poſtea Auguſtus qui militem donis vt inquit Tacitus, populum annona, cunctos verò du'cedine otij pellexerat, vt paulatim inſurgeret, muniaq; Senatus, Magiſtratuum, atq; Legũ in ſe traheret, nullo aduersãte. Hinc militarium, politicarumq; rerũ peritiſſimus Dux Clearchus dicebat. *Miles magis debet timere Ducem, quàm inimicum.* Quia ſecundum Scipionis Numantini opinionem, *Dux facilis & indulgens, vilis putatur eſſe ab hoſte, & contemptibilis à ſuo milite.* Eapropter laudantur ob ſeueritatem T. Manlius Torquatus,

M & Papi-

& Papirius Curſor apud Romanos, Otto Primus, & Fridericus Barbaroſſa apud Germanos; Iſmael Sofius & Xaabbas apud Perſas; Selimus I & Machometes II. apud Turcas; apud nos Nicolaus Melecius, & ChodKieuicij duo: tū apud alias gentes, diuerſi Duces ac Imperatores, olim atque modernis temporibus. Nam quemadmodū Liuius vocat Poſthumium Tubertū, ſeueriſſimi imperij virum; ſic Germani nunc de Valſteinio dicere poſsūt, quòd in eo viro vis imperij ingens fuerit pariter in ſocios, ciues, atq; milites, ſicut in altero Corbulone.

Sed maximè amorem generat apud milites, liberalitas, & animi magnitudo; quibus rebus apud nos, quotquot è domo Radiuilia Duces exercituū fuerunt, omnes ferè ciuium ſuorum & cōmilitonum amore floruerunt. Licet nō nulli obſequentiſſimum ſibi militem reddant, innata quadam authoritate, & reputatione; quę, non ſemper quidem ex victorijs aſſecutis, & felicitate continua procedit, ſed ex quadam animi magnitudine, & adnatis quibuſdam qualitatibus, Magno Imperatore dignis, vt in Naſſouijs apud Batauos, apud nos auté in Stanislao Koniecpolſcio videmus. Vnde multi talibus dotibus ornati, etiam poſt aduerſa enituerunt, & clariores multò, quam alij poſt obtentas victorias

exſti-

exſtiterũt, qualis fuerat Mitridates Rex Ponti, de quo narrat Iuſtinus, quod licet toties à Silla, Lucullo & Pompeio fuerit profligatus, ſemper tamen animum talem geſſit, vt maior, clariorq; reſurgeret in reſtaurando prælio; damniſq; ſuis terribilior redderetur. Similis putatur fuiſſe Vladislaus Locticus Rex Poloniæ, Vitoldus Dux Lituaniæ, Alponſus Magnus Rex Aragoniæ, & ex eorũ diſciplina Nicolaus Picininus Stanislaus KiſſKa Euſtachius Oſtaphæus, tum noſtra ætate Samuel Corecius, & Papenheimius Comes. Sed inter alios, poſt frequentes clades, mirabiles extiterunt. Petrus Strozza in Italia. & Michael Palatinus in Myſia cis Alpina. Cæterum quia frequentiſſimè clades inopinatæ, in tranſitu fluuiorum accidere ſolent, ideo quam cautè traducere exercitus ſuos Imperator debeat, vbi frequentes ſunt riui, aut rapidi fluuij, diligentiſſimè inquiramus.

CAPVT XXVII.

De Tranſitu Fluuiorum.

FRequenter in tranſitu fluuiorum grauis moleſtia negligétibus emergit, præſertim vbi aqua violentior fuerit, aut alueus latior, præſertim cum aut

hoſtem inſequentem fugis, aut inopinatum adoriri exoptas. Vt igitur cōmodè & citò tranſeas primùm vada exploranda ſunt quæ ſi reperientur, duæ acies ſimul equitum, competentibus interuallis ſeparatæ, tranſeant, mediū verò pedites & impedimenta teneant, vt acies ſuperior aquarum impedimentum frangant; inferior verò colligat atq; trāſportet, ſi qui rapti ſubmerſiq; fuerint, Ita Demetrius Viſniouecius, Tyram ſluuiū tranſiuerat, cum in Moldouiam cum exercitu tēderet: Nicolauſq; Sienauius deinceps, cum inde reuerteretur. At cū altior fluctus nec peditē, nec equitem patiatur, ſi ꝑ plana decurrat, ductis multifariam foſſis diuidatur, & diminuātur aquæ. Fecerat hoc Alexander Magnus in Cicilia cum Licum amnem ſuperaret, & Tamerlanus in Bytinia cum ad Pruſiam obſidenpum tenderet, cæterū vterque ponte deſtitutus facilè ab hoſte ſuperari poterat, ſi interea temporis audacter ſuperueniſſet. Vnde Curcius de Alexandro, *Deleri potuit exercitus, ſi quis auſus eſſet vincere.* Similiter & Tamerlanes, niſi felicitas quæ eum perpetuò, vt & Alexandrum comitabatur adfuiſſet, penè totum exercitum inter fauces montium amiſiſſet. Ideo Iulius Cæſar nuſquam fluuios magnos tranſibat, niſi pōte exſtructo, vnde Suetonius de illo.
In

In obeundis expeditionibus dubium cautor, an audentior. Eumq; imitatus Cæſar Germanicus, niſi pontibus præſidiſque impoſitis dare in diſcrimen legiones haud Imperatorium ratus. Vnde, & Stephanus Rex bello contra Moſchos ſuſcepto pontem Kaunæ in Lituania conſtrui portatilem iuſſerat qui ex ſingulis nauibus cōponebatur, ita, vt quoties opus eſſet ſeparari, nauis quælibet cum ſuis tabularis, quibus inter ſe naues illæ coniungebātur, facillimè poſſit, pro latitudine fluuiorum cūſtrui, curribuſq; ſinguli vna cum tabulatis impoſitæ, binis iumentorom iugis non incommodè in quemcūque locum transferri poſſent. Nam ſi hoc fieri nequit, vt per foſſas multiplicatas fluuius diuidatur, & diminuantur aluei aquæ, neceſſario vtribus tranſeundum eſt, aut nauigio, aut haſtilibus fixis ſuperponenda ſunt tabulata. Ergo Imperator nauesſeu ſcaphas, vel ex corrio factas, vel ex tabulis ingenioſè complicatas vbique ſecū curribus circumducat, & dum neceſſitas poſtulat, vtatur: vel certè tumultuario opere colligatis inanibus cuppis, additiſq; trabibus tranſitum faciat. Expediti verò equites faſces de cannis aridis, vel vlua facere conſueuerunt; ſuper quos loricas & arma, ne inundentur imponunt, ipſi, equiq; natando tranſeunt colliga-

toſq; ſecum faſces pertrahũt advlteriorem ripam. Iam verò Scithæ qui Ruſſiæ, Moſcouiæ & Moldauiæ prouincias incurrunt, colligatis animalibus dorſo prædam imponunt, ipſi caudas eorum manibus tenent, clamore perpetuo beſtias ad natandum incitando.

Sed quia aduerſarij inſtant ad tranſitus fluminum, inſidiaſq; vel ſuperuentus facere conſueuerunt, ergo in vtraque ripa collocanda ſunt armata præſidia, ne vis aliqua inferatur. Vel quæ parum à ſe remotæ munitiones in eadem ripa excitentur, in quarum medio exercitus fluuium ſuperet, tormentis æneis in aduerſa ripa hoſtem quatientibus. Ita Guſtauus contra Tyllium cum in Bauariam tenderet. Ita Alexander Gonſueuius cum Dunam in Liuonia tranſiret, Comitatem de Turribus Suecorũ Ducem aggreſſurus; alijq; complures alibi.

Quod ſi pons non tantùm ad tranſitũ, ſed etiam recurſum & commeatum neceſſarius fuerit, tunc in vtroque capite, percuſſis latioribus foſſis, aggereque conſtructo, & ſudibus præfixo defenſores milites debet accipere (vt Turcas ad Chotimiam, noſtroſq; paulò ſuperiùs, Tyra ſeu Neſtro vincto, feciſſe vidimus) à quibus tamdiu teneatur, quamdiu neceſſitas locorum poſtulabit. Quod cũ

non

non feciſſet Manſueldius Suecicarum copiarum ſub Carolo Sudermano Dux, facillimè ad rigam in transitu Dunæ à Carolo CodKieuicio per ſuperuentum fuit ſuperatus, atq; ipſe captus quatuordecim millibus ſuorum amiſſis. Quapropter ad Derſauiã Guſtauus à noſtris conſtrictus, de pace ſeriò tractare ſe ſimulauit, ne pugnare cogeretur, nocteq; obſcura ſuperueniente; põtem per Iſtulam ſtrauit, atque ita prima luce cum exercitu effugit, cum ſe imparem viribus Polonorum ſcerneret. Sed multò aſtutius fecerunt Romani eorumque Dux Quintus Luctatius, cũ eum Cimbri inſequerentur, ipſiq; flumen traijciendum eſſet, quod id per hoſtes tutius liceret, pugnam ſe non detractare ſimulauit, eamq; ob rem tanquam caſtra metaturus, foſſas ducere, tentoria figere, atque equites quoſdam prædatum exire iuſſit: quod quidem Cimbris facilè impoſuit, vt etiam ipſi caſtra metarentur, diuiſiq; in plures turmas alimentis proſpicerent: qua re à Luctatio animaduerſa, ipſe flumen traiecit, nec ab hoſte impediri amplius potuit. Bannerius verò Suecicarum copiarum in Germania Archiſtrategus, à Cæſarianis ad Torgauiam nuperrimè in Turingia ſuperuentus, ligna ſuper aggerem poni iuſſit; quod tantæ m ultitudini im-

rem ſe ad reſiſtendũ videret, accenſoq; igne ſub primã veſperam, viſum aduerſariorum fumo impediuit, ne viderent cum Elbim per pontem tranſiret; quo disfacto in vlteriorem Pomeraniam ad Volgaſtũ vſq; cum ſuis conceſſit. Sed hæc, & talia nonniſi benè diſciplinatus miles facere poterit: proinde, quid diſciplina caſtrenſis ſit, & in quo conſiſtat, Paulo attentius diſquiramus.

CAPVT XXIV.

De Diſciplina Caſtrenſi.

VEnio nunc ad *præcipuum decus*, vt inquit Lipſius, *& ſtabilimentum Imperij, militaris diſciplinæ tenaciſſimum vinculum*: ex cuius ſinu omnes triumphi manarunt, & de qua veriſſimè Imperator ille ad milites. *Diſciplina maiorũ Rempub. tenet, quæ ſi dilabatur, & nomen Romanorum & Imperium amittemus*; nam paucos viros fortes natura procreat, bona inſtitutione plures reddit induſtria. Vnde diſciplina caſtrorũ antiquior fuit parentibus Romanis, quã charitas liberorũ, quia feliciſſimè vſi Principatum terrarum poſſidebant. Et de Manlio legimus cui imperioſo poſtea cognomen fuit, quòd is contra charitatem paternã filium ſuum vnicum, in cõſpectu exercitus

citus virgis cæſum ſecuri percuſſerit, quamuis victorem, eo quod contra edictum patris cum hoſte pugnauerat. Filiuſq; exercitu pro ſe aduerſus patrem ſeditionem parante, negauit tanti eſſe, quemquam, vt propter illum diſciplina corrũperetur & obtinuit, vt ipsũ puniri paterentur. Sed & Iſicrates Athenienſis, *non tam magnitudine rerum geſtarum, quam diſciplina militari nobilitatus eſt*, inquit Probus, Cuius inſtituto, Spartani quoque ſeuerisſimè in caſtris ſuis diſciplinã obſeruabant, cum fuiſſent Athenienſiũ interea temporis capitaliſſimi aduerſarij; profugoſq; ex acie milites ita puniebant, vt nullùs eorum potuiſſet vxorem ducere, ne filias ſuas elocare: tenebantur autem vſque ad mortem pallio ex diuerſorum colorũ fruſtulis panni facto vti, ac mediam barbam raſam, mediam verò capillis ablongis piloſam portare, quo videlicet virilem ſexum præferentes cor muliebre ſe habere ſignificarét. Et tales per viam incedentes in publico, licitum erat vnicuique protrudere, percutere, atque ſpuere in faciem ipſorũ Dominicus verò Corbulo in Armenia, duas alias & tres cohortes, quæ ad caſtellum initio hoſtibus ceſſerant, extra vallum iuſſit tendere, donec aſſiduo labore & proſperis excurſionibus redimerét ignominiã. At Cõſaluus Magnus

quoſdam Hiſpanos ſuos, quod ex pugna cum Gallis in Regno Neapolitano profugiſſent, iuſſit omnes fruſtatim diſſecare, vt reliqui ſeueritate pænæ, mallent potius in acie honeſtè mori, quàm in caſtris proprijs ignominiosè & per vim vitam relinquere.

Eſt igitur diſciplina ſeuera confirmatio militis ad robur & virtutem; cuius partes ſiue munia, auctore Lipſio quatuor præcipua habentur, Exercitium, Ordo, Coerctio, & Exemplum. Priores duæ ad robur ſpectant maximè: tertia ad virtutem, quarta ad vtrumque. Romaniq; orbis domini non alia re victores vbique exſtiterunt, niſi virtute patientia, & diſciplina rei militaris: hoc eſt, per generoſitatem animi, per tolerantiam laborum, & per obſeruationẽ diligentem legum miliariam. Nam *qui legum metuentiſſimi ſunt*, inquit Plutarchus, *ijdem in hoſtes audaciſſimi, & pati quiduis minimè verentur, qui malè audire maximè verentur*. Honeſtas enim idoneum militem reddit; verecundia, dũ prohibet fugere, facit eſſe victorem. Poſtquam verò hominibus armatis, intra fines ſuos continendis, neque legũ, neque hominum metus ſufficerent, veteres his rebus tandem authoritatem etiam Numinum coniungere voluerunt. Eamq; ob rem ſolennibus cere-

monijs milites ſuos ad ſeruandam diſci-
plinam militarem obſtringebant, vt ab
ea declinantibus, non tam homines, &
leges, quàm Numina potius extimeſcē-
da, omniaque quam pleniſſima religio-
ne eſſent. Quapropter *aſpero & abſciſo
caſtigationis genere militaris diſcipilna indi-
get,* inquit Valerius Maximus, *quia vires
conſtant, arm s quæ vbi à rεcto tenore deſciue-
runt, ppreſſura ſunt, niſi opp imantur.*

Diſciplinam igitur militarem populi
Romani debes inqnirere, ſi eam plenam
legitimamq; habere vis, qui ex paruiſ-
ſimis finibus, imperium ſuum pœnè
ſolis regionibus, & mundi ipſius fine
diſtendit. Cuius quem diſciplinæ ius
& ſeueritas, & exercitatio, non ſolum
peditum, ſed etiam equitum, tàm natu-
ralium quàm mercenariorum ſupremi
Ducis iuſſu fiat, vel eius Legati. Tri-
bunis, vt nunc Germanorum mos eſt,
tanta auctoritas non permittatur, niſi
vicariam habuerint ab Imperatore ex-
ercitus poteſtatem; quia auaritiæ dedi-
ti, ſæpiùs milites capite damnant, dum
ab illis debita ſibi ſtipendia efflagitant.
Tribunus itaque pœnam capitis non
irroget, ſed legionem ſibi creditam,
aſſiduis operibns, ad omnem deuotio-
nem, ad omnemq; induſtriam efformet,
increpando, admonendo, & plagis one-
rande, ſi proteruus eſt; ſciens optimè ad

præfecti laudem ſubiectorum redundare virtutem. Capitis verò ſententia, ad ipſum Ducem pertineat, vt moris in Polonia eſt, ne ſub prætextu inobedientiæ innocentes deinde pereant, dum cauſam ſuam defendere non poſſunt: vt præſentibus bellis in Sileſia, atque alijs Imperij locis ſæpiſſimè accidiſſe vidimus.

Fœminas quoque, atque iſtius generis otioſos homines, quos modernam militiã ſequi videmus, apud Romanos prohibitum erat in caſtris habere; quẽadmodum etiamnum barbari omnes prohibent, Turcæ, Scythæ, Perſæ, Moſcouitæ atque noſtri Coſachi. Curabit eapropter Imperator, ne per eas militibus debita annona conſumatur, ne animi militũ emolleſcant, ne vires eorum eneruentur, ne peccatis aſſiduis, iram in ſe Numinis prouocent. Sed vt olim virtutis modeſtiæq; pręcipua cura caſtrenſiũ fuit; ita nunc procacitatis petulantiæq; certamen eſt, & vt Tacitus inquit, *omnia indiſpoſita, temulenta, per vigilijs ac bacchanalibus, quàm diſciplina, & caſtris propiora. Imò nec in procinctu & caſtris habentur: ſed per omnia municipia, & villas diſides, hoſpitibus tantùm metuendi, effundunt ſe in luxum & epulas, & nocturnos cœtus, aſſueti ſuas vires extollere, hoſtium paucitatem contemnere, debellaturi ſuper menſa etiam Alexandrum.* Cum verò ad

ipſos venlum eſt, neque animo, neque auribus, neque lingua competere: violenti ad prædas, ignaui ad prælia, verè galeati lepores.

Igitur Tribuni ſolicitudo per hæc clauditur induſtriam, cum miles veſte nitidus, armis benè munitus ac fulgens, exercitij vſu & diſciplina eruditus incedit. Ipſe verò inter ſuos commilitones armorum ſcientia, virtute corporis, animi magnitudiue, morum honeſtate ſit precipuus: non lucro inhians, non rapinę deditus, non luxurię immerſus, quales nunc ſunt paſſim Europęi milites noſtri, ita vt pudeat videre exercitus tráſeuntes, quod inter ipſos maior interdum ſoleat eſſe numerus fœminarum, quam militum, bonũ quam coquorum, armatorũ, ac vini, quam pulueri nitrati aut armorum. Non abſque cauſa itaque Xerxes à trecentis Lacedæmoniorũ ad Thermopylas vexatus, cum vix eos cõfeciſſet, hoc ſe deceptum aiebat, *quod multos quidem homines haberet, viros autem diſciplinæ tenaces nullos*. Nam plus in bello poteſt diſciplina, quàm furor militum, & virtus eorum, quàm copia aut numerus. Hinc plurimi veteres nouitijq; Duces celebrantur ob diligentem caſtrenſis diſciplinę conſeruationẽ Epaminondas, Pelopidas, Chabrias, Hepheſtion, Eumenes, Phylotas ex Grecis: ex Romanis, infiniti: ſed quos omnes

Alexan-

Alexander Seuerus ſuperauit,qui Parthicam expeditionem tanta diſciplina, tantaq; reuerentia ſui egit,vt nō milites, ſed Senatores tranſire dicerentur. Quacunq; iter Legiones faciebant, tribuni accincti,centuriones verecundi,milites amabiles erant:ipſum verò ob hæc tot, & tanta bona prouinciales vt Deum ſuſcipiebant. In nouitij,ſcimus Ludouicū XII. Galliæ Regem, & Carolū V. Imp. hanc ipſam curam apprimè curaſſe,adeo vt exploratores clancularios per ſtationes diſperſos haberent,qui eis referrent, ſi quos populum concutere, prædæ intendere, alicui contumeliam & calumniam inferre viderent. Corruptiſſimo autem hoc ſeculo noſtro, Guſtauus Suecorum Rex vtili in milites ſeueritate, in incolas comitate, in omnes iuſtitia, cum Pomeraniam intraſſet, omnium ad ſe animos conuertit,quod prę-cipuè militari diſciplinę poteſt adſcribi. Nam ipſius miles in aduerſis conſtās & patiens, in pugna impiger & ſtrenuus, cum colonis & hoſpitibus modeſtus & affabilis fuit; Cæſarianus contra tolerando impatens, rapiendo inſolens, in hybernis petulans, intolerabilis apud incolas illos in Suecum ita propenſos reddidit, vt tanquam liberatorem ſui vbique eum reciperent & amplectèretur. Quod tēporis progreſſu,non exigui fuit

momen-

momenti ad inuadendum Imperium, atque paſſim in Germania faciliorem ei hoc ipſum reddidit expeditionem. coercenda igitur diligenter militum inſolentia, exceſſuſq; omnis contra leges factus ſeuere puniendus eſt, de quo videamus capite ſequenti.

CAPVT XXIX.

De Coerctione militari.

INter diſciplinæ itaque militaris partes, Coerctio & adſtrictio morum obſeruanda eſt, quæ mores ſcilicet militum coercet ac frœnat. Nam *etſi neſcio quo pacto, aſſidue dimicantibus difficile eſt morum cuſtodire menſuram*, vt Caſſiodorus inquit, *tamen cuſtodiendi aliquatenus, ne aut ſoluatur aut omnino pereat militia tua*. Neque enim aliam ob cauſam lex fertur, quam propter eum, qui ſine ratione & lege viuit armatus præſetim, adq; direptionem hoſtium & ſociorum natus. Sub ferreis ſiquidem corporum tegumentis, vt plurimum feri ferreiq; animi delitescunt. Sub truculenta vultuum ſpecie, dira morum immanitas, effrœnata violentia, legum conteptus, prædandi ſæuiendiq; cupiditas, inſolentia, perfidia, impietas habitat. In omni itaque gubernatione communitatis vtilia

lia ſunt præmia virtuoſis, ſed pœnæ sūt neceſſariæ coercendorum peccatorum gratia, quia virtus per ſe etiam poteſt ſubſiſtere abſque vllo incitamento vtilitatis, ſuæ honeſtatis pulchritudine contenta; malitia verò ſi non habet quem timeat, omnia euertet, omnia corrumpet, præſertim in caſtris, vbi animi hominum ſunt elatiores, partim ob exercitium armarum, partim ob multitudi. dinem hominum ſibi inuicem ſtudio artis bellicæ coniunctorum; partim deniq; ob conſuetudinem licentioſus viuendi.& ob contemptum periculorum & vitæ. Si igitur non ornabis præmijs benè meritor.non habebis amorem mi litum: ſed ſi non punies exceſſus, non habebis tibi obedientes, qua re nihil iá deterius in caſtris. Et hanc ſolam ob cauſam omnes præſtantiores Duces potius ſeueritate, quàm clementia, & conſeruatione diſciplinæ militaris, quàm conniuentia res magnas geſſerunt, & gloriam immortalem ſunt conſecuti. Vt igitur hic omittam infinitos, ſolum hic Torquatum in exemplum ponam, qui contra rebelles Latinos exercitum ducens, vnicum quem habebat filium, quod extra ordinem a Magiſtro equitū Latinorum prouocatus pugnaret, capipite puniuit etiam victorem, *Fortiter* inquiens, *fili mi dimicaſti, eaq. de cauſa*

corona

te corona donabo; ſed quia neque imperium conſulare, neque maieſtatem patriam veritus es, eA moderatione aduerſus te vtar, vt & virtutis fructũ percipias, & contumaciæ pœnas des. Atque hæc dicens, ait Zonaras, ſimul & coronam capiti eius impoſuit, & caput amputauit. Quem ex nouitijs Imperatoribus imitatus eſt paulò ſuperiore ætate Simon Vignoſius Ligur, claſſis Genuenſis Præfectus, qui vrbe Chio potitus, ingreſſũ in ciuiũ prædia poſtquam militibus edicto interdixiſſet vnicus eius filius, paterna indulgentia ſeſe aduerſus edicti ſeueritatẽ ſatis munitum ratus cuiuſdamq; ciuis fundum temere ac per laſciuiam ingreſſus, nonnullis vuæ racemis aſportatis, cõprehẽſus, racemiſq; collo ad maiorẽ ignominiæ notam ſuſpenſis, palam virgis cæſus tota vrbe iuſſu parentis circumductus eſt, memorabili rigidi atque inuicti animi exemplo; omnemq; paternũ ſenſum in Ducũ imperij, militariq; diſciplinæ, & obedientia ſanciendæ ſuperantis. Sed & Auguſtus Imperator licet pacis fuerit amiciſſimus, ita nihilominus ſeuere puniebat milites, vt decimum quemq; occidere iuſſerit, cum ex acie fuiſſent; reliquis verò toto anno pane alio vti nõ permiſerit, niſi hordeaceo. Georgeuitzios quoq; noſter teſtatur ſe vidiſſe in expeditione contra Perſas, quòd Turcę

Spahiam,

Spahiam, vna cũ equo & miniſtro decollari iuſſerint, quod ſolutus equus arua cuiuſdam ingreſſus fuiſſet.

Iam autem tria ſunt ſine quibus nec robur in exercitu fieri poteſt, nec ordo. Continentia, Modeſtia, Abſtinentia. *Continentia* in cibo & venere, ne videlicet milites tui effusè ſint conuiuijs, & větri dediti,& turpiſſimę parti corporis. Et hinc Romani nullos pueros nullaſq; fœminas in caſtris habebant, eorumq; Duces ferè omnes vetuſtiores ac nobiliores,non in culcitris, ſed in terra aut gramine, & in antro aut ſpecu ſaxo impendente ac tegente dormiebant, quid auté gregarij milites? ad quod ſępiùs Valerius Coruinus dicere ſolebat. *Facta mea non dicta vos milites ſequi volo; nec diſciplinam modo, ſed etiam exemplum à me petere.* Idem pręſtabat Marius, nec vllare in laboribus & periculis à gregario milite differebat, niſi officio Ducis: *Modeſtia*,in verbis,veſtibus, & factis: ne videlicet ſint iactabundi, vani, bucca turgidi,& opere ignani, & quin in veſtibus etiam modeſtiam nó iactantiam habeant,iuſſiſq; Ducum ſuorũ obnoxij, non curioſi aut refractarij. Laudatur Hadrianus hac in parte maximè quòd nimirum & militem modeſtiſſimum haberet, & ipſe non modò in veſtitu, ſed in victu etiá modeſtiam obſeruaret,

liben

libenterq; in vrbe etiam ipſa cibis caſtrenſibus in propatulo vteretur, hoc eſt, larido, caſeo, poſca: exemplo Scipionis, Aemiliani, Cinciuati, Metelli, & auctoris ſui Traiani. *Abſtinentia denique* in arcenda violentia, qua ſcilicet volo milites à vi rapiniſq; abeſſe, & habere manus puras, & vt Vopiſcus in Aureliano dicit. *Nemo pullum alienum rapiat, ouem nemo contingat, vuam nullus auferat, ſegetem nemo detergat, oleum, ſal, lignum nemo exigat, annona ſua contentus ſit.* Hoc ſoli nunc à milite ſuo Veneti atque Bataui exigunt, tum inter Machomætanos Turcæ, atque Scythæ. reliqui omnes tàm Chriſtiani, quàm barbari, ad rapinam videntur eſſe collecti. Prudens igitur Imperator, non permittet milites eſſe poſſeſſoribus inſolentes. *Viuant cum prouincialibus iure ciuili, nec inſoleſcat animus, qui ſe ſentit armatum, quia clypeus ille exercitus tui,* vt inquit Caſſiodorus, *quietem debet præſtare paganis: non infeſtare prouinciales.*

CAPVT XXX.

De Exemplis punitionis.

VLtima pars diſciplinæ conſiſtit in exemplis Pœnarum & Præmiorum, quia vtraq; hæc valde poſſunt ad exci-

excitandam militum virtutem & robur Præmia quidem, ſi benè meritis ea tribues, & Promotiones, Honores, Opes miles ſperabit ab inſigni aliquo facto, de quo inferiùs, hic autem monſtrandum eſt, quomodo pœnis miles in diſciplina continetur. Nam hoc certiſſimum eſt, quòd ſeueritas ad militiam firmandam eſt efficaciſſima. Zamoſcij vox, à Clearcho mutuata, identidem in expeditione Moſcouitica audita fuit, *à militibus Imperatorem potiùs quam hoſtem metui debere.* Cumq; ad Veliſiam caſtra mouenti plerique tyrones animis conciderent, veriti famem & inſidias hoſtium in illa immenſitate ſyluarum, per quas duci ſe audiebant, paſſimq; diffugerent veſtibus acceptis & ſtipendio, Zamoſcius in vnum atque alterum deſertorum grauiori pœna conſtituta facilè reliquos continuit, & paucorum coerctione omnes ad ſeruandam diſcidlinam excitauit. Etenim *indulgentia, & largitio*, inquit ipſe qui largitionibus corruperat exercitus Iulius Cæſar, *ſpecioſum reddunt præſentem exercitus amorem, paullatim tamen & occultè militarem diſciplinam ſeueritatemq; minuit. At delicta militum nulla venia proſequi, vſu ſalubre, & miſericordia melius ſemper apparuit.*

Duplices autem pœnæ fuerunt apud Romanos. Aliæ quæ afferebant ignominiam.

miniam. Aliæ quæ dolorem & damnũ. Ignominia erat cum degradarentur de ſuis locis, & publicè repræhenderentur ab Imperatore. Dolor verò & damnum cum capti ab hoſte non redimerentur, nec permutatione captiuorum liberarentur; cum decimarentur ad mortem, cũ ſtipendia merita perderent & annonam, cum extra patriam vſque ad mortẽ militare cogerentur. Ita fecit M. Marcellus, ſuis militibus cum ex acie profugiſſent in pugna cum Annibale. Ita Sempronius Grachus, Ita Iulius Cæſar, & alij. Sed diſcrimen tamẽ aliquod hic militaris Doctor ingerit, cũ inquit. Milites pœna & timor in ſedibus corrigũt, in expeditionibus ſpes & præmia faciũt meliores. Præmia præcipua ſunt, honor, libertas, ciuitas: opes, tutela; Pœnæ ſunt, vel maiores, vt eſt crux, crematio, decollatio, diſcerptio in partes; vel mediocres, vt metallum, ludus, deportatio, tormenta, vel denique minores, vt relegatio, exilium, infamia, opus publicum, vincula. Quemadmodum igitur nihil non aggreſſuri ſunt homines, ſi magna conatis magna præmia proponantur, ita ſi ſcelera neglecta aut leuiter caſtigata fuerint diſſoluitur diſciplina caſtrenſis, & Ducis contemptus oritur. Semperq; pœna leuior, turpi exemplo, maiorẽ peccãdi occaſionẽ ſuggerit, dũ cũcti latere

ſe

ſe poſſe ſperant, aut ſi detegantur non difficulter euadere. In exemplum igitur cæterorum grauiter ſcelera puniantur in caſtris, quia hoc modo conſeruatur diſciplina; nimia autem conniuẽtia ſeditiones parere ſolent, & Ducis, vti dixi contemptũ. Quod vt faciliùs vtrũq; euitaret in bello Turcico ChodKieuicius, qui Lituanicarum copiarum Dux Supremus exiſtens Polonicorum exercituum quoq; fuerat pro tunc declaratus Imperator, volens in aliena prouincia auctoritatem ſibi aſtrueret, vt ad Chotimiam venit, recuſantem quendam Tergiductorẽ excubias peragere, quod Prefecto cohortis ſuę miſſionem, pro libertate Polonica, poſt exactum trimeſtre ſpacium peteret, iuſſit ſtatim capite plecti in exemplum cęterorum, ne ſuis Centurionibus dicto contrairent, & miſſionem tunc poſtularent, cum iuberentur aliquid agere. Iam autẽ multo magis clarorum quem obſcurorum virorũ pœnis vulgus frenatur; pluresq; ex magnatibus etiam pœnarum metus, quàm pudor, aut reuerentia legis, rationiſue ductus efficit obedientes, ac temperantes. Ita Venetis cum Antiſtite Aquilienſi & Goriciano Comite pugnantibus, cũ plurimi gregarij milites ſecreta adſhoſtẽ deferrent, venit quoq; in ſuſpicionẽ perfidię Gardanus quidã multi nominis

homo

homo & Præfectus in caſtris Venetis, qui poſtquam fuiſſet ſceleris conuictus, tormentali machina in hoſtium caſtra coniectus, metum intulit reliquis ne ad hoſtem deſciſcerent, aut proderent ſecreta Venetorum. Modus itaque hic ſeuerior puniendi, efficit vt tàm ſeceſſiones euitentur, quam iuſtitia intemerata ſubſiſtat. Quod Patrum ætas in caſtris Ducis Albani maximè vidit, & approbauit; is ſiquidem, haudq; ſcio an vllus vnquam alius Imperator ab eo tempore, tanta diſciplina exercitum ex Italia vſque in Belgium, deduxit, vt non modo oppidorum nulli, ſedne vni quidem ruſticorũ caſæ illata vis à quoquam, aut iniuria memoretur, ſi facinus vnum excipias, quo equites ſclopetarij tres in aditu Lotharingię, totidem verueces è grege vicino abegere, qui ſtatim ab Duce Albano, re comperta, ſuſpendio damnati, ac pecudes remiſſę ſunt. Quàquam intercedente Lotharingo Centurione, qui Principis ſui nomine, Albano in limite accurrerat, duorum vita Ptincipis honori conceſſa, tertius nihilominus aliorum exemplo, in furcam actus eſt, talis inter eos ſuper tympanum iactis, fatoq. non temere in eum cadente, qui ſocijs author extiterat maleficij.

Quoniam igitur ita ſerpit illud inſitum in naturę malum conſuetudine

peccan-

peccádi libera, finem vt audaciȩ ſtatue-re ipſe ſibi homo haud facilè poſſit; proinde aduertant Duces bellorum ne in caſtris vel minimũ etiam ſcelus impunè tranſeat, ſi authoritatem ſuam conſeruare volunt. Et Romani quidē capite plectebant qui vigilias neglexiſſent, qui loca ſua in pugna deſeruiſſent, qui occultè caſtris quędam extuliſſent, qui egregium quoddam facinus perpetratum falsò ſibi adſcripſiſſent, qui prȩter voluntatem Ducis pugnaſſent, qui arma timidi abiecíſſent. Ac ſi fortè cõtigeret cohortem vel legionem integram officium ſuu vt neglexiſſe, ne omnem delere neceſſe foret, ad decimationem deſcendebant, atque decimum quemque ſorte productum necabant. Qua quidem ſeueritate id aſſequebantur, vt omnes pœnam quam pauci ſuſtinebant timerent, & quodammodo experirentur. Modum autem puniendi ſontes talem receptum habebant: conuictos Tribunus vel Conſul virga leuiter feriebat, inde reo fugam capeſſere, at militibus fugientem occidere licebat, adeò, vt ſubito ſaxis, iaculis, aliisq; id generis telis obrueretur, vt pauciſſimi ſanè eorum euaderent; quos tamen tot incommoda atque ignominię, ſi lares ſuos repetere contingeret, ſebuebā-tur, vt perire multò ſatius fuerit. Non mul-

multum ab hoc puniédi modo hodiernum abſcedunt Heluetij, quibus moris eſt ſontes per commilitones occidere; quod quidem prudenter conſtitutũ apparet, nam quo quis à reo defendendo abducatur, nullũ promptius remedium exquiri poſſit, quam eũdem in punitionem eius incendere, ſiquidem alio animo ipſi benè cupit, & longè alio deſiderio eius punitionem expetit, ſi nimirum ipſimet res exequenda ſit, quã vbi executio ad alium transfertur. Carthaginẽſibus verò peculiare ſuppliciũ fuit imbelles & corpore infames cœno ac palude, iniecta inſuper crate, mergere, facientis ſiquidem culpam obtinet, qui quod poteſt corrigere, negligit emendare, & totũ exercitum conniuentia ſua corrumpit. Iam autem vltor vnius, eſt conſeruator plurimorũ; qui ſanè ſi improbi ſint, metu pœnæ, neminem iniurijs laceſſunt? ſi probi, eadem ratione à nemine iniurijs prouocantur. Sed ne ad duella quoque more militari prouocent, inhibeat Imperator.

CAPVT XXXI.

De prohibendis, aut permittendis Duellis.

VEterem Francorũ morem laudat Agathus, quo Reges cũ Regibus,

vel iure certare, vel ſingulari inter ſe certamine concurrentes, rem tranſire iubebantur. Quod ſi hodie Reges obſeruare vellent, melius profectò cum Europa noſtra ageretur, quæ impotentia Principum exagitata tot milliones hominum, vel noſtra ætate, Marte abſumptos vidit. Erat hic quidem modus litium finiendarum inter priuatos Danis olim permiſſu Frontonis Regis receptus, & ab ijs in Italiam, Germaniã, Galliam atque Poloniam traductus, ſed tanquam iuſtitiæ & ordini iudiciorum aduerſus, conſtitutionibus Principum, & bona ratione moribus ſublatus eſt. Inter maximos tamen Reges qui nec iuri parent, nec ſanguini ſubditorum parcunt, iure merito deberet obſeruari, vt ſic citius bella finiantur morte vnius Regis proterui, quam tot myriadum innocentum. Et hac ratione ductus Carolus V. Imp. Regem Galliæ Franciſcum I. ad ſingulare certamen velle ſe prouocare, in Conſiſtorio Pontificis Romani pdofeſſus eſt. Eademq; ſanè de cauſa Stephanus Rex Poloniæ, Ioannem Ducem Moſcorum ad certamen ſingulare per epiſtolam prouocabat, ne videlicet ſanguis Chriſtianorum vtrinque abſque cauſa iuſta profunderetur.

Si itaque bellum publicè ſuſcipiendũ

facilè

facilè non eſt, conſequens eſt, ne duelli vſum permittendum, inter ciues aut milites noſtros: ſed benè cum hoſte, duella fieri poſſunt, ſi prouocauerit, quia agitur de gloria gentis; alias à nobis prouocandus non eſt. Ab hoſte itaque prococatus & Dux & miles, ad ſingulare certamen deſcendat, quia agitur de gloria gentis: obſeruato nihilominus hoc, vt cum pari decerer; ſemper enim natura gaudet æqualibus. Ne igitur Dux, cui cura Reip. & exercitus commiſſa, cum gregario congrediatur; neque permittat Tribunum decertare cum ſimplici milite, & præſertim Barbaro: ſed æqualem cum æquali, & illuſtrem ex familia cum Præfecto legionis aut exercitus. Ita C. Marius, Theutono cuidam ex gregarijs prouocanti eum, & poſtulanti vt prodiret reſpondit. *Si cupidus mortis eſſet laqueo eum vitā poſſe finir*; cumq; demonſtraret ei gladiatorē contemptæ ſtaturæ, & prope exactæ ætatis, obiecit ei dixitq; ſi eum ſuperaſſet cum victore congreſſurum. Vt autem ipſe victor euadas, & gloriam genti tuæ compares, licitum eſt etiam induſtria ingenij vti, & aſtum militarem adhibere, abſq; tamen tranſgreſſione limitum honeſtatis, ne dum tu videlicet in intentum incurris, alius à tergo

vel à longinquo tua ſuggeſtione eum interficiat, ſic enim nihil tu ipſe laudis conſequeris, gentem verò tuam ingenti ignominia afficies; niſi fortè caſus aliquis interueniat, & te inſcio progredientem ad certamen fato aliquo interimat vti accidit Friderico Regis Daniæ filio ad certamen cum Iacobo Picolomineo prodeunti, quem à longè gregarius quidam è caſtris Cæſarianorum conſpicatus, ſclopo exploſo confecit. Rectius ſanè Melanthus Dux Athenienſium, qui cum prouocatus à Rege hoſtium Xantho Bœotio deſcendiſſet ad pugnam, vt primùm cominus ſtetit, *iniquè* inquit *Xante, & contra pactum facis, aduerſus ſolum enim cum altero proceſſiſti*; cumque admiratus ille quiſnam ſe comitaretur, reſpexiſſet, auerſum vno ictu confecit. Virtus enim an dolus, quis in hoſte requiret, cum nihilominus tamen inter tam illuſtres perſonas omnis fraus abeſſe deberet. Sed quia res cum hoſte, tolerandum, inter milites verò tuos aut ciues nuſquam omnino permittendum quia & ſeditiones inde exercituum, & odia diſcordiæq; militum, & contemptus Imperatoris naſcitur. Imò & numen diuinum offenditur; exemplo Hēricus II. Galliæ Rex, qui in ipſo Regni principio ſerium duos inter iuuenes ex

præ-

præcipua nobilitate duellum approbauerat, ſpectaueratq; cum aulæ Proceribus, ipſe deinde ludicro in duello, vitã regnumq; funeſto fine terminauit, cum Prætorianæ cohortis Præfecto, Gabriele Comite Moogomerio, contra ſuorum preces congreſſus. Vt igitur delicta militaria omnia, ſic & duella ſeuerè caſtiget Imperator, fortes autem ac probos viros præmijs & honoribus afficiat; honorata ſiquidem virtus ceſſare neſcit, ſed vt flamma ventis præmijs & honore, excitatur, & ardua petit: neglecta verò langueſcit primùm, deinde ſenſim extinguitur.

CAPVT XXXII.

De Præmijs & honoribus militaribus.

Romani ad milites ſuos, tàm metu pœnæ, quàm ſpe præmij in officio continendos, omnibus qui egregij quid perpetraſſent præmia conſtituta habebant: ſiquidem qui ciuem ſeruaſſet, qui primus vallum murumue ſuperaſſet, qui primus in caſtra penetraſſet qui hoſtem pugna ſingulari interemiſſet, qui eum equo deieciſſet, atq; adeo quidquid virtutem ſapiebat à Conſule cognoſcebatur, remunerabatur, atque

publicis laudibus celebrabatur. Tum ij qui dona iſtiuſmodi militaria ſonſecuti eſſent, præter gloriam atque famam, quę apud comilitones ipſis ſurgebat, cum ad lares reuerterentur, ea ſolenniter geſtabant, atque ab amicis gratulabundis honorificè excipiebantur. Mirum itaq; non eſt, populum hunc tam latè vndiq; imperaſſe, ſiquidem tàm pœna, quàm præmia ijs in parato eſſent qui vel benè vel malè re adminiſtrata laudem aut vituperationem meriti fuerant; quarũ rerum maiorem quidem partem etiam nobis imitandam eſſe duco.

Igitur duo fulcra præcipua militę sũt Prœmium & pœna illud excitat ad virtutem; iſta coercet peccandi voluntaté; vtrumq; verò continet diſciplinam caſtrenſem, & conſeruat in obedientia militem. Prœmium conſiſtit in honore, & vtilitate: honorq; ipſe exhibetur partim viuis, partim mortuis. Mortuis ponuntur ſtatuæ; eriguntur columnę, & ſepulchra; ſcribuntur epitaphia, & orationes. Viuis eadem prœmia, excepto ſolo epitaphio; ſed in locum huius dignitates ſeu magiſtratus in patria, & vtilitates ex eis ſimul. Cęterum pręcipuum fuit ornamentum corona a Duce publicè data, ſiue ciuilis, ſiue muralis, ſiue vallaris, licet nullius valoris

ſue-

fuerit, ex gramine aut folijs quercus facta. Nihilominus tamen dabantur illis & catenę aureę, & vaſa diuerſa, aut arma argentea; pręcipuumque, ac ſolidum inter illa virtutis pręmium, torques fuit: quod qui meruiſſet, pręter laudem etiam commoda conſequébatur. Fueruntq; torquarij alij ſimplares, alij duplares, qui binos torques ad inſtar crucis in humeris geſtabant: his magnus honor fuit conſtitutus, & de gradu in gradum honoris aſcendebant primariò, vt cęteri milites ex tota legione omni labore ac deuotione conté derent ad tanta pręmia peruenire. Hoc enim proprium ac genuinum pręmiũ inter milites eſt, de vno gradu promoueri in alium, vt faciebant Medi, Perſę, Babilonij, Iudęi, Gręci, Romani, omneſq; alię nobiliores in Orbe gétes; tum augere ſtipendia, dare prouiſiones mutilatis ſufficientes ad vitam, quia magis paupertatem miles timet per totam vitam cum mutilatus fuerit, quàm mortem quę eum ſtatim abſumit. Similiter ſi occiſorum filijs à Principe ſubuenitur, tunc nullus mori recuſabit. Liberalitas enim in duabus rebus conſiſtit, in ſubleuatione miſeriæ, & in promotione virtutis: promouere itaq; viros fortes & bonos ad gradus honoris

Regium eſt;ſubleuare verò in opiam egenorum & pauperum omnino diuinum. Quapropter excellentes hac in re fuiſſe leguntur Imperatores illi omnes Magni cognomine inſigniti, Conſtantinus, Carolus Theodoſius, Iuſtinianus, Baſilius, Otto: Alphonſuſq; Aragoniæ Rex atque Robertus. Tum Ludouicus IX. Rex Galliæ. Ioannes II. Rex Portugaliæ, Iagello Rex Poloniæ, & Ludouicus Dux Sabaudiæ, quorum omnium familię, vel propter hoc ipſum diu Regna & Imperia tenuerunt, Deo ipſis hanc beneficentiam remunerante. Et de Alexandro Seuero, Lampridius dicit, *Aurum & argentum raró cuiquam niſi militi diuiſit: nefas eſſe dicens vt diſpenſator publicus in delectationes ſuas, & ſuorũ conuerteret id quod prouinciales dediſſent.*

Sit igitur Dux & Princeps liberalis in milites, & promoueat ad honores, ſed non indignos; & non immodicè; & non in vno tempore; quia *liberalitas hæc ipſum exigit, vt ſit ſub menſura, cum ratione, & ſucceſſione facta.* Neceſſumque eſt, vt acrius ille dimicet, quem ad opes ac dignitates ordo militiæ, & Imperatoris iudicium conſueuit euehere. Vnde notum illud eſt, eò impendi laborem ac periculum, vnde emolumẽtum ac honos ſperetur: & nihil à quo-

quam

quam expeti, niſi cuius fructus ante prouiderit. Itaque Romani hic mirifici, qui non ſolùm altiores ordines aſſignabant à virtute; ſed etiam publicè laudes cumulabant & honores, donabantq; pro concione, cum alias res diuerſas, tum haſtas, phaleras, coronas, & vt adnotauimus præcipuè torques.

Poſtquam verò virtutis præmia occupaſſet ambitio,& per gratiam promouerentur milites qui promoueri cōſueuerant per laborem ac merita,ſtatim robur militiæ fractū eſt,in vniuerſa Europa; & Centuriones Tribuniq; pecunijs honores aſſecuti lucrū reſpicere cœperunt,non armorū honeſtatē aut gloriā. Hinc occiſis nō ſubſtituūt alios & morbo debilitatos,vt bruta animalia inutilia relinquunt, ſacramentum recuſant, diſciplinam detractant; comparere in ordine, ne numerentur à Ducibus omninò recuſant, nullaq; prorſus tàm in caſtris, quàm in hybernis exercitia adhibent; nec aliud quidpiam curant quàm prædam,rapinas, latrocinia, furta: eorū verò Præfecti, vt ſtipendia ex integro ipſi capere valeant, quæ integræ legioni aut cohorti debebantur. Sicut igitur deplorādus eſt illius Reip.ſtatus,vbi pecuniæ nō meritis dignitates cōferuntur, ita proximus interitui exercitus ille, in

quo indignis munia bellica committũ-tur,quibus nec virtus,necprudẽtia,nec rei militaris experientia eſt , ſed in omne fas nefaſq; auidi, non ſacro non profano abſtinent à priuatis corrumpi ſe ſinunt,pœnas innocentium, impunitates noxiorum diuendunt; quin & hoſtium donis facilè expugnantur , quibus quæcunque arcana Patriæ & Principis ſui proditores reuelãt, vt paſſim præsẽtibus bellis per totã Europam fieri videmus.

Deſignentur ergo honores militares, & officia bellica quos virtus,fides,in patriam & prudentia commendant,non quos fortunæ munera obtrudunt. Nam vbi diuitiæ claræ habentur, ibi omnia bona vilia ſunt, fides, probitas, pudor, pudicitia, vt inquit Salluſtius, ſequiturq; ambitio & auaritia,atque ex ea militum coniurationes contra Principem aut Patriam; ſeditiones contra Imperatorem & Duces ordinum, ferocia contra miſeros agreſtes & prouinciales. Et quamuis hoc naturale eſt, & procul dubio laudandum ijs nos magis fauere, quos vel ſanguis, vel affinitas arctiori vinculo nobis adiunxit. Imp. attamen ſi vir bonus eſt, & quæ vita potior eſſe debet,Reipub. ſalus illi eſt cordi , curet vt ij quos ad honores militares prouehere optat, induſtria ſua aut meritis di-

gnita-

gnitatem ante mereantur,quàm ſuffragio illius vel commendatione,non in caſtris modò, verùm etiam in Repub. obtineant. Aliter enim dum amicis ſtudemus; exercitus perdimus,patriam in periculum adducimus.

Ceterũ maximus honor eſſet, ſi Hiſtoriæ ſcriberenturiuſſu Regio,& vniuſcuiuſque meritum præcipuum cõmemoraretur. Nam ſi propter Epitaphiũ multum ſudatur à viris fortibus, quod vix aliquot legent,qui ſepulchrum eius videbunt multo magis excitarentur ad virtutem,vt poſſent eſſe in Hiſtorijs notati,quas totus mundus legere poterit. Licurguſq; olim voluit,vt ſui ciues non aliam ob cauſam in eloquentia exercitarentur,quam vt laudarent eos qui pro patria moriebantur, & reprehenderent illos qui fugerent ex acie. Spartaniq; deinceps ipſi nemini Epitaphiũ ponere permittebant, niſi illi qui pro patria in acie occubuiſſet,quia vt corpora noſtra ſuo viuunt cibo, ſic & virtus ſuo viuit prœmio,ſua augetur laude, *Nec quiſquã eſt*, inquit pro Archia Cicero, *tã auerſus à Muſis, qui non mandari verſibus æternum ſuorum laborum facilè præconium patiatur.* E contra verò ſæuit neglecta virtus, furit, ac nimium ſeditioſa eſt,reſque ipſas communes perire cupit,cum videt

ſe eſſe relictam, hinc legimus viros magnos ac excellentes, tum apud Græcos, tum etiam apud Latinos, cum ſe neglectos eſſe non ferrent, patrias ſuas funditus euertiſſe. Quod ne fieret, maturè prouidendo Athenienſes, non præmia modo patriam amantibus, vel pro ea pugnātibus proponebant, ſed ſepulturę etiam eorum qui in bello occubuiſſent curam habuere, adeò vt ſi quis Ducum bello peremptos ſepulchro honeſtare (in quibus poſt celebratam vti diximus orationē, epitaphia incidebant) neglexiſſet, capitis pęna puniretur. Ipſis verò Ducibus, viuis quidē Ouatio & Triumphus permittebatur, tum magiſtratus in Repub. diuerſi; defunctis verò Obeliſci, ſtatuæ, columnæ templa, & id genus alia quæ tàm in Græcis, quàm in Romanis Hiſtorijs legimus. Vbi maximè laudatur Alexander Seuerus, vigeſimus quintus Romanorū Imperator, qui ſic ſuos vbiq; ſciuit, vt in cubiculo haberet breues, & numerum, & tempora militantium, & promouendos annotaret. Hinc ſi quis locus vacaret, hoc vnū ipſi renūciabatur, & optimus Imperator, non ambientes muneribus preficiebat, quicunque ſanè eſſent, ſed quos ex cōmentario promouendos cognoſcebat. Iuuat quoque virtutem, cum occiſorum pro

patria

patria inopes liberi inuantur &promo-uentur, vti faciebant ijdem Romani. Sed & Philippus Macedo cum audiſſet Pythiam quendam bonum pugnatorē alienatum ſibi,quod tres filias inops vix aleret, nec à Rege adiuuaretur, monētibus quibuſdam vti eum caueret. *Quid ſi* inquit, *partem ægram corporis haberem, abſcinderem potius quàm curarem?* deinde familiariter ſecreto elicitum Pythiam, accepta difficultate neceſſitatum domeſticarum, pecunia inſtruxit, ac meliorem fidelioremq; habuit,quam habuerat antequam offenderet. Alphōſus verò magnus è nauicula in mare prolapſus, beneficio remigis liberatus eſt. Huic ergo meriti gratia quotannis dū viueret duodecim vnciasauri pendendas ex ærario ſtatuit. Plura plures alij Reges atq; Imperatores fidis ſuis amicis atq; fortibus viris; omnes tamen vnica iſta intentione,vt virtutē alerent. *Cuius enim rei præmium eſt in ciuitate*,inquit Romanæ Hiſtoriæ ſcriptor, *ea maximis ſemper auctibus creſcit*. Si igitur adulatores in aula præmia conſequūtur, omnes milites caſtris relictis current ad aulā,ſi autem viri fortes & bellicoſi meritas cōſequūtur laudes & honores,aulici relictis artibus flagitioſis,induent animū generoſiorem, & è regia currēt in caſtra; vbi quo-

quo modo per æmulationem ſint excitandi ad virtutem, hoc vltimo capite, videamus.

CAPVT VLTIMVM

De Aemulatione Militari.

TAnta quippe eſt animi humani ſuperbia, vt nō ſolum multos æquare annitatur, ſed omnes etiam poſt ſe, relinquere contendat, atque ita per omnia Regna, & Imperia vſu venit, vt continua inter ciues ſit æmulatio, non tàm ipſius virtutis, quàm neſcio cuius vmbratilis dignitatis. Hinc olim, inquit Comminæus, Aragoniæ Reges æmulā habuere Andegauorum Ducum familiam, Mediolani & inſubriæ Vicecomites, oppugnabātur ab Aureliana domo. Venetis infeſti fuere Principes Itali, & Florentini. In Germania intet Auſtriacam & Bauaricam domum nuſquam, benè conueniebat. Geldri ſemper impugnabantur à Cliuenſibus; illi rurſus valdè fuere iniqui Iulicaſenſibus. Nunc Turcæ Perſas odio proſequuntur, Scythæ Indianos, Iaponenſes magnæ Chinæ populos, aliæq; gentes alios, quia in rebus humanis ita comparatum eſt, vt nullus ferè ſit populus, cui non æmulū

ali-

aliquem &aduerſarium Deus excitarit. Sed ſi qualibet in re animus creſcit ex ęmulatione, tum maximè in re militari, tàm inter vicinos populos, quàm inter vnius gentis ciues, vbi quiſque ſanguinem ſuum non in vanum vult effundere, ſed quam laudatiſſimè aut viuere, aut mori: & cum ſagati viri eadem bona inuidentia naturaliter appetant excellentiores vnus alio fieri, prę ſertim in rebus honeſtis, & quę ſibi, & familię ſuę poſſunt eſſe ornamento. Et propterea sēper inter ęquales, aut ſibi ſimiles, perpetua eſt ęmulatio, & quod vni diuinitus datur, id ſibi ademptum alter arbitratur, ſtatimq; animi quandā ægritudinem concipit, ſi eo quod concupierit, alius patiatur, ipſe careat. Quod cum probè Romanis perſpectum eſſet, ad nutriendam æmulationem, primùm Legiones integras collaudabant, & ſe velle aliquid efficere monſtrabant, hac & non alia Legione, quę ne inferior eſſe videretur, quaſi contempta à Duce, vltrò ſuam alacritatem offerebat, & vtràque ſimul eo mittebat, vt honeſta æmulatione ducti fortius rem gererent, & ipſa contentione decoris accederentur. Deinde quia diuerſarum nationum auxiliares cohortes Legionibus adiunctas habebant, nominatim vnamquāq;

gen-

gentem ad ſtrenuè ſeſe gerendum incitabant, ſimulq; tres aut quatuor nationes diuerſas ad ineundum prælium emittebant ipſi quaſi cenſores virtutis ipſorum à tergo ſtantes. Quod etiam in oppugnatione Syluę Ducis Henricus Naſſouius fecit, & in obſidione Traiecti Gallos, Anglos, Germanos, atqne Batauos ſuos nominatim & ad labores & ad prælia incitando. Similiter Rex Inuictiſſimus Vladislaus IV. fecit, cũ ab obſidione Smolenſci Moſchos repelleret, vtilioré inquiés eſſe peditatũ ad deuincẽdũ tã potenté hoſté, quã equitatũ qui ſpectator tantũmodo munitionũ hoſtiliũ eſſet; quo ita commouit nobilitaté Polonam, vt equis deſcenſis, ſubito vallum hoſtilem diruerent, munitioneſq; eorum lunatas, quæ inexpugnabiles videbantur eſſe, cum tormentis bellicis caperent. Præterea inter Germanos & Polonos æmulationem excitabat, itéq; inter Lituanicũ & Polonicum equitatum, tũ inter Coſachos leuioris armaturæ, atq; haſtatos, qui præcipuvm robur exercitus noſtri. Atq; ita omnes ac ſingulos nominatim compellando, paruo ſuorum exercitu, numeroſiſſimas aduerſariorum copias deuicit, & Duces ipſos ad deditionem coegit. Sed & cum Stephanus Polociam à Moſchis recuperaſſet,

raſſet, & ad menſam in præſentia Ducum dixiſſet, nuſquam eam expugnari potuiſſe, ni Hungari ſui adfuiſſent, cõtinuo Melecius Polonicarum copiarum Summus Præfectus, cum ſolis Polonis ad Socolum arcem munitiſſimam proceſſit, & pro concione, Regis opinione de gentis Polonæ fortitudine explicata, ad tantam eos æmulationem accendit, vt intra quatriduum munitionem, quam Rex toto cum exercitu oppugnare non audebat, vi maxima expugnaret, reuerſuſq; cum victoria & captiuis gloriaretur palam ſe nullum in caſtris ſuis Hungarum habuiſſe, præter vnicum agaſonem, quem ex itinere ſtatim receſſito exercitu ad regia caſtra redire iuſſerat. Atque ita in rebus militaribus perpetua quædam apud nos æmulatio eſt inter gentem Lituanam, & Polonam; inter Coſachos Zaporoſenſes, & peditatum Polonicum atque Germanicum; tum inter equites leuioris armaturæ, & cataphractos ſeu Huſſaros. Induſtriaque bellica communiter attribuitur Germanis, diligentia Lituanis, robur Polonis, vigor Roxolanis, omnibus autem animi magnitudo ex libertate, & fortitudo ex rerum geſtarum gloria. Valet & copia annonæ, licentioſaque exactio

victua-

victualium á prouincialibus, vnde, & ſpiritus generoſiores animi,& vires corporis creſcunt. Quod etiam Turcæ ſuis Ianitzaris permittunt cum nimia licētia; vt impunitate commiſſorum ſylueſcant,& quaſi obdureſcant animi ipſorū quo deinde in prælijs ita hoſtem contēptui habeant,ſicuti ſolent eos, quibus impunè iniurias inferunt. Licet itaq; ſcelera commiſſa apud nos per Duces,& eorum Præfectos delegatos puniantur, duri tamen ſunt noſtri milites in miſeros aggreſtes & plebem oppidanam, nimia exactione pabuli & victualium, in quibus ipſis, non præſcribitur modus, quæ res nunc euertit Germaniam; ſed & Gallia atq; Italia iam perſenſerunt, ſentientque tanto magis, niſi ad vetrerem, diſciplinam militiam reuocabunt de qua nunc ſatis.

C A-

SIMONIS STAROVOLSCII INSTITVTORVM Rei Militaris.

LIBER QVARTVS De Arcierum inſtructione, & Pugna.

CAPVT PRIMVM

De Exploratione hoſtium.

ANtequam in aciem descendat Imperator, aut manus conſerat cũ aduerſarijs, neceſſe eſt vt certò ac exploratò habeat, qui nam illi ſint, quales, quanti, & vbi locorum. Nec ſufficit enim ſcire, bellum nos geſturos cum Moſco, qui eſt publico Reipublicę decreto hoſtis declaratus, ſed perquirendum diligenter, qui ex cōfœderatis illius in caſtris eius erunt, aut qui mercede conducti? tum qualiter inſtructi, vel in terra, vel inmati? quanti numero, aut quam diuer-

ſos

ſos exercitus habeant? & quibus in locis? quibus vijs procedunt? num obuiã prodire, an in proprio ſolo expectare nos volunt? & ſimilia. Sed in primis, vt Ducis ipſius ingenium noſcat. Annibal hac in re à Liuio maximè laudatur, cum inquit, *Omnia ei hoſtium, haud ſecus quam ſua nota erant*. Et I. Cæſar, ad quem ceu ſcopum quendam Imperatores mentis aciem dirigere debent, exercitũ neque per inſidioſa itinera duxit vnquam, niſi præſpeculatus locorum ſitus; neque in Britanniam tranſuexit, niſi ante per ſuos, portus & nauigationẽ & acceſſum ad inſulam exploraſſet.

Igitur mitte exploratores, tàm in mari, quam in terra, ſed fideles, ac prudẽtes, ſperitoſq; locorum & linguæ eorum ad quos mittuntur; per quos inquirere non modo quot, aut vbi eſſent, ſed etiã qui & quales, eorumq; mores & naturã noſce. Nam quorundam in impetu vis eſt, qui parua ijdem mora lanqueſcunt; quorundam verò & impetus non adeò acres, & ipſi facilè in perfidiam mutantur. Ergo necte moras, muta locos, & miſſis occultè corruptoribus, exuendã ad fidem hoſtes emercare. Omnia hæc tentabat Xantippus, omnia Annibal, Scipioq; ipſe, qui in Aphricam trãſgreſſus, vt ſe Græcorum aſtus, Penorũ-

que

que fraudes flocci facere monſtraret, cópertis Carthaginenſiũ in caſtris ſuis exploratoribus, iuſſit eos vbique circũducere, & omnia monſtrare, atque ad ſuos remittere, vt quæ vidiſſent Ducibus referrent. Quo facto cõſternati animo Carthaginenſes amplius exploratores in caſtra Romanorum non miſerunt, & quomodo ille omnia ad pugnã procedens immutauiſſet neſciuerunt, ac propterea in acie ſuccubuerunt. Quapropter exploratores Imperator, & itinerum duces benè ſtipatos munitoſque & tam pollicitationibus onuſtos, quàm pœnæ metu terrefactos ad iter inueſtigandum aut hoſtem cognoſcendũ emittat. Imprimis autem curet, ne vlla ratione animi ſui ſenſa e ercitus ſubodoretur, nihil enim in bello vtile adeo eſt, quàm ea, quæ conari velis quá ſtudioſiſſimè occultare. ChodKieuicius Polonos in Oſmanum ducturus, priuſquam ipſe in caſtra iuiſſet, duodecim exploratores nemine è ſuis domeſticis ſciente, Leopoli in Turciam per vias diuerſas miſit, quorum quoque nullus de alio ſciuit: vnicuiq; autem in mandatis dedit, vt ſi Turcarũ exercitus ſelectus, & numeroſus erit, quiſque ſecũ tritici ſacculum perpetuo deferret. ſin verò mediocris & ex tyronibus conſcriptus, ſacculũ

hordei.

hordei. Accidit vt Armeni mercatores qui habitant Conſtantinopoli, Armenis qui ſunt in Polonia, ſcriberent captos eſſe nonnullos exploratores Polonorum diuerſis in locis, & conductos omnes Conſtantinopolim ad examinã dum, quorum quilibet ſacculum tritici penes ſe geſtabat, cum vnus ex eis fuerit Cayri in Aegypto deprehenſus, alter Iardæ in Sclauonia, alij alijs in locis, (quinque etenim perierant, ſeptem verò diuerſis vicibus in caſtra ad Chodkieuicium redierant) ſtatim Chodkieuicius ex rumore illo plebis ſciebat & ſuos exploratores perijſſe, & magnũ barbarorum exercitum, atque ex veteranis conſcriptum futurum. Dux igitur nihil incognitum habere debet, quod hoſtis agit, quantas vires habet, qualem militem & duces, tum conſilia, & loca, apparatus, mores, aſtuſq; hoſtium maturè præuidebit & ſciet. Carolus V. quod Albis vadum per ruſticum exploraſſet, quem Proteſtantes ignorabant, accelerauit victoriam, & hoſtium animos magna confuſione repleuit.

Iam verò commune eſt hoc incommodum ijs, qui in hoſtili ſolo bellum gerunt, vt non probè res aduerſarij cognoſcant. Nam cum indigenis exploratoribus adhibere fidem nequeant, ſuoſq;

ſuoſq; non benè regionem callentes habeant, hoſtium conſilia vt plurimum penetrare non poſſunt, cum ſua contra paſſim prodantur. Ita mouens in Turcam Stephanus Potocius ſuccubuit in Valachia. Ita Ia louecius ante eum inciderat in caſſes ad OczaKouiam. Ita ZolKieuius perijt bello Czeczorenſi; ita plurimi à diuerſis hoſtibus oppreſſi, ſed nouiſſimè Tyllius in pugna Lipſiēſi licet hoſtes eiuſdem linguæ & moris habuerit, tamen cladem paſſus eſt, ob defectum peritorum exploratorum qui hoſtem non benè ſcrutati, ei ſignificarunt ſolum Saxonem cum exercitu venire qui Lipſienſibus auxilium ferret: de Guſtauo autē Rege Sueciæ nil quid quam admonuerunt, qui viribus ſuis cum Saxonæ coniunctis veniebst: vt vna acie decertaret. Nec Tyllius Regem adeſſe intellexit, niſi tum cū eius ſigna in ipſa pugna conſpexiſſet. Eapropter Polybius docet, Imperatorem in hoſtilem agrum profecturum, ſi regionis naturam ipſe non ſciat, cum a ſciētibus ſtudioſè quærere & diſcere debere, præſettim vbi ſaltus plurimi aut ſyluæ denſæ ſunt. Ideo in Dacia tenebras ſaltuum prudenter expauit Curio, & Fabius Maximus non ante per Ciminiam ſyluam exercitum in Hetruriam duxit,

duxit, quam fratre præmiſſo exploraſſet acceſſus. Perijt cum tot legionibus in Germania Varus, in Parthia Craſſus, dũ opportuna inſidijs loca vterq; nõ vitat. Et Io. Albertus præcipuam partem nobilitatis Polonæ in Valachia eadem ex negligentia amiſit, cum temere, nec exploratо hoſte contra Stephanum Palatinum mouiſſet. Nuperrimeq; Ioannes Verdius Gallos in Lotharingia in inſidias tractos clade fœdiſſima affecit. Multi itaq; Imperatores cum reliquis diffiderent, ipſi per ſe explorare omnia voluerunt: vel maximos viros in eam rem elegerunt. Non enim temere vilioribus fides adhibenda eſt: ſæpe illi per ignauiam aut negligẽtiam officio ſuo minus functi, vt vel pœnam euadant, vel promiſſa ſibi præmia non amittant; ne nihil referant, plurima fingunt, & non leui periculo credulos exponunt. Imò ſubinde tranſeunt in hoſtium partes, quorum vt rebus ſtudeãt, peſſimam nocendi voluntatem differunt in occaſionem. Quo pacto trium à ſe emiſſorũ ſcelere, interceptus fuiſſet à Turcis Caſtriotus Scandebergius, ni bono Deo volente, ſtructas ſibi inſidias, ferè ſerò, detexiſſet.

Et quia tutius operantur exploratores noctibus quàm diebus (nam quodam-

dammodo ipſe ſui proditor inuenitur, cuius ſpeculator fuerit ab aduerſarijs deprehenſus) ideo exploratores emittédi ſunt viri prudentes & audaces, ne per tenebras aliquid aliud conſpicati putét hoſtes adeſſe, & à ſuo propoſito deterreantur. Quemadmodum quibuſdam accidit in Podolia, qui cicere campum latiſſimũ conſeminatum, dum floribus emiſſis per tenebras albeſceret, nocte illuni conſpicati, ſtagnũ aliquod immenſum (vt ea regio, piſcinas ingentes habet) eſſe exiſtimarunt, & non explorato quid eſſet, alio viam direxerunt, ac poſtea à ſocijs deriſi, re infecta in caſtra redierunt. Quidã millij manipulos per campum latiſſimè, vt madefacti à pluuia ſicciore aura humorem deponerét, ſtantium hominum more diſpoſitos, Scythas adeſſe rati, per tenebras diffugerunt, trepidãtes timore vbi nullus erat timor. Sed, & de die ridiculus error ſpeculatorum in Belgio accidit. Albanus ſuſcepta in Friſiam expeditione contra Ludouicũ Naſſouium (qui Comitem ibi Arembergiũ profligatum cũ legionibus Hiſpanicis occiderat) Dauentriæ in Tranſiſelania ſubſtiterat, expectato Creſſouerio cum ſeptemdecim curulibus tormentis. Ibi exploratores præmiſſi vtrũ pontes ſuſtinendis tormẽtorum oneribus pares forét, tympanorũ

ſtrepitu procul exaudito, mox & vexillis quatuor inſpectis, illicò ad Albanum redierunt, aduentare hoſtem, inq; proximo eſſe referentes. Is cum acie celeriter inſtructa, cum alios qui prius obſeruent hoſtem, numerum, ac vires, emiſiſſet, cognouit nouam nuptam, quatuor cum vexillis, totidemq; curribus velo ac fronde intectis, vicinum in pagum magno agreſtium circumludentium comitatu, belli ſecuram, deuehi. Hinc factum militare prouerbium, vt procurſatores exploratoreſq; ſi reditum ad ſuos paulò meticuloſiùs feſtinauerint, *Num ſponſam viderint*, militari ioco interrogentur.

Quod ſi fortè exploratores aduerſariorum comprehenſi ſint, de illis Imperator variè cenſeat. Etenim ſi exercitus ſui vires hoſtium copijs longè inferiores arbitretur, illicò eos iubeat interfici, ne aut ſigno aliquo ſuos admoneant, quid fieri vellent; aut corruptis cuſtodibus, diffugiant, quod ſæpiſſimè accidit, cum ſint morum noſtrorum & linguæ periti. Si verò exercitum meliorem, & rebus omnibus inſtructiorem habet, dimittat incolumes, oſtenſo toto exercitu ſuo; aut negligentius cuſtodire eos iubeat, quo citius effugiant, & ſuis nuncient res aduerſariorum ſuperiores eſſe. Sic enim hoſtes formidant,

& con-

& conturbantur ſi ſe inferiores vident: confidunt, maioreſq; ſumunt animos, ſi aduerſarios debiliores, Ita cũ in Polonos Oſmanus Turcarum tyrannus moueret, & Danubio ponte (qui è ſexaginta triremibus conſtructus fuerat) ſuperato in Valachia exercitum ſuum totum iam congregaſſet, ſiquidem ibi Scythæ Præcopenſes, Beſſarabi, Valachi, Moldaui, atque Tranſyluani, illi ſeſe iunxerũt; adductum ad ſe è caſtris Polonicis captiuum quendam plebeium quidem, & Tergiductori cohortis Piotrouianæ leuioris armaturæ, equitatus, inſeruienti, ſed ſat prudentem, & vti barbaro videbatur capacem rerum, iuſſit circumducere per tota caſtra, quibus tot centena millia hominum continebantur, totq; centenæ bombardæ vno in colle locatæ fuerant. Et cum luſtraſſet omnia, quæſiuit ab eo quid ſibi ſuæ copiæ, & tantus in Regem Poloniæ apparatus placeret? cui ille, Ducem quidem exercitus Polonici exiguas penes ſe copias habere, ſed aduentare Regem ipſum cum vniuerſa nobilitate Polonica, quæ haud ſcio inquit, an numero tuum exercitum non ſit ſuperatura; quandoquidem ait & filius Regis Vladislaus, octuaginta mercenariorũ millia è Germania ſecum trahit. Cui barbarus, ſcio non fore octo millia de integro, at

tu quæ vidiſti vade refer tuo Duci. Sicq; veſtibus panni aurei, aureiſq; nummis centum, & equo generoſo donatum, iuſſit vſque ad caſtra noſtra deducere: cæterum qui deducebant ſpoliatū omnibus flagriſq; cæſum more ſuo barbaro in quadam ſylua caſtris Polonicis vicina dimiſerunt. Minimè verò ſcire potueruut, quomodo fuerint caſtra noſtra diſpoſita aut munita, in quibus horridam illá tempeſtatem expectabamus, quod vtique prudens Imperator omnino ignorare non debet, præſertim cum hoſtis in campum prodire, aut non vult, aut non audet, vti in Pruſſia faciebat Guſtauus, qui continuò ferè ſuos intra munitiones prudenter continebat; nam vbicunque extra munitiones prodibat, ſemper cædebatur. Quapropter de hoſtilium quoque caſtrorum metatione conſideranda, neceſſarium monitum adnotemus.

CAPVT II.

De Hoſtilium caſtrorum metatione conſideranda.

SApientis profectò Ducis eſt, non ſua tantùm vota vireſque, ſed & hoſtis expendere, ſecumq; ſedulò, & quaſi ſubductis rationibus reputare, quē ſibi, quē hoſti

hoſti fructum afferre poſſit, ſecunda, aut improſpere belli ſors. Maximè ſi eum videamus numero validum, ſitu ac ſubſidiorum opportunitate tutum, munitione vallatum, ſyluis adiacentibus interſeptum, aut aliquo alio modo à natura vel arte adiutum. Eapropter Scipio, vt Syphacem Regem, cuius potentiam meritò timebat, faciliùs falleret ac ſuperaret, miſit ad eum per ſpeciem legationis Lælium, adiunxitq; illi ſeruili habitu ſelectiſſimos quoſque ex centurionibus ac tribunis, vt quæ notatu digna erant accuratè obſeruarẽt. Qui vt liberius & minus ſuſpecti ſcrutarentur omnia, equũ de induſtria dimiſerant, tanquam fortuitò elapſum, fugientem perſecuti, pleraque caſtrorum munimẽta circuierunt: quorum cum conditionem ac diſpoſitionem Scipioni nũciaſſent, bellum incendio confectum eſt. Pari ferè modo Koniecpolſcius, Murtasbaſſam in Valachia ad Danubium cũ exercitu præſtolantem occaſionem aliquam in Polonos, per ſuos legatos amiciſſimè ſalutauit, munuſcula miſit, & vt valeret ſuus Imperator honorificè quæſiuit; qui nuperrimè in Perſiam moués, literas ad Kouiecpolſciũ amicitiæ plenas, & ſeptuaginta captiuos Polonos panno precioſo veſtitos miſerat, ſymbolum beneuolentiæ, & pacis inter vtrá-

que gentem perpetuo conſeruandæ arrhabonem. Nihilominus è Prætorianis prudentiores ſeruorum loco legatis attribuerat, & qui linquam Turcicam callerent, vt pro more licentius per caſtra barbarorum vagati, inquirerent omnia, & ſcrutarentur ſingula quæ ſcitu ſuo digna eſſent. Verùm & Valſteinius hac in parte non ignauus fuerat, qui Praga recuperata, quaſi pacis tractandæ cauſa, miſit ad Arnheimium Saxonici exercitus Ducem, præcipuos exercitus ſui ductores tubicinum inſtar veſtitos, ijſque iniunxit vt caſtrorum ſitum, & quæ digna notatu erant obſeruarent.

Non ſufficit itaque, vt imperator ſua caſtra ordine diſponat, & optimè circũcirca muniat, ſed neceſſe quoque eſt, vt hoſtilium etiam caſtrorum poſitionem peritè proſpiciat, & loci figureque rationem diligenter conſideret, certo certius perſuaſum habens, quòd neque in arctum coactę copię omnino contemnendæ ſunt, neque in longitudinẽ effuſæ, nimis pertimeſcendæ; ſiue in plano circulariter caſtra metata fuerint, ſiue in collibus nimium protenſa & addenſata. Nam & circularis ambitus plures capit, quam oculis deſignari videndo queat, & in longitudinem diffuſa valli latera, pauciores vt plurimum continent milites, quàm quę orbiculariter

riter circumſcripta ſunt. In montibus præſertim, vbi multæ intus partes hominibus vacuæ & nudæ relinquuntur; partim propter voragines profundas, & arbuſtorum denſitates, partim propter inhoſpitales & inacceſſas aſperitates, quæ vallo cingi non poſſunt. Iam autē communiſſimè loca quæ in acceſſa eſſe exiſtimantur, obſidentibus aut oppugnantibus prodeſſe ſolent, quia minus accuratis vigilijs cuſtodiri ſolent. Peritus verò Imperator, quid faciendum ſit, facilè tum excogitabit, atque audaciſſimorum nonnullos, tum prœmijs, tū pollicitationibus faciet, vt vel ardua illa loca euadant, vel vallo celeriter cōſcenſo, aliquid emoliantur, & in media caſtra taciti penetrantes hoſtes contrucident. Cum & vrbes ipſas animaduertamus ea ſæpiſſimè parte capi ſolere, qua ſunt munitiſſimæ, & de quibus ne ſpem quidem vllam hoſtes videntur poſſe habere. Quod veriſſimum quoque eſſe Geneuenſes non ita diu didicerunt, qui à Sabaudo obſeſſi, periclitati ſunt ea vrbis parte, quæ omnium cōſenſu munitiſſima erat, & hoſti aditum ad vrbem præbuiſſet, niſi vnus excubitorum in inopinantes catarractas ſoluiſſet. Idem planè accidit in Pruſſia, cum Sueci Toruiniū inopinatò intercipere voluiſſent, miſſis audacioribus, qui per

Iſtulæ ripam, vnde nemo hoſtem accedere ad vrbem ſperabat, portam occuparent, quæ per ciuium trepidatione clauſa tunc non erat, obuerſis omnibus in hoſtem: ſed forte fortuna ſutor quidã mentis parum compos per infirmitatẽ, illuſtratus à Deo ratione meliori, hoſtes ſubeuntes animaduertit, & catarractas ſoluit, viciniamq; totam clamore in ſubſidium euocauit.

Inſtructus igitur de caſtris hoſtium Imperator, ſuadente occaſione hoſtem per equitatum, aut etiam peditatũ ſubeuntem è caſtris euocet, & caſtra ipſa à tergo, vel à pluribus locis inuadere iubeat; quia ſepiſſimè ſupina negligentia incauti aduerſarij, dum caſtra ſua benè munita eſſe ſciunt, incompoſiti è ſuis ſtationibus in hoſtem ſubeuntem excurrunt, ſolitaq; incogitantia negligentiores in periculis fiunt, dum hoſtem ſimulantem metum recedere vident. Quiſquis autem has artes nouerit, etſi ijſdem dolis ab aduerſario ſuo oppugnetur, ſapienter omnia geret & prouidè cauebit; nempe à quibus didicit, quæ aduerſos alios ſtruenda ſunt ab ijſdẽ etiam, quonam modo fraudes ac doli euitari poſſint, docebitur. Et quiſquis alteri parare nouit pericula, idem quoque parata facilè deteget effugietq;

CAPVT III.

De Nuncijs admittendis aut emittendis.

IMperator admittat quemlibet volétem aliquid nunciare, & ſeruum, & liberum, & transfugam: tam noctu, quàm interdiu aduenientem: ſiue ipſe ſit in tabernaculo, ſiue in balneo: ſiue quieti, ſiue menſæ indulgeat (cautè tamen, ne à ſicario lædatur aut occidatur) Cunctatores enim, & inacceſſæ ſeueritatis, quiq; ſeruis imperant, accedentes iniuriosè repellere ſolent, vnde in multis & magnis perſæpè falluntur negotijs immò rem aliquando totam negligétia ſua labefactant. Prætereuntq; multi cómuniſſimè, quod in puncto temporis gerendũ vtiliter iudicaſſent, ſi alloqui ſe volentes etiam infimos homines patiéter audire ſuſtinuiſſent. Et Iulius Cæſar non aliam ob cauſam ita miſerè morté ſubijt, niſi quòd indicem coniurationis libellum ſibi porrectum, ſtatim legere neglexiſſet: igitur manu eum tenens à Bruto & Caſſio principibus coniurationis confoſſus eſt. Eandem ob cauſam & Lampſacenorum tyrannus Aſtyanactes interijt: & multi alij Duces atque Reges, tum vrbes quoque cum illis, & Reſpublicæ integræ. E contra Ve-

neti ſalui manſerunt;, cum indicante quodam, obſcuro licet & gregario milite, Viceregis Neapolitani Ducis Oſſonienſis aſtum, quo die Aſcenſionis Domini in Cœlum illis ſolenni & feſto, vrbem capere intenderat, extemplò ad inquirendos coniuratos in vrbem iam immiſſos, curam adhibuiſſent. Similiter Gabriel Battoreus Tráſyluaniæ Princeps, quod ſe alloqui volentem Hungarum quendam, excitatus ab vno ex ſuis ephæbis nobili Polono, ſtatim noctu audire ſuſtinuiſſet, factam in ſe coniurationem euaſit, milites in ſe adductos feliciter profligauit, & capita coniurationis intra aliquot horas prælio capta, merito caſtigauit. Atque hæc quidem de nuntijs admittendis & audiédis ſtatim. Quid de emittendis? Primo curádum vt perfidos homines, prudentes, & ſecreti tenaces, res noſtras ſignificemus. Deinde vt notis occultis litteras noſtras ſcribamus. Denique vt occulto aliquo modo per nuncios tranſmittamus hoc eſt, vel in calceorum ſoleis, vel in balteis, vel in baculis excauatis; vel denique in occultis veſtium locis, quæ prudens tabellarius melius facere ſciet, aut Imperator ipſe edocebit.

Sed pręcipuè obſeſſi varijs modis vtũtur vt rerum ſuarum ſtatum amicis ſignificent, ita vt ne tabellarijs quidem

rem

rem concredere neceſſe habeant; quia & ſigniscertis ex condictamine vtuntur, & notis ex arbitrio conſtitutis ſcribunt, eaſq; variè occultant. Quidam enim vaginæ interiorem partem epiſtolæ conſcripſerunt: alij literas panibus in luſerunt, eoſque tabellario tranſportandos tradiderunt: alij partibus corporis minus honeſtis eas commiſerũt: alij millo canis eas inſeruerunt, quẽ tabellarius familiarem haberet: alij vrinatores non per fluuios modò, ſed per maria etiam ipſa cum litteris miſerunt, & innumeris modis ſecreta ſua amicis communicarunt. Cumq obſideretur Harlemum in Hollandia, à Friderico Tucis Albani filio, fuit patrum noſtrum memoria in ea obſidione repetitum ex antiquitate miniſterium columbarum litteras transferentium. Paulo enim antequam clauſa fuiſſet nuncijs via, Harlemenſes ex vrbis columbarijs ad Orãgij claſſem, & vicina ſociorum oppida colnmbas aliquot cicures aſportarunt: quæ deinceps vbi opus fuit, cum literis ſubter alas alligatis emiſſæ, tecti quæ ſueq; prolis, memores Harlemum reuolabant; acper aereos hoſce tabellarios Orangius ad perferendam tribus poſtremis menſibus obſidionem ciues obfirmauit. Donec earum vna dum ab volatu defeſſa caſtris Hiſpanorum inſidet, à

O 6 mili-

milite artificij ignaro fortè transfixa, literarum arcana patefecit. Quo factũ, vt quotquot exinde tranſuolarent per aera columbæ, quamquam innoxiæ, certatim à militibus figerétur. Ita enim Bruto, Mutinæ olim obſeſſo vndique, omnia quæ eum ſcire oportebat, per columbas indicabat Hirtius. Nec ita pridé Alexandrinus quidam Præfectus, qui Aegyptijs Admiral dicitur, columbas ita inſtructas ad menſam ſuam habuiſſe dicitur, vt Cairum etiam cum literis volarent & reuolarent. Tum naues quoque eius ſpeculatoriæ in mari, ſemper aliquot columbas eiuſmodi ſecum habebant, & de omnibus rebus per eaſdem literis collo alligatis Præfectum certiorem reddebant. Menezius verò qui Arzilæ in Africa pro Hiſpano præerat, cum ſerò penè intellexiſſet Tingitanæ vrbi Regem Feſſæ inſidiari, cũ ob temporis anguſtiam per homines non poſſet, per carné oppnrtunè à Tingitano ciue Arzilæ relictum, verberibus priùs egregiè exceptum, vt ad priorem dominũ velocius recurreret, alligata ad caudam eius epiſtola, Roderico de Caſtro, qui Tingitanos regebat, imminens indicauit diſcrimen. Verùm talibus nuncijs fidendum ſemper non eſſe, factũ vrbis Ptolæmaidos edocuit. Cum enim Galli, & Veneti qui eam obſidebant,

colum-

columbam intercepiſſent adfuturi poſt paucos dies auxilij nunciam, alijs eam literis inſtructam dimiſere, quibus cum nulla auxilia ſperare iuberentur obſeſſi, ad deditionem inducti fuerunt. Vladislaum IV. Smolenſum à Moſchis obſeſſum liberare cupiens, literas ad Vrbis Præfectum miſerat adornato homine armis arborum ad inſtar rubi, qui conſpectus ab excubatoribus hoſtium ſubſtiterat donec longius receſſiſſent. Tandem paulatim littori Boryſtenis admotus in profluentem ſe proiecit & videntibus hoſtibus in alteram ripam enatauit, ac in vrbem introiuit.

CAPVT IV.

De Transfugis recipiendis.

TRansfugis Imperator non temere credat, ſi res ſuas ſaluas habere cupit: vti enim qui bona fide cōtrarias partes elegit, multum ſolet prodeſſe; ita qui mala, multum ſæpè poteſt nocere. In Cannenſi prælio Annibal per ſimulatos transfugas terga Romanorum cecidit; ſex enim millia equitum Numidarum iuſſit transfugere, qui ad fidē facien-

faciendam, gladios & ſcuta Romanis tradidere: & in vltimum agmen recepti, vbi primum concurri cæpit: ſtrictis minoribus quos occultauerant gladijs, ſcutis iacentium aſſumptis, Romanorũ aciem ceciderunt. Cautiores in ſimili caſu Turcæ fuerunt, ad quos, cum ex acie Iuoniæ Palatini Valachiæ, eius copiarum Præfectus Czarnieuicius cum tredecim millibus Valachorum defeciſſet, non in vltima acie quemadmodum facere Romani, ſed in prima transfugas conſtituerunt, & tergiuerſantes quodãmodo confeſtim aggreſſi ceciderunt. Memnon quoque olim Rhodius Rex, cum equitatu præualeret, & hoſtem in collibus ſe continentem, in campos vellet deducere quoſdam ex militibus ſuis ſub ſpecie perfugarum miſit in hoſtium caſtra, qui affirmarent exercitum Memnonis iam pernicioſa ſeditione furere, & vt ſubinde aliqua pars eius dilaberetur. Huic affirmationi vt fidem faceret, paſſim in conſpectu hoſtium iuſſit parua caſtella muniri, velut in ea ſe recepturi eſſent, qui diffidebant: hac perſuaſione ſolicitati qui in montibus ſe cõtinuerant, in plana deſcenderunt, & dũ caſtella tentant, ab equitatu circumuẽti ſunt. Simile quid Picolomineus fecit apud Ratisbonam, & pulcherrimo aſtu Bannerum potenti cum execitu Suecorum deuicit. Si

Si qui igitur transfugæ aduenerint, hoſtium aggrediendorum opportunitatem indicaturi, aut copijs tuis viam ab hoſtibus tutam præituri, ducito eos tecum vinctos, certoſq;facito ſe, dummodo vera narrent (magna enim fiducia eſt in ſollicitandis ſuſcipiendiſque hoſtibus ſi cum fide veniant: quia aduerſarium amplius transfugæ frangunt, quam perempti)totiuſq; exercitus ſaluti ac victoriæ vtilia conſulant,in libertatem cum præmijs ac muneribus aſſeré-dos. Si verò vana confingétes decipiát, aut ſi proditionem moliantur, ipſo ſtatim momento ac puncto, quo inclinare & periclitari incipiet exercitus, in vinculis iugulandos. Tunc enim transfugæ aliquid indicanti fides haberi poterit,quum vitæ ſuę arbitrium non penes ſe,ſed penes Duces ipſos eſſe nouit.Quibus tamen,vt monui haud temere credas: quod vitio quodam naturæ fiat, vt quod volumus, credamus libenter, & quæ ſentimus ipſi, vel quos etiam ſentire credamus, ad voluntatem eorum ficta reſpondeamus. Craſſus olim dum Mazaræ Syro temere credit, ab eo in mediam camporum vaſtitatem deductus, vnà cum exercitu vndique hoſti expoſitus fuit. Simili planè modo Taranouius Nobilis Polonus ſuaſit Solimano Turcarum Tyranno, vt in Moſcouiá

exer-

exercitum,non per fines Poloniæ, vti à Rege Sigiſmundo Auguſto petijt, ſed circa Caſpij maris littora, inopinatò in hoſtem emitteret, quem ſi ita placeret Tyranno ipſe vti peritus locorũ deducere ſpopondit,legationis qua fungebatur munere, in aliũ quempiam ex ſuo comitatu nobilem Polonum translato, vt recta ad Regem reſponſa ferret. Annuit Turca; & Taranouius Baſſas cum exercitu,gnarus regionũ illarum,in vaſtiſſimos campos Madziarienſes deduxit,vbi totus ferè exercitus fame, ſiti, & ſuperuentibus Tartarorum atque Moſcouitarum aſſiduis deletus eſt. Taranouius verò tempeſtiua fuga ſibi conſulẽs primò ad Chanũ Tauricanum peruenit poſtea in patriam incolumis redijt. Valſteinius quoq; nuperrimè a transfugis deceptus bonam partem exercitus Cæſarei in Pomerania amiſit. Obſidebat etenim vrbẽ maritimã Stralſundã nomine,quẽ primò Danus, deinde Suecus ſuo præſidio tuebatur. Igitur hic miſit ad Valſteiniũ transfugarũ ſpecie ciues aliquot loci illius, qui graues ſibi nimiũ Suecos conquæſti,promiſerũt aliquot in locis vrbem ſuccendere,ſi ille interim vrbis mœnia audacter aggrederetur,& Suecos auxilio etiam cõſciorũ ciuiũ ad internecionem deleret,ſibi verò pro præſtita opera, prœmium aliquod

quod notabile conferret. Dimiſſi illi promiſſis onerati, ſed malè ab ipſo examinati, & nocte concubia in præparatos eam in rem rogos ignem ſubiecerunt; hoſtis verò in Cæſarianos accedentes ad vallum intentus ex condicto, miſſilibus eos & tormentorum globis acerrimè diuexauit, & excurſione facta aliquot millia occidit. Non igitur facilè credendũ transfugis: quia vt plurimũ animo nocendi veniunt. Mitridates à Lucullo virtute frequenter ſuperatus, inſidijs eum appetijt, Adachante quodam eminente viribus ſubornato, vt transfugeret, & fide pacta hoſti, ipſum interficeret, habens equos in fugam benè præparatos. Sed receptus à Lucullo in gregem equitum, non ſine tacita cuſtodia habitus, ſine euentu conatus eſt: & cum non admitteretur ad Lucullum accedere, diffugit. Stenippus verò ad Tegeatas fugiens, ab ijs qui verè eum ab Ephoris multatũ, ideoq; irritatum iniuria fugiſſe credebant, exceptus eorũ, quos corrupit, auxilio Ariſtoclem Principem ſacrificantem occidit.

Qua autem ratione proditoribus & transfugis occurrendum ſit, docuit ſuo exemplo Dux Pœnorũ. Cum enim frequenter auxiliares Galli ad Romanos tranſirent, & iam ex conſuetudine vt ſocij exciperentur, ſibi fideliſſimos ſubornauit

nauit ad ſimulandam tranſitionem, qui Romanos excipiendorum cauſa eorum progreſſos ceciderunt. Quæ ſolertia Amiclari, non tantum ad præſentem profuit ſucceſſum, ſed in poſterum præſtitit vt Romanis veri quoque transfugæ forent ſuſpecti; Propriè hoc ipſum accidit bello Turcico ad Chotimiam, cum inopia annonę preſſi in caſtris Polonicis mercenarij Hungari atque Germani complures ad Turcas profugerēt, monſtrarentque faciliorem acceſſum ad irrumpendum in caſtra noſtra, Turcę poſtquā non ſucceſſiſſet oppugnatio illo in loco, vbi inſuper pręcipuum bellatorem ex ſuis Caracas Baſſam amiſerunt, in cenſi iraob tam graue damnū, omnes ſtatim tranſfugas occiderunt; effèceruntq; vt ad eos amplius è caſtris nemo profugere vellet. Sed placuit adiungere quod Lucullus ſolerti ingenio in transfugas detepente in ipſo prelij cōgreſſu excogitauit. Cum enim animaduertiſſet turmam Macedonum equeſtrem ad hoſtes confugere, claſſicum canere, atque ſuos tanquam pręlio decernere decreuiſſet, hos confeſtim inſequi iuſſit. Hoſtes igitur Lucullum ad pręlium prodire ſuſpicati, Macedones iſtos adeo ſtrenuè exceperunt, vt his neceſſario pugnandum eſſet; eaque ratione fugitiui qui fuerant, egregiè

certa-

certarent. Cæterùm iam inſtructionem acierum videamus.

CAPVT V.

De varia inſtructione acierum.

PRęmiſſis leuioribus artibus belli, ad publici conflictus incertum, & fatalem diem nationibus ac populis, ratio diſciplinę militaris inuitat. Nam victorię plenitudo in aperti Martis euétu conſiſtit, non in obſidionibus aut velitationibus leuioribus Hoc igitur tépore tantò magis Duces debent eſſe ſoliciti, quanto maior ſperatur diligentibus gloria, & maius periculum comitatur ignauos: in quo momento peritię vſus, pugnandi doctrina, audacia militũ, conſiliumque prudés dominatur. Quapropter inſtruendarum acierum ſcientiam complures viri periti, tam Gręci, quàm Romani literis mandauerunt, vt etiam lectione Imperatores iuuentur. Noſtręq; ętatis authores multa, partim ex obſeruatione recentiori, partim ex antiquorum ſcriptorum pręceptis connotauerunt, volentes rem iam lapſam, deſitam, & prorſus neglectam repetere & in vſum reuocare. Quos quidem omnes enumerare longum & ſuper vacaneum eſt; ſufficit vnicum Mauritium

Comi-

Comitem Naſſouium hic in exemplũ ponere qui multa ex antiquitate erues, & fecit ipſe contra Iberos feliciter, & ſcripſit ad informationem aliorũ haud in eleganter.

Acies itaque dicitur, exercitus inſtructus, qui in publica pugna, ſi ſapienter diſponitur, plurimũ iuuat: ſi imperitè, quamuis optimi bellatores ſint, mala ordinatione franguntur. Vnde in eo tã prouidi fuere veteres, vt pro nullo habuerint exercitum, qui non rectè ordinatus eſſet. Inſtructionis autem vetus lex eſt, vt in prima acie exercitati & veteres milites collocentur, quos Romani Principes vocabant. In medijs aciebus leuioris armaturæ, ſed circũdati cataphractis, ſpacio iuſto interpoſito, vt nec acies interlucat, & ſpacium ſit arma tractandi, & cum ſaltu curſuq. hoſté aggrediendi: quia melius eſt plures acies facere, quàm milites expandere. A tergo auté & in vltimo ordine, & ætate maturi, & vſu confidentes, & muniti grauioribus armis. Nam ſi quid primis ordinibus accidet de horũ viribus reparationis ſpes tota pendebit. Appoſite Xenophon. *In bello illos primo, & vltimo ordinare oportet, qui fortitudine excellunt: in medio verò peiores, vt à primis ducantur, ab vltimis verò impellantur*, qui apud Romanos Triarij appellabantur. Legitima

etenim

etenim eorum acies, conſtabat Haſtatis, Principibus ac Triarijs, Velitibus, ſiue leuis armaturæ militibus admixtis, qui ex manipulis fere educebantur. Et quia primi prælium committebant, Rorarij, inquit Feſtus, appellabantur, quòd vt ante imbrem rorare ſolet, ſic illiante grauem armaturam prodibãt cum miſſilibus, quæ rarentur ſparſi emittebãt in hoſtem. Alæ autem equitũ dictæ, quod dextra, ſiniſtraq; tanquam alæ auium pedites ambirent, vt Gellius ſcribit. Globus denique nihil aliud eſt, quam militum manus ab acie reliqua ſeparata, vago ſuperuentu inimicos incurſans, qui ab Imperatore immiſſi, & ſuos ſimul iam fatigatos recreabunt, & hoſtes iam fractos ac languidos, alacres ipſi vrgebunt.

Multipliciter autem & varie inſtruitur acies: quia primò armaturæ, deinde militum, tandem locorum ad extremũ vero copiarum hoſtilium habenda eſt ratio. Maxime autem neceſſitatis quæ cùm vbique & ſemper, tùm in bello maxime ante rationem eſt: Imperatoremq; non pro arbitratu ſuo, ſed ſecundum hoſtiles copias acies diſponere cogit. Quocirca ſumma ratio ineunda à Ducibus belli eſt, vt acies pro numero ſui, & hoſtis exercitus, proq; temporis & loci circumſtantia diſponatur. Et quo curatius armis inſtructus, atque

in

in ordines diſpoſitus exercitus fuerit, eò firmiorem tutioremq; eſſe ſciendum. Græci & Romani in inſtruendis exercitibus peritiſſimi fuerunt & illi quidé ſuis Phalangibus Aſiam debellauerant, iſti verò ſuis Legionibus omnes ferè populos, quicunque ad ipſorum notitiam deuenerant; quia melius diſponebantur legiones, quam phalanges, vt probatum fuit in pugna Pauli Aemilij cum Rege Perſeo. Nam *phalanx*, inquit Liuius, *immobilis vnius generis*, nec poterat benè pugnare niſi in planicie: legio verò ex multis partibus quaſi corpus quoddam compoſita, & in montibus diuidi poterat interruptis ordinibus & in planicie in vnum corpus conuenire. Et propterea Liuius dicit. *Romana acies diſtinctior, ex pluribus partibus conſtans, facilis partienti quacunque opus eſſet, facilis iungenti*. Heluetij imitantur modo phalangem potiùs quàm legionem, niſi quod loco ſariſſarum vtuntur lanceis oblongis ad repellendum equitatum. Perſæ equitatu ſuo præualent in pugna Turcis, quia in ordinem benè diſponuntur per cohortes; non verò turmatim concurrũt, vt iſti: ſed hi deinde peditatu ſuo, quos Ianitzaros vocant, præualent. Cæterũ pedites Europei, præſertim è Germania, multo ſunt meliores Ianitzaris, vti bello Chotimenſi obſeruauimus. Qua-
pro-

propter Perſę quoque euocarunt Centuriones, ab Hiſpanis, & Hollandis qui nauigant Orientem, vt inſtruerent peditatum ipſorum, quo antea carebant, ſuntq; Turcis nunc magnopere graues. Sed reuertamur ad acies. Has veteres variè, vti diximus, ac variè inſtruebant; quadratas rotundas, triangulares, ſemilunares, oblongas, pro loci atque ſitus neceſſitate: ſemper tamen grauioris armaturæ pedites, in prima acie locabant qui caſſides cataphractas, ocreas, ſcuta, gladios habebant, & impetum hoſtis melius quam nudi, aut leuiter armati, ſuſtinere poterant, & tanquam murus ferreus ſtabant, non ſolum miſſibilibus, ſed etiam gladijs dimicando. Et ſi hoſtes fugaſſent, non ſequebantur cedentes, ne aciem ſuam ordinationemque perturbarent, ſed leuis armatura, cum funditoribus, ſagittarijs, & equitibus fugientes ſequebatur inimicos. Quadratis itaque aciebus Perſæ, Siculi, & Gręci olim vſi ſunt. Scythæ, & Turcę nũc, Thracum more cuneatis vtuntur aciebus. Ad rhombi ſimilitudinem equitatum ſuum Theſali diſponere ſolebãt, quia conſtituti in hac forma, vertere ſeſe in quemuis proſpectum poſſunt; minimeq; vel à tergo, vel à latere capientur. Qualem diſpoſitionem vtilẽ putarem, extra aciem ordinariam inſubi-

ſubitaneos caſus habere, præſertim leuioris armaluræ equitum. Cæterum aciem ipſam veterũ Romanorum exẽplo nunc, parte altera longiorem Duces facere conſueuerunt. Ex omnibus autem quos exercitum ad prælium prudenter diſpoſuiſſe conſtat, primæ tribuũtur Hannibali & Scipioni, cum ij in Aphrica de ſumma dimicarent.

Prælio igitur decertaturus Imperator, formam & ordinationem aciei, Tribunis, Cẽturionibus, ac reliquis officialibus, quem locum capere & tueri debeant, indicet: ſingulis turmis proprios chiliarchas aſſignet: edoceatq; eos priuſquam ad manus veniatur, quomodo in certamine, in ſubſidio ferendo, in clade denique, aut victoria ſeſe gerere debeãt Legato verò Imperatoris, & caſtrorum Præfecto certus locus non eſt deſignandus, quod libere huc illuc vagari debeant, vt periclitantibus ſuccurrant, & decretorum exequutionem procurent. Sed ante omnia ordinaturus aciem Imperator, hæc tria debet antè proſpicere; ſolem, puluerem, & ventum. Nã ſol ante faciem eripit viſum. Ventus contrarius tua inflectit ac deprimit, hoſtium adiuuat ſigna & tela. Puluis denique à fronte congeſtus, vna cum fumo è ſclopetis exploſo oculos implet & claudit. Conuenit etiam diligenter explo-

explorare, quid ſentiant milites ipſa die qua certaturi ſunt: nam formido, vel fiducia ex vultu, verbis, inceſſu, motibus, cernitur. Nec confidas ſatis, ſi tyro prę-lium cupit, inexpertis enim dulcis eſt pugna: & noueris te oportere differre, ſi exercitati bellatores metuerīt dimicare Ita fecit Staniſlaus ZolKieuius in campis Originéſibus cum Scythæ numeroſiſſimo cũ exercitu ſuperueniſsét: maluitq; ſuaſu veteranorum inſultantē hoſtem patienter ferre, quàm non benè inter ſe conuenientibus magnatibus, qui ære ſuo cohortes ſcripſerant, ad inſtantiam tyronum prælium cum hoſte multo potentiore inire. Monitis attamen & oratione Ducis, etiam trepidanti exercitui virtus accreſcit & animus: pręcipuè ſi futuri certaminis talem acceperis rationem, qua ſperent ſe facilè ad victoriam peruenturos.

Scire quoque Imperator debet, contra quos hoſtium globos, quos equites oporteat ponere: nam neſcio qua occulta ratione alij contra alios dimicant melius; & qui fortiores vicerant, ab inferioribus ſæpe vincũtur, vt pugna Pragenſi experientia probatum eſt; qui enim cataphractis toties, haſtati Hungari, terribiles fuerant, illi in monte Albo (& toties deinceps) à ſeminudis Polonis velitibus turpiſſime profligati fuerunt,

P licet

licet quadruplo fuerint plures. Similiter ad Straſniciam in Morauiæ finibus, & ad Poſſonium in Hungaria. Inſtruat itaq; Imperator ſuum velitem pro paratu ex conſilio hoſtium, modo in frõte, modo in dextra, modo in leua, nonnunquam etiam in tergo, videlicet quẽadmodum res vſuſq; exigit. Semper tamen peditum latera protegenda ſunt à fortioribus equitibus: & hoſtium cornua perfiodenda ſunt atque turbanda, à velocioribus & expeditis copijs, quẽadmodũ fecit Radiuillus Nicolaus III. ad Vlam contra Moſcos, qui à velitibus Polonicis ab vtroque latere turbati, priuſquam à fronte premi cæperint, ſtatim diffugerũt, & triginta de ſuis millia in acie amiſerunt. Quapropter optima ratio eſt, & ad victoriam plurimũ conferens, vel lectiſſimos tam de peditibus (multis ſiquidem placuit pedites, quoſdam leuiter armatos ſic exercere, vt inter equites pugnare ſciant, quod quidem equitibus maximo adiumento eſſe ſolet) quam de equitibus Dux poſt aciem præparatos habeat; itidemque alios circa cornua; & alios circa mediũ: vt ſicubi hoſtis vehementer inſiſtit, ne rumpatur acies, prouolent ſubito, & ſuppleant loca; additaq; virtute, inimicorũ audaciam frangant. Nam qui ſuperueniunt, terribiliores ſunt hoſti ijs, qui in mani-

manibus ſunt & pugnant: quia inopinata maximè mouent, & vt Doctor militaris ait, *ſubita conterrent hoſtes, vſitata viloſcunt.* Ita clamor aliquis repentinus, aut imago, & aſpectus, fuga ſemper exercitum impleuit: & hæc talia, magis quàm gladius, conſternant hoſtem. Primiq; in omnibus prælijs oculi vincuntur, deinde aures: videbiſq; militem ſæpiſſimè vanis & inanibus magis, quã iuſtis formidinis cauſis moueri. Et hoc planè modo Conſtantinus Oſtrogius, celebrem illam toto Orbe victoriam de Moſchis ad Orſam obtinuit. Hocque eodem ante illum ſtratagemate, Vladislaus Iagello acie Grunenaldenſi, totam potentiam Teutonum Pruſſiæ fregit, & centum quadraginta millia, horis aliquot acie confecit: quia vterque illorum præparatos poſt aciem habuit, qui & clamore hoſtem inopinatò perterruerunt, & condenſatum in pugna à latere haſtis perruperunt. Hanc autẽ artem & diſpoſitionem, primi Lacones inuenerunt; quos deinde imitati ſunt Carthaginenſes, Romani poſtea vbique ſeruauerunt. Quorum exemplo Saraceni primùm Byzantinos Imperatores fregerãt. deinde Mamaluchi in Aegypto acies ſuas inuictas effecerant. Sed & Turcę nunc, non aliter victorias de Chriſtianis reportant, quàm Ianitzaros

pedites,& Spahios equites, ad inſtaurã-dum inclinatas acies opportunè ſubmit tendo. Sicq; Vladiſlaum Hungariæ & Poloniç Regem ad Varnam occiderunt: ſic Sigiſmundum Imperatorem ad Columbanũ profligarunt: ſic Rudolphi II. exercitus ad Sigetum diſſiparunt: Perſasq; multoties iam victores & triumphantes penè, hoc eodem aſtu acie pepulerunt. Nam directa acies hoc ſolum agere debet, ſi poteſt, vt hoſtem repellat aut fundat: iam verò ſi cuneus aut forfex agendus ſit, ſuperfluos habere debes poſt aciem: ſi etenim de loco ſuo ordinatum militem trãsferre cęperis, vniuerſa turbabis. Et ſi globus hoſtium ſeparatus, aut alam tuam aut partem aliquam vrgere cęperit, niſi ſuperfluos habeas, quos poſsis opponere, difficulter aciem reſtaurabis. Eapropter ſi tibi bellatorum copia non abundat, melius eſt aciem habere breuiorem, dummodò in ſubſidijs colloces plurimos, qui maturè poſsint ſubuenire ſuis. Vnde Marcellus ab Hannibale non aliam ob causã cęſus fugatuſq; fuit, niſi quòd lente ſubſidio veniret laborantibus ſuis, quibus in fugam coniectis, cũ reliquo exercitu vim hoſtilem ſolus ſuſtinere nequiuit. Quapropter ſubſidarij maturè ſuos iuuent, priuſquam in plenam auertantur fugã, quę vtriſque, tàm in ſubſidijs, quàm

in

in acie ſtantibus, terrorem maximum ſolet incutere:& fugientes animũ protinus deſpondent, ordines deſerunt, nec facilè Ducum imperio amplius parent. Quod euitare cupientes Romani, Pœnorum vti dixi exemplo, poſt profligatum Marcellum, poſt ſingulas acies ponebãt ſubſidia. Et Agricola, vt refert Tacitus, haud dubiè in Britania cæſus profligatusq; fuiſſet, niſi id ipſum veritus, quatuor equitum alas, ad ſubita belli retentas, venientibus oppoſuiſſet.

Imperator itaque, etſi ne ab hoſtibus circũueniatur, maxime cauere cupiat, non ideo tamen in tantam latitudinem phalangem extendat, vt imbecillis omnino tenuiſq; ſit. Hanc enim citò perrumpere inciperent hoſtes, viãq; ſibi vi facerent: nec iam cornua circumdare, ſed diſiectis medijs copijs terga aduerſariorum opprimere tẽtarent. Iſtam verò cladem non ſolùm curet euitare, ſed etiam conetur inferre, ſi inualidam & exilem eſſe animaduertat hoſtium phalangem. Nullam enim exercitus formã adeò periculis expoſitam eſſe experientia conſtat, quàm cuius frons plus iuſto diſtenditur; quæ frequentibus ordinibus potius conſtituenda eſt: cuius extrema latera, ſi copiæ tibi minores quàm hoſti ſint, flumine vel palude cingere, vel foſſa munire ſuadeo, ne facilè terga

tuorum ab hoſte circumueniri poſſint; ſicuti à Cæſare in Gallia factitatum legimus. Si verò hoſtem numero antecedas, & loca patentia nactus fueris, militemq; probe inſtitutum habes, poteris ordines tuos latius explicare, quo hoſtem circumdare poſſis. Locus præterea ſuperior eſt capiendus, vnde impetus procliuior in hoſtem ſit; ſed ita, ne hoſti aditus ſupra te pateat; ſiquidem eo caſu locus ille tuo ſuperior, præſertim ob tormenta, magno tibi damno eſſet. Vbi verò numeroſæ hoſtium copiæ apparent, putarim equidem quadratam aciem præferri, quod tutiſſima ſemper ſit, teſte Thucijdide, aduerſus hoſtium irruptiones iſta aciei denſitas, Magiſq; expedit, vt conferti pugnent, quàm longius ſeparati à ſuis; nam ſi nimium fuerit acies attenuata citò ab aduerſarijs facta impreſſione perrumpitur & nullum poſtea poterit eſſe remediũ, vt accidit Vitoldo Duci Lituaniæ, cum Scithis Catainenſibus ad Boryſthenem pugnanti; & Polonis ad Trebniciam in Sileſia cum ijſdem barbaris prælium habentibus. Omnes enim barbari de more hoc habent, vt confiſi ſuæ multitudini ingentibus turmis exiguas Chriſtianorum acies perrumpant, aut in coronam circumdatos opprimant, niſi te aſtu aliquo iuues; quemadmodum fe-

cit Sylla, qui in campo aperto cum Archelao congreſſurus, ne à Macedonica phalange, equitatu maximè ſuperante, circumdarentur, foſſas amplæ latitudinis in vtroque latere duxit & ceſpite contexit, in quas barbari præcipitabantur, cum in coronam Romanos oppugnarent Guſtauus quoque ſimiliter foſſas ante aciem, ne ab equitatu Polonico conculcaretur, ad Mæuam ſibi elegerat, aliaſque item ipſe fecerat, vt dũ haſtis vibratis concurriſſent noſtri, præcipites caderent in foſſas, quas tamen peditum præmonitione euitarunt.

Obſeruandum eſt quoq;, cum hoſtis in proximo eſt, vt ante omnes milites egrediantur portas & aciem prius conſtruant, quàm hoſtis adueniat, ſiue ex caſtris, ſiue ex ciuitate producas ad prælium; ne dum per anguſta portarum particulatim procedit exercitus, à collectis & præparatis debilitetur inimicis, quemadmodũ fecit Zamoſcius in Moſcouia dum Pleſcouiam obſideret, & Georgius Baſta in Hungaria, cum Budã oppugnaret, vterque enim præparatos milites & in id ipſum intentos collocabat, vt dum portas hoſtis exiret, turbatum globis bombardarum, pernicitate equorum vſi, extemplò eum aggrederentur: quod maximò cum damno incluſorum erat, quia vtrobique Coſachi

prodeuntes in ſuas munitiones reijciebant. Quare ChodKieuicius cognito quòd Oſmanus iam in proximò eſſet, educto maturè è caſtris exercitu, in acie eum expectabat; eaq; ſua vigilantia, & alacritate pugnandi, ita animum barbari turbauerat, vt licet centenis millibus pugnatorum nos ſuperaret, ad prælium tamen iuſtũ nuſquam deſcendere auderet, etiam mortuo iam ChodKieuicio; quod illi probè cognitum erat. Quodſi verò intra ciuitatem manentibus, imparatis hoſtes aduenerint; aut dif feratur egreſſus, aut certè diſſimuletur, vt fecit Guſtauus in Liuonia ſuis prope Rigam munitionibus incluſus, cũ Chriſtophorus Radiuillius ante caſtra illius paruo licet exercitu comparuiſſet, & ad Martem apertum prouocaſſat. Et hoc propterea, vt cum aduerſarij incæperint inſultare his, quos non putant exituros, vbi vel ad prædam, vel ad redeundum côuerterint animũ, & ordines ſoluerint, tunc illis ſtupentibus lectiſſimi quique prorumpant, & confeſtim aggrediantur ignaros, vt fecit Zamoſcius ad Cracouiá & Maximiliani Archiducis lectiſſimum exercitum quaſi nolens aut ludibundus, in momento diſiecit & fugauit. Quapropter ſemper ſtudere debes, vt prior inſtruas aciem quam hoſtis, quia ex arbitrio tuo potes facere, quod tibi vtile iudi-

iudicas, cum nullus obſiſtat: deinde, quòd & tuis auges confidentiam, & aduerſarijs fiduciam minuis, quia fortiores videntur qui prouocare non dubitant; ſemper enim plus animi eſt inferenti periculum, quàm propulſanti. Inimici autem incipiunt formidare, vident contra ſe acies ordinari. Ita & Abaſibaſſa congredi totis copijs cum Koniecpolſcio ad Cameneciam non eſt auſus, quod eum in acie paratum inueniſſet, nec potuiſſet ſcire numerum, aut ordinem noſtrorũ: facto igitur aſſaltu vnico ſtatim cum numeroſiſſimo exercituſuo retro abijt, & in habitu plurimos ex ſuis Turcis deſiderauit. Maximum enim ad vincendum commodũ additur, quia tu inſtructus paratuſq; inordinatũ & trepidũ aduerſarium pręoccupas; victoriæq; pars non contemnenda eſt, inimicũ turbare antequam dimices, aut vexare cum turbatus abit. *Solentq; ſæpius*, inquit M. Tullius pro Roſcio Amerino, *hoc boni Imperatores facere, cum prælium committunt, vt in eo loco, quo fugã hoſtium fore arbitrantur, milites collocent, in quos, ſi qui ex acie fugerint, de improuiſo incidant.*

Obſeruatur etiam ne longo ſpacio fatigentur milites, ne laſſos poſt curſum equos ad publicum prælium cogas, qualiter accidit Papenheimio ad Lutzam

cum Guſtauo pugnanti, qui tota nocte cum ſuis in itinere fuit, vt ab Valſteinio accerſitus, poſſit certamini intereſſe. Vndè licet maturè aduenerit, & Guſtauus Rex à ſuis militibus occiſus fuerit, tamen & ille ipſe in eadem acie occubuit, & multi ex militibus eius cum ipſo interierunt. Nam labore itineris defatigatus & anhelus miles, difficile ei reſiſtere poteſt, qui viribus integris, & animo parato ad pugnam in acie expectat, aut debilitatum in ſomnio inediaq; curatus omnibus aggreditur. Hoc & veteres declinarunt, & ſuperiore ætate, cū Turcicis belli Chriſtiani Duces per imperitiam non cauiſſent, pluribus in locis (vt de Caniſia nihil dicam) exercitus perdiderunt. Impar enim cōditio eſt, laſſum cum requieto, ſudantem cum alacri, currentem cum eo qui ſteterit inire conflictum. Præſertim ſi Imperator ignorauerit, quem cui in prælio opponendum eſſe cenſeat: nā alij equitatu valent, vt Turcæ, Scythæ, Arabes, Perſæ, Hūgari, Moſcouitę, Poloni, Croatæ, alij peditatu, vt Itali, Hiſpani, Germani, Heluetij, Bataui, & totus pleruſq; occidens. Quibuſdam primo impetu vis magna, quam reſiſtendo confringas facilè: quibuſdam animus & vis in pugna augetur; nec vlla mora aut tædio langueſcunt. Alij labore arduo exanimantur,

mantur, frigore debilitantur, æſtu ſoluuntur; Alij quos nec labor inſolitus, nec æſtus, nec locus aſper, nec frigus, nec temporum iniuria afficit; atq; hoc pro genio cuiuſque nationis, quam vt noſcas, & quam cui opponas, maximi refert.

Fuit quoque veteribus ſæculis mos, parco cibo curatos milites ad certamen educere, vt citatiores ſumpta redderet eſca, & longiore conflictu non fatigarentur inedia. Cæterùm hæc ætate neminem ſcio, qui hoc obſeruet, Præter Coſachos Zaporoſenſes, qui ſiue iter capeſſere volunt, ſiue prælium inire, ordinariè ſummo mane ad capiendum cibum commilitones tympani ſono excitant. Eſt etiam prudentis Imperatoris acies ita diſponere, vt fratres cum fratribus, amici cum amicis, & familiares cum familiaribus ſint vnà collocati: quia ſe inuicem in diſcrimine iuuabũt & ſocius à ſocio fugere erubeſcet. In mutua enim notitia innaſcitur magis omnibus verecundia: qui autem ignorantur, videntur procliuiores quodammodo ad deſidiam, tanquam verſentur in tenebris; nec curat alter alterum iuuare, quia nulla ab eo gratia eſt obſtrictus. Hinc Plutarchus ſacram Thebanorum turmam (quæ aliter Amicorũ turma nuncupabatur) inuincibilem

iudicabat. Hinc apud nos Topororum, Vieniauitarum, Iaſtrzenbeciorum, aliorumq; plurimorũ, qui gentilicijs armis vtebãtur, vexillationes & turmæ inuincibiles fuere, quando nimirum ipſa nobilitas Polona, non per ſtipendiariũ militẽ, ſed perſeipſa bella gereret, & vniuſcuiuſq: Satrapiæ, incolæ, à ſuo Palatino per turmas & cohortes diſpoſiti, inimicum fortitudine ſuperare contenderent. Quapropter etiamnum dum mercenario vtimur, & militem ad ſonum tympani conuocamus, nos legimus, vtile, valdè in inſtruenda acie, per gentes eá nationeſq; diſponere, cùm ob alias cauſas, tùm vt diſcretus labor, fortes ignauoſq; diſtinguat; atq; ipſa contentione decoris accendantur. Idq; ita, vt exteri aut mercenarij proximi ſint diſcrimini: tibi ſcilicet ingens victoriæ decus, citra domeſticum ſanguinem bellanti. Sic fecit Henricus Naſſouius in oppugnatione Syluæ Ducis, & poſtea Traiecti; ſeparatimq; Anglos, Gallos atque Germanos poſuerat ad aſſaltus faciendos præmonitos; quiq; operibus & virtute præcellere vellent, æmulationem iniecit. Atque ita ſanguine externo Batauos ſuos victoria beauit.

CAPVT VI.

De Tempore eligendo ad pugnam.

INter alia ad rem militarem ſuo modo peragendam etiam tempus idoneum belli gerēdi veteres proſpiciebāt, qui æſtiuo ſolummodò tempore militabant ordinarie, hyeme verò exercitum ſub tecta ducebant. Et ratio eſt, quod omnis induſtria quoad artē militarem in hoc vertitur, vt Dux ad prælio decertandū omnia accuratè diſpoſita habeat, ſiquidē id bello finem, vel vincendo, vel occumbendo imponit. Iam autē cælo ſæuo, aut pluuio, machinæ bellicæ conduci nequeunt qua voles; miles ſub dio durare non poteſt quantum voles; commeatus & pabulum vel pruna corrumpitur paratus, vel ſi te de loco in locum moueas pro neceſſitate, difficulter inuenitur. Quod ſi verò aptius aciē diſponere noueris, militemq; diſciplina imbutum & algoribus aſſuetum habeas, quin magno hoſtem interuallo antecellas, atq; ad victoriam potior adſpires, vix quiſque negauerit te poſſe hyeme bellū gerere. Quemadmodum toties noſtri geſſerunt in Moſcouia, Liuonia, & Pruſſia. Guſtauuſq; Sueciæ Rex in Germania, cuius milites ex vltimo Septētrione

colle-

collecti, Finni, Gotti, Lapones Germanicum frigus veris loco habuerunt. Etſi noſtris aliquando eam mentem Deus inſpirare vellet, vt Turcam agredi toto conatu velimus, non alio certè tempore, quam brumali, bellum occipiendũ eſſet; partim quòd prouinciæ illæ, verſus auſtrũ poſitæ, nobis hyeme autumnum repræſentarent: partim quod barbari illi non niſi ſtatis temporibus de conſuetudine & lege Machometica in campum prodire ſoleant.

Attamen de prælio publico loquẽdo, caueat Imperator ad manus cum hoſte venire, tempore nimis rigido, aut pluuijs obnoxio, quia nihil tantopere diſponendis ſeruandiſq; ordinibus obſtat, quàm altæ niues, aut pluuijs fracta terra quo tempore etiam nec arcus benè extendi, nec ſclopeta puluere onerari poſſunt, nec denique gradum ordines promouere, ſi in loca aſpera, aut vliginoſa incidas. Præterea nec coadunatum exercitum diu in loco poteris habere, nec machinarum bellicarum rectum vſum: ſed neceſſitate ipſa conſtringeris diſiunctis copijs tecta querere, atque neglecto ordine in vicos, oppida, atq; arces te recipere. Ita euenit Koniecpolſcio, cum Tauricanus in Ruſſiæ prouincias media hyeme incurriſſet, nam frigore intentiſſimo durante, neque mili-

tem maturè è hybernis coadunare poterat, neque fugientem in Valachiam barbarum toto cum exercitu aſſequi. Vix cum aliquot cohortibus ad Neſtri ripam extremum agmen apprehendit, & quam ſecum abducere tam citò prędam non poterant, cæſis non nullis excuſſit; quin & bombardas ipſorũ æneas cæpit. Maior attamen eorum numerus frigoris intenſitate obriguit; quàm fuerint occiſi à noſtris. ChodKieuicius quoque cum totum exercitum de nocte in Turcas ducere vellet, conſurgente ex inſperatò pluuia ingenti, velut è cœlo monitus, non ſuo tempore non belligerandum militem in caſtra reduxit, quod nullum vſum ſclopetorum fore videret.

Idem euenit oppugnantibus non ſuo tempore vrbem aliquam, quibus neceſſe eſt iniuriam tempeſtatum & algoris vincere, vt toties noſtris in Liuonia, & Moſcouia, ſub Stephano Rege, Sigiſmundo III. Sereniſſimoq; Vladislao IV. feliciter nunc imperante accidit, vbi vel maior pars, vel ferè omnes mercenarij intemperie aeris perierunt, non aſſueti nimirum tanto rigori cæli illius. Iam autem ſemper oppugnantes longè maioribus cum dificultatibus conflictãtur tempore hyberno, quàm obſeſſi qui ſub tecto manent; militibuſq; quibus vis tẽ-
peſtas

peſtas in alieno ſolo exitioſior eſſe ſolet, quàm in proprio. Vnde Romani, quibus, conſtitutum erat omnes res in commodum ſuum transferre, quibus tanta induſtria inuigilauerant, non minus hyberna tempora & tempeſtates, quàm montes arduos, locoſq; difficiles, planeq; ea omnia, quæ virtuti exercendæ impedimento eſſe poſſent, fugiebant. Superuentus tamen communiſſime, & applicatio ſcalarum ad muros hoſtiles, nocte tempeſtuoſa & illuni fieri cõſueuit. In qua re maxime Hungari, atque Coſachi Zaporoſenſes valent.

Exercitus igitur. Imperator, dum pugnandum eſt, quantum licet ſtudeat, vt nec pluuio cælo, nec rigido gelu in aciẽ deſcendat. Præterea vt nec ventum, nec ſolem patiatur iniquum. *Hic enim fulgore*, inquit Zeuecotius, *excæcat ille, puluere, & vi ſimul ſua pugnantium telis, vel adimit impetum vel addit*. In eo, quod ad Blancyum commiſſum eſt, prælio, Maximiliani Imp. exercitus præludia ante pugnam infauſta expertus, tam diu ſe conuertit, dũ à ſole iniuriam pati non poſſet, & eo pacto nobilem victoriam obtinuit. Eodem ſtratagemate Gandenſes, quorum quinque tantũ millia fuerunt, Ludouicũ Comitem quadraginta millibus inſtructum ſuperarunt, & Brugenſem ſimul vrbem ſui iuris fecerunt.

Quo ad ventum verò, ſolent noſtri milites præſagire, ſemper inferiores fore illos, qui ventum ſibi contrarium habent. Cumque olim Camalam Iudeæ vrbē inuaderet Titus, turbine, qui obſeſſorū tela in mittentes reflectebat, adiutus maximè fuit. Sed loquamur etiā de loco ad publicum certamen apto.

CAPVT VII.

De Loco eligendo ad pugnam.

BReue monitum ſed permagnæ vtilitatis, apud Liuium. *Tuum & hoſtium exercitum, locorum ſitum, naturam regionis noſce.* Niſi enim benè noueris hoſtium vires conſilia, & prouinciæ in qua bellum geris, genium, nequaquam meherclè proficere poteris. Quod ſi verò loco iniquo aciem tuā locabis, abſq; dubio victoriam tuo aduerſario volens ac lubens concedes. Antiqui hac in re cauti fuere. Sed & viciniore ætate Fridericus Barbaroſſa apud Germanos hac in parte laudatur. Apud nos verò Nicolaus Melecius, qui cum paulò ante exceſſum Sigiſmundi Auguſti, Bogdanum exiguis cum copijs in Valachiam reduceret, expulſum à Turca, præterquē opinionem numeroſiſſimis barbarorū copijs circūuentus eſſet, quia & aduer-

ſariorum morem, & regionis naturam probè nouerat, vſus locorum oportunitate & tempore pro ſua prudentia, incolumem exercitum in Poloniam, & victorioſum reduxit. exq; eo ſibi in poſterum ingentem virtutis & ſcientiæ rei militaris gloriam parauit.

Locus itaque conſiderandus diligenter, vtrum inimicis, an tibi videatur accomodus: bonũm enim Ducem conuenit noſſe magnam partem victoriæ, ipſumq; locum in quo dimicandum eſt, idoneum eligere & poſſidere; quia ſæpè amplius prodeſt locus, quã virtus. Propinqua autem munimenta aut mœnia, quanto plus ſpei ad effugium, tãtò minorem ad reſidendum animum dare ſolent. Olim Carthaginenſes fuerunt, à Marco Regulo multoties in Africa victi, quod neſciuerint locum ad pugnã eligere, & ſemper in vicinia alicuius vrbis confligerent: vnde milites ipſorũ primò congreſſu territi aut diſſipati, ſtatim ad munitiones confugiebant. Quapropter vocatus è Græcia Xãtyppus Lacedæmonius, monſtrauit eis errorem inquiens: non fortitudine Romanorum ſed loci commoditate fuiſtis victi, quia non in æqualibus locis prælium commiſiſtis, vbi Elephantes veſtri, & equitatus quo abundatis potuiſſet eos proterere; ſed in locis aſperis, vbi Romani, & pe-

& peditatu plus poterant, & inſidias inter colles facilè locabant. Præuenire itaque Dux in loco capiendo idoneo aduerſarium debet, ne deinde cogatur in loco incommodo & ſibi nociuo pugnare, vti fecit Iulius Cæſar, Afranio, Petreio, atque Pompeio ipſi, qui maximè exiſtimationis Dux fuerat. Tu igitur eorum exemplis monitus, elabora quã diligentiſſimè, vt conſerturus manum primùm auxilium capias ex loco, qui tanto vtilior iudicatur, quanto ſuperior fuerit occupatus: in ſubiectos enim vehementius tela deſcendunt, & maiore impetu obnitentes pares altior pellit, qui aduerſo nititur cliuo, duplex ſubit, & cum loco, & cum hoſte certamen. Ne ſit tamen locus nimium elatus, quia ſclopetis & tormentis æneis expoſiti eſſent milites; ſed leuiter decliuis, & ad procurrendum, tàm equiti, quàm pediti facilis. Quales cum paſſim in omnibus terris, tùm precipuè in Valachia & Podolia natura, quaſi Marti velificans feciſſe videtur; vbi nuſquam quies, ſedaſſiduæ aut barbarorum incurſiones, aut ciuiles motus. Quod ſi igitur de peditibus tuis victoriam ſperas contra equites hoſtium, loca aſpera, in æqualia, mõtoſa, & ſtricta debes eligere. Si verò de equitibus tuis contra aduerſariorum pedites victoriam quæris, ſequi debes

paulò

paulò quidem editiora loca,ſed plana atque patentia; neque ſyluis, neq; paludibus impedita. In quo tibi ſubminiſtrabunt doctrinâ prælia Alexandri Magni, & Iulij Cæſaris, ſi diligéter notaueris.

Qualemcumque autem locũ nactus fueris, aut coactus ſumpſeris, vide vt de equitibus ſupernumerarijs, mixtis peditibus expeditis, poſſis aduerſarium circuire, & à tergo aut latere inuadere: tuá verò acié ita collocare, & vt cornua ſint ſecura, & occipicium. Quare tres ſemper duces conſtituas; *vnum in parte dextra*, qui & conſilio regere, & auctoritate ad pugnam poſſit hortari; *ſecundum in media acie*, qui fortiſſimos pedites ſecum habeat, de quibus aut ipſe cuneum faciat, & hoſtium aciem rumpat, locoue meliore pellat: aut ſi aduerſarij cuneũ fecerint, & de loco potiore in eum procurrerint, ipſe forficem faciat, vt cuneo illi poſſit occurrere; *tertium denique in ſiniſtra parte*, qui ipſe bellicoſus, & prouidus, velociſſimos tàm equites, quàm pedites ſecum habens, ita cornu ſuum ſemper extendat, ne circumueniatur ab hoſtibus Quod ſi verò vtroque cornua tua montibus aſperis, aut fluminibus, aut lacubus munita fuerint, eo ſecurius hoſtem à fronte inuadere, & loco ſuo pellere poteris.

Hoc auté obſeruabis, ne clamor prius

atto-

attollatur, quàm acies ſeſe iunxerint, quia ſolent concauæ rupes ſæpiùs repetitas voces reddere, & turbare militem, quaſi ab infinito exercitu prolatæ fuiſſent. Sic Macedones intra ſuos montes à Romanis vociferantibus conſternati, Regem & Regnum vno prælio amiſerunt. Sic Turcæ à Vladislao Poloniæ & Hungariæ Rege, clamoribus intra mõtes Bulgariæ perturbati, victoriam illi inſignem præbuerunt. Sic Stephanus Valachiæ Regulus. Sic Scanderbegus Epirotarum Princeps, eoſdem barbaros inter cauas rupes de nocte clamore ſublato multoties vicerunt, vt hiſtorias legentibus videre eſt. Sed nos quoque videamus quam alacer ad pugnam miles venire debeat.

CAPVT VIII.

De Alacritate pugnandi.

CAto Senior, quando docebat iuuenes intrepidè pugnare, ſæpenumero dicere ſolebat. *Verba plus quam gladium, & voces plus quàm manum, hoſtes in fugam vertere attonitoſq; reddere.* Et talem militem Catonianum fuiſſe, M Coriolanum Plutarchus ſcribit; videlicet non manu tantùm promptum, ictuque timendum, ſed & vocis ſono, & aſpectu

hoſti

hoſti terribilem. Cum igitur Imperator militem & voce & vultu, geſtuq; alacrem videt, de futura victoria benè ſibi ominatur. E contra miles alacriter Ducem ſe in aciem producentem conſpicatus, certam ſibipollicetur victoriã, prædam, & gloriam. Quod ſi itaque Dux ab hilaritate ſuorum militum, præcipuè veteranorum, capit internum ſolatium, & audaciam in hoſtem multo magis miles à ſereno vultu Ducis ſumit ſpiritus, robur, & fortitudinem, quem diligẽter conſiderat, dum ad pugnam procedit, & magnitudine animi illius perſpecta, omnia ſibi facilia ex difficillimis facit. Proinde ne ipſos cõtriſtet, aut facie pallida conturbet, neceſſe eſt etiam in aduerſis frontem hilarem monſtrare: quòd maximè apud Romanos Papirius Curſor, & Scipio Africanus facere ſolebant, ſuaq; alacritate ita milites animabant, vt nuſquam ex acie niſi victores deſcenderint. Apud nos tres eiuſdem nominis Reges Boleslai, hac ex parte laudatiſſimi fuere: quorum alter Audacis cognomen promeruerat alter Chrobrus, quaſi temerarius & aduerſæ etiam fortunæ obtinẽs ab aduerſarijs appellatus fuerat; tertius Criuouſtus, ab ore diſtorto, ab hoſtibus per opprobrium vocabatur, quod ſub eo miles nuſquam in aciem deſcendens

tituba-

titubauerit, ſolo vultu ipſius ac voce animatus. Noſtra etiam ætas Chod-Kieuicium in perterritum Ducem vidit & cui vulgare erat ipſo aſpectu excitare milites ad pugnam, licet aduerſarij eum decuplo copijs ſuis ſuperarent. Quare ad maiorem fidentiam ſuis militibus monſtrandam nuſquam galeam aut thoracem induebat, ſed nudato brachio, cum gladio euaginato, vt primus velitationes incipiebat, ita & ad congreſſum haſtatos ſuos præcedebat. Stanislaus verò Koniecpolſcius, tàm contra Turcas aut Scytas, quàm etiam cõtra rebelles Coſachos & Suecos, ſplendidè veſtitus, penniſq; exornatus acies ducebat, vt vel ſic animi ſui magnitudinem, & alacritatem pugnandi, tam hoſtibus, quàm militibus ſuis declararet, qui ex vultu triſti, & tardo inceſſu Ducis ſui malum omen ſumere ſolent, vt accidit Marchioni Vaſtio ad Ceriſolam. Quem Germani ſui conſpicati triſtem & abiectum, ſtatim animos deſponderunt, & ab aduerſarijs aggreſſi, ex acie ſubito diffugerunt. Leonidas Græcorũ omnium aduerſus Xerxem Perſarum Dux, tantæ fiduciæ ſeu audaciæ erat, vt cum imperaret ei Xerxes cum grandi exercitu veniẽs & inquiens, *mitte arma* reſpondit in corona militum ſuorum, *veni & cape*. Atque ita eo reſponſo milites

lites

lites ſuos ad pugnam alacres reddidit, vt venienti fortiſſime reſiſteret. Sæpiſsimè enim animoſorum virorum verba magis, quam haſtæ vecordiũ territant. Hinc prudenter Hannibal ad Cannas manus cum Romanis cõſerturus vnico reſponſo terrritos ſuos animauit, & ipſe alacriter ordines diſponens, omnes ad præliandum alacres fecit. Quum enim cum Giſcone ſuo amico collem quédã conſcendiſſet, & Giſco conſpecto exercitu Romano totus conſternatus, cæpiſſet ad Hannibalem loqui, quòd Romani & multi eſſent, & mirabiliter armati proinde abſtinendum eſſe céſeret à prælio vniuerſali, ſed inſultibus & leuioribus prelij primùm tentandos putaret. Cui Hannibal ſe vehementer admirari reſpondit, quòd inter tot millia Romanorum nullum Giſconem videret. Riſerũt ad hanc vocem Hannibalis circumſtantes, & quod eorum Dux in tali neceſsitate quaſi ſpernendo hoſtem iocis vteretur futurę victorię omnẽ ſumpſerũt. In caſtris quoque Polonicis ad Chotimiã, multis bellis exercitatus Vir Simó Kopicinius, cum primum aſſaltum Turcarum ie caſtra noſtra perrũpere conãtium conſpexiſſet totq; bombardas (a multis annis ſurdaſter) reboantes, & tot centena barbarorum millia clamantes exaudiſſet, conſcenſo eminentiore loco
ſin-

ſingula benè contemplatus, ad circumſtantes dixit, ſe vidiſſe iam aliquoties proceſſionem ſolemnem die Corporis Chriſti, Cracouiæ, nuſquam tamen ſimilem apparatũ notaſſe. Riſerũt commilitones, & ioco ipſius ad præliũ excitati, cũ ingenti alacritate ſecuti ſunt eũ, & barbaros ab oppugnatione valli, tota die ſtrenuè ſubmouebant: quia viles tãtum modò ardua terrent, & quibus cor in calcaneo eſt, ſtrenuos verò & fortes, ſtimulant & inuitant ad gloriam. Hinc lex Aegyptiorũ præcipiebat, vt fortiſſimus quiſq; cantharon, id eſt, ſcarabeum in annulo ſculptum gereret: hoc enim animal ſine fœminis eſſe aiunt; ita legumlatore innuente, mares minimeq; effœminatos eſſe oportere, qui ſtrenuè pro patria eſſent dimicaturi. Sed ſi conſternati fuerint milites quid faciendũ?

CAPVT IX.

De Metu militum.

M*Etus eſt futuræ ægritudines ſollicita expectatio*, inquit Cicero, cui ſubiecta ſunt pigritia, pudor, terror, timor, pauor, Exanimatio, conturbatio, formido, & ſi qua ſunt de genere eodẽ, quæ in perculſos metu aliquo milites cadere poſſunt. Iá autem nullus timorijs incuti

poteſt, qui honeſtè occumbere, quam turpiter viuere, ſatius atque prius putant. Hinc optimus quiſque miles, qui patriæ defendendæ incenſus ſtudio nobilem ex armis gloriam quærit, otij impatiens ad naſcentium bellorum famã exhilareſcit, gaudiumq; concipit. Nihil volupe magis habet quàm premere equum calcaribus, obtegere crinem caſſide, concurrere cum hoſte aduerſo, euadereq; in hoſtiles muros pro gloria, & victoria nullum laborem, periculum, extimeſcere. Qui autem nõ timet mori ille nihil timet prorſus. viliſſimoſque cuique creſcit audacia, ſi ſe timeri ſentiat. Inde Romani timoris Deum colebant, ſacra faciebant. Nam facilius eſt impetum ſiſtere torrentis, quam cohibere gradum militis ex prelio fugientis. Sępeq; accidit, vt cum ſemel vehemens aliquis mentes hominum inceſſit timor, etiam ijs quæ timenda non ſunt, animi eorum magnopere perturbentur. Caroli VIII. Galliarum Regis milites in reditu ex Italia, ſaltus montium à Venetis obſeſſos videntes, grauiſſimum ſibi impendere caſum arbitrabantur: & pluuia nocte ſequenti adaucta, crebriſq; corruſcationibus, ac terrificis tonitruis timorem conduplicantibus, vltimam iam ſibi noctem illam fore exiſtimabant, & nec diffugere audebant,

debant, nec hoſté expectare. Flaminio autem ad Aretium cum Annibale congreſſo: tanta perturbatio tantuſq; terror milites Romanos inuaſerat (ſub noctem enim mediam multum ſibi fidentes eos aggreſſus erat) vt terræ motus, qui tum fiebant, non ſentirent, quamuis multa ædificia corruerint, multi montes partim finderentur, partim collapſi valles complanarent, & flumina veteribus alueis excluſa, alio verterentur.

Si itaque pauor aliquis aut metus exercitum inuaſit, vel quia noua ſociorum acceſſione, hoſtium numerus accreuit: vel quia potior quodammodo genius illorum videtur, tum maximè Imperator, hilarem, lætum, ac intrepidũ vultum militibus oſtendat. Nam ad Imperatoris adſpectum, quaſi ad exemplum cæterorum animi conformantur. Ita Carolum ChodKieuicium in ſummis interdum anguſtijs, in Liuonia præſertim, conſtitutum, ſemper animo infracto, hilari ac læto, velut alterum Fabium Dictatorem, contra Hannibalem pro Imperio decertantem, nouimus; quem & in Moſchouia deinceps, atque Valachia contra Turcas, etſi aduerſa valetudine conflictatum & morti iam vicinum, attamen ſemper grauẽ vultum, & iras in hoſtem ſpirantem vidimus. Stanislaum verò ZolKieuium

in pugna Cetzorenſi magnitudine barbarorum vix non oppreſſum cum tota acie, non aliud quidpiam quàm animi magnitudo iuuit, vt paucis ex ſuis deſideratis, omnia ex integro ſigna in caſtra reduxerit. Cumque ſub veſperam copiæ Turcarum, Præcopenſium Tartarorum aduentu auctæ fuiſſent, trepidantibus panico pauore de nocte cunctis, & caſtra cum Ducibus deſerere volentibus. ZolKieuium vultũ compoſuiſſe ferunt, magiſq; iactabundorũ antea Tribunorum metũ & fugam riſiſſe, quã vt decorem, aut animi cõſternationem præ ſe ferret: qua generoſitate innata, ac ſagacitate, animos militum ac Ducũ ſuorum conſeruauit, perq; dies octo ad limina patriæ retrocedendo, barbarorũ multitudinem ſuſtinuit. Non de nihilo itaque Seneca ſcripſit. *Duci rebus afflictis hilaritatem de induſtria ſimulare, & aduerſas res adumbrata lætitia abſcondere, ne militum animi, ſi fractam Ducis ſui mentem viderint, & ipſi collabantur.* Iam autem *ſemper in bello*, vt Salluſtius inquit *ijs maximum eſt periculum, qui maximè timeat: audacia pro muro habetur.*

Et quia timor varijs hominum ſermonibus celeriter augetur, ideo falſorum rumuſculorum auctores Imperator coerceat, præſertim talium, quibus milites plerumq; animis cadunt. Reli-

qua

qua prudenti ratione diſſuadeat. Cum Guilelmus Orãgius ingenti exercitu in Germania collecto contra Albanum in Belgiũ veniſſet, poſitiſq; caſtris ad Moſæ ripam, haud procul Traiecto, omnes prouincias fama ac terrore compleſſet, ita vt metum inde Hiſpanus miles conciperet. Albanus mirus bellicorum diſcriminũ diſſimulator quiq; nihil magis timebat, ne timere videretur, adeò famam illã in ſpeciem contempſit, vt Cẽturioni copias hoſtiũ ſollicitè denarrãti amplificantiq; conſpirationem tot Principum Regumq; placidè reſponderit. Scire ſe quantum illud demum ſœdus eſſet; nec magnopere timendum, ab ea rebellium coniuratione, contra quam Rex Hiſpaniæ fœdus longè maius inierit, cũ Rege Neapolis, Siciliȩ, Sardiniȩ, Duce Inſubriæ, Burgundiorum, Belgarũ præter Peruuij, Mexici, Braſilis, Philippinarumq; Inſularum Reges. Hoc autem differre vtrumq; fœdus, quòd in illo Hæreticorum fœdere, nationum ingeniorumq; ſit, diſſimilitudo; & (ſi cætera deſint) propria cuiuſq; vtilitas diſſenſionem, mox & diſſolutionem ſocietatis eſſent allatura. In hoc autem fœdere Regis Catholici, omnibus lubere, quod vni lubeat, eoque æternum fore.

Quod ſi verò nimis abiectos & afflictos

milites Imperator deprehendat, roboret eos & confirmet ſpe bona, ſubſidia inquiens ſub manu eſſe, eaq; mox præſto futura, vti fecit Stanislaus Lubomierſcius ad Chotimiam; cum enim rei annonariæ penuria miles premeretur, multiq; ex obitu Ducis ChodKieuicij conſternarentur, ille Legati munere fungens, primò Regem cum tota nobilitate aduentare dixit, qui iam Leopoli ſolueret, & affatim commeatus ſecum adferret. Deinde è Coſachis Zaporoſenſibus aliquos, habitu & moribus atque loquela Coſachis Donenſibus (qui Moſchouitarum Principi ſubſunt) per quam ſimiles, in medium produxit, & aſtu inſtructos, legatos eſſe à Donenſibus ad Zaporoſenſes dixit, qui amicis ſuppetiatum venirent viginti millia & amplius, iamque in proximo caſtra habere. Suſtinerent igitur pauliſper, nec barbarorum multitudinem exhorreſcerent, qui ad moſtrandam ſuam numeroſitatem, & incutiendum nobis timorem, bufalos de longinquo diſpoſitos in ordines, eiſq; impoſitos gramineos manipulos veſtibus loco ſeſſorum cōtectos & haſtis armatos monſtrarent. Ad cuius rei certitudinem, captos nonnullos in medium produxit, atque ita titubantibus metu audaciam auxit.

Optimum quoque eſt, præmonitos
eſſe

eſſe milites, vt ij apud quos initium pauoris fuerit exortum, quieti in loco ſe contineant, donec ab Imperatore aliquid in mandatis habuerint: præſertim ſi quid ex inopinato interueniret. Nam benè Tacitus ſcribit, *Primi in omnibus prælijs oculi vincuntur*: conſpectaq; re aliqua nobis periculoſa inſperatè, ſic vertimus terga quemadmodum illi, quos puluis motus fuga pecorum, exuit caſtris. Cũ Aquileiam obſideret Attila, qui ex occulto cuniculo eruperant milites, & eũ paucis comitatum inuaſerant: poſtea confeſſi fuere, nulla ſe re magis perterritos fuiſſe, quàm ſcintillis ardentibus, quas expugnantis Attilæ, illis tũ ignoti, oculis emicare notarant. Similiter cũ in Gallia Belgica Iulius Cæſar dimicaret, & ab hoſte raptus, equo eius portaretur armatus, occurrit de hoſtibus, qui eum noſſet, & inſultans ait, *Cecas Cæſar*, quod Gallorum lingua vetere, dimitte ſignificabat. Ibi ſolo Cæſaris nomine audito, Gallus adeo pauore conſternatus fuit, vt dimiſſo captiuo, hanc vnam ob cauſam equo delaberetur.

Sed & ſpectris interdum oculi pugnantium turbantur, non tantùm Ducũ famoſorum præſentia & vultus grauitate. Cum regnante Machomete II. Scordam Illyrici vrbem munitiſſimam

Turcæ oppugnarent, à viris ſtatura humana maioribus à tergo ſe inuaſos dicebant. Sueci in Liuonia itidē Volmariã intercipere conantes, Euſtachij Tiſkieuicij opera, qui cum octo equitum cohortibus eam præſidio tenebat, acie aperta cæſi fuerunt, ſeptemq; ſuorum millia in eo prælio amiſerunt, affirmantes ſe ruptos fuiſſe ab equitatu quodam albo à latere dextro venienti, qui eos acie in Gauiæ fluuij glaciē pepulerant, vbi maxima eorum pars ſubmerſa fuit. Quapropter in id maximè incumbere debent Imperatores, vt quantũ eſt poſſibile ſuos contra iſta muniant, metũ excutiant, & nulla eorũ animos ſuperſtitione capi permittant. Paulus certè dũ cũ perſe pugnabat, ne terrerentur milites, imminens Lunæ deliquium, non indicari tantùm à Tribuno militibus, ſed & cauſas illius iuſſit explicari.

CAPVT X.

De Adhortatione facienda ad milites.

MIlitem cuius manibus ſeruanda eſt Reſpub. oportet excitare ad prælium vehementi aliqua oratione, eundem commonere ad exercitiũ militare. Studioſius enim oportet ſcientiam dimicandi, vſumq; rei bellicæ, iugibus exer-

exercitijs cuſtodire, quàm mæchanicas artes propter exiguam mercedem, aut fauorem plebis, quotidiana meditatione conſeruare;quòd militi contingat uō tantùm glorioſa victoria athletæ, ſed etiam amplior fama vt hoſtiū ſpoliatori: & quidem ad opus ac dignitates ordo militiæ,& Imperatoris iudicium cōſueuit euehere. Propterea Spartæ hunc morem fuiſſe accepimus, vt quotieſcū que è caſtris educeretur exercitus ad prælium,in Regium tabernaculum milites conuocarentur,vt audirent Tyrtæi carmina,in quibus erant conſcripta belli conſilia,damnorum ſolatia,incitamēta virtutum : eorumq; inflatu atque inſtinctu,è veſtigio non fortem tantùm, ſed gaudentem etiam ac libentem animum offerrent ad mortem pro patria, ſi opus eſſet,oppetendam.

Quoniamitaq; monitis, & oratione Ducis exercitui virtus accreſcit & animus, ideo ipſi partim ignauia inimicorum,partim error oſtendendus eſt, partim commemorādùm quomodo antea à nobis ſuperati fuerunt. Qualiter fecit in ſua cohortatione Poſthumius Cōſularis, qui cum interrogatus eſſet à militibus,quid imperaret? dixit, vt ſe imitarentur. Et arrepto ſigno hoſtes primus inuaſit,quem ſecuti, victoriam adepti ſunt. Dicenda etiam quibus mili-

tum menteſodio aduerſariorum in irã, & indignationem moueantur, vt fecit paulò ſuperiore ſæculo Iuonia Daciæ regulus, cum è Polonia Coſachos Zaporoſenſes in ſubſidium contra Turcas euocaſſet; qua ſanè oratione etiam plebem Valachiam (alias natura mobilé, & fraudulentam) diuerſarumq; gentiũ militem ita commouerat in fœdam illã gentem Machometanam, vt eos ſibi in perpetuum fideles & conſtantes efficeret; obtineretq; breui ſpacio memorabiles de barbaris victorias. Animis enim penè omnium hominum hoc naturaliter euenit, vt trepident cum ad conflictum venerint: ſed hoc remedio formido lenitur, ſi antequam dimices, frequenter exercitum tuum idoneis exhortationibus confirmes, & locis tutioribus ordines, vnde & videre hoſtem, & agnoſcere conſueſcant: inimicorum mores, aduerſariorum arma & equos recognoſcant & interdum audeant aliquid ex occaſione, aut fugent, aut interimant inimicos. Nam quæ ex vſu ſunt, non timentur. Sic Albertus Laſcus paucis cum cohortibus Moldauiam ingreſſus, cum Alexandrum Principem Prouinciæ priuata aothoritate cõſtitueret, primo leuioribus certaminibus cũ Turcis milites ſuos ad audendum maiora aſſueuit, deinde animatos adhortatione,

tione, publico prælio decertauit,& inſigni clade barbaros affecit. Sic quoque Leſniouius Moſchos ad Neueliam profligauit, Zoborouius Gedanenſes ad Derſauiam, ChodKieuicius Suecos ad Kircholmiam,Chmielecius Scythas ad Burſtinum, & alij alios hoſtes ſuos.

Nonnulli verò Duces vltra exhortationes factas, ſacramento etiam ſuos milites ſolent obſtringere, ne excederet è prælio. Ita M. Fabius Conſul iurare ſuos iuſſit, cum prælium cum Tuſcanis inire vellet. Ita L. Paulus, ita M. Varro, Aſdrubal, & alij, præcipuè Germani & Saxones.

Alij, ſola laude militem ſuum excitarunt in hoſtem & obtinuerunt victoriam, vt Vitoldus de Tartaris ad Boryſthenem, Seciechus de Pomeranis ad Choiniciã, Corecius ad Iaſſos de Turcis, & alij de alijs, quòd nimirùm dixiſſent, Polonum eſſe non numerare hoſtem in campo. Sed & C. Cæſar aduerſus Germanos & Regem Ariouiſtũ pugnaturus confiſior animis pro concione dixit, nullius ſe eo die opera, niſi decimæ legionis vſurum: quo aſſecutus eſt, vt & Decumani tanquam præcipuæ fortitudinis teſtimonio concitarentur, & cæteri pudore, ne penes alios gloria virtutis eſſet.

Alij item Duces ſolent explicare mi-

litibus ſuis ignauiam inimici, defectus armorum, iuſtitiam bellandi, & modū ad pugnam procedendi, vt rebus cognitis & perceptis eſſent animoſiores, & ſcirent quomodo aggredi ſuum aduerſarium debeant. Ita Marius captos in velitatione Cimbros ſuis militibus mōſtrabat, & imperitiam tractandorum armorum oſtendebat. Ita Iulius Cęſar in Africam tranſiturus, ne milites Elephantos quibus hoſtes abundabant, extimeſcerent, curauit aliquot in Italiam adduci, vt milites viderēt; & quomodo eos ferire & occidere deberent, attrectando addiſcerent. Ita ChodKieuicius bello Chotimenſi camelos & dromedarios, quibus Turcę maximè vtebantur, adduci in caſtra ſua Coſachis imperauit, vt milites adductis ad eos eqnis ſui, timorem eis per aſſuetudinem excuterent.

Hinc ſanè operepretium eſt Duces in oratoria facnltate pollere: nam niſi vniuerſum exercitum alloqui poſſis, & ſiniſtram quandam opinionem, quæ vel bono publico, vel ſententiæ tuæ aduerſetur, multitudini eximas, vix quidquā ex animi voto tibi ſuccedet. Siquidem oratione metū adimimus, inſidias detegimus, belli cauſas exponimus, prœmia pollicemur, pericula vt inſtent, vt deuitentur, demonſtramus; reprehendimus, ornamus, minitamur, ſpem fouemus,

mus, laudamus, vituperamus: atq; adeò ea omnia perficimus, quarum medio humani affectus, aut reprimi aut accẽdi queant. Neceſſe itaq; eſt, vt milites Ducem orantem frequenter audiant, atq; hic ipſos aptè alloqui nouerit, maximè excitando ad prælium. Qua in re vt ſcribit Suetonius, ſuperabat omnes quot quot ante eum fuerunt maximi Duces, Iulius Cæſar: ſed & Scipio Africanus plurimum ſua ſuada in caſtris valebat. Et viciniore ſæculo Georgius Scanderbegus: Alphonſus Magnus, Nicolaus Picininus, & apud nos Magnus Zamoſcius.

CAPVT XI.

De Acie hoſtium turbanda.

VTile quoque eſt ſimulatione adhibita, cum virtute hoſtem acie pellere non poſſis, vanos interdũ rumores ſpargere, quo vel noſtri excitentur tempore prælij, (aut imminentis periculi) vel hoſtes percellantur, noſtrorum præſertim virium ignari. Inter alia verò ſingat Imperator noua ſubſidia venire, atque ſic ſuos confirmabit, hoſtes verò magnopere conturbabit. Ita fecit Papyrius Curſor filius Conſulis, cum æquo Marte aduerſus obſtinatos Samnites con-

concurrerent: qui ignorantibus ſuis, præcepit Spurio Naucio, vt pauci calones & agaſones mulis inſidentes, ramoſq; per terram trahentes, à colle tráſuerſo magno tumultu decurrerent: quibus proſpectis proclamauit victorem adeſſe collegam, vt occuparent ipſi præſentis prælij gloriam. Quo facto & Romanis fiducia concitatis propellere facilè erat, & propulſi terga vertere ſtatim. Simili ſtratagemate Chodhieuicius in Suecos vſus, qui lixas omnes & agaſones in ordines diſpoſitos inſcijs ſuis militibus, à latere cum ſignis militaribus venire iuſſit caſtris ſuis omninò deſertis, iuſſitq; proclamari, vt hoſtes etiam exaudire poſſent, Ducem Radiuillum cum auxiliaribus copijs venire. Atque ita Polonis pugnantibus animus creuit, Suecis verò, qui multò plures fuere metus & animum & vires excuſſit, membraq; debilitauit, ita, vt à tribus millibus noſtrum, quatuordecim millia aduerſariorum fuerint cæſa. Eodem aſtu & Liſouiani Coſachi in ſubſidium à Sigiſmundo III. miſſi contra rebelles Bohemos Ferdinando II. Imp. vſi ſunt, adq; Vſtopeciá Morauos profligarunt, lixis & calonibus à tergo circummiſſis; qui pugnantibus ſuis quaſi nouæ cohortes, oſtentare ſe de longinquo cæperunt, & turbatis re

inopi-

inopinata Hæreticis tantùm terrorem incuſſerunt, vt iam penè victores fugere debuerint. Tantùm perſæpè vtilitatis adfert, ſuos & hoſtes iuxta decipere; illos quidem fauſto, iſtos verò luctuoſo mendacio.

Iuuat quoque interdum, ſi longiuſcule diſſitus ſit hoſtium Rex, aut Dux, vt Imperator proclamet Ducem hoſtiũ occiſum eſſe: idq; ita contenta voce, vt hoſtes quoq; exaudire poſſint. Commilitones enim qui ſuos virtute præſtantiores hoſtibus eſſe audiunt, duplo fortioribus ac promptioribus animis roborantur. Contra, hoſtium vires, ſtrage ſui Ducis percepta, metu debilitati cõcidunt. Quin & aliquando ad huiuſmodi rumorem illico in fugam ſeſe dant. Ita Valerius Leuinus aduerſus Pyrrhum, occiſo quodam gregali, tenens gladium cruentem, exercitui vtrique perſuaſit, Pyrrhum interemptum. Quamobrem hoſtes deſtitutos ſe Ducis morte credentes, conſternati à mendacio, ſe pauidi in caſtra receperunt. *In bellicis enim rebus*, inquit Liuius, *parua ſæpè momenta in ſpem, metumue, militum impellunt animos*. Ita Hiſpani contra Hamilcarem, boues vehiculis adiunctos, in prima fronte conſtituerunt, vehiculaq; tedæ, & ſerui, & ſulphuris plena, ſigno pugnæ dato, incenderunt: actis deinde

in

in hoſtem bobus conſternatam aciem perruperunt.

Aliquando etiam ſi in dextro ſuorũ cornu eſt, exclamet Imperator, milites qui in leuo ſunt, dextrum hoſtiũ cornu viciſſe: ſi in ſiniſtro ſit, dicat ſuperiores eſſe in dextro: ſiue id ita verè fiat, ſiue ſecus, *Neceſſarium enim*, inquit Onoſander, *mendacium dici oportet, vbi certamen exiſtit ingens*, vt poſſit victoria frui.

Cauendum attamen vt docet Io: à ChoKier, ne crebro ſimulationum fallacijs exercitus aſpergatur, id quod Cyrus etiam apud Xenophontem monet. *Si quis frequenter bonorum expectationes injiciens fefellerit, vir huiuſmodi, ne tum quidem poteſt perſuadere, cum ſpem veram attulerit*, vt accidit Maximiliano Auſtriaco, ad Biciniam in Sileſia cum Zamoſcio decertanti, nam cum videret ſuos nimiùm trepidare, non poterat perſuadere, quibus toties recẽtia auxilia apud Cracouiam fruſtra promittebat, vt impetum paucorum Polonorum tantiſper ſuſtinerent, donec Hungari aduenifſent, qui iam reueta in proximò octo millia equitum fuerant. Sed clade Germanorum audita ſtatim diffugerant, metuentes periculum ſimile, quale acciderat Auſtriacis paucos ante dies auxiliũ Maximiliano ad Cracouiam hærenti ferentibus, qui cum tarde venirent

Maxi-

Maximiliano iam apud Cracouiam decertanti, à Gabriele Holubcone Coſachorum ductore apud Rabſtiniam fuerunt cæſi omnes. Quare ante prælium adhuc opus eſt ſuos confirmare, hoſtes verò quam maximè terrere.

CAPVT XII.

De Terrendo hoſte.

SEmper ingenio vtendum, vbi vires deficiunt; nam hoc à natura omnibus animātibus comparatū atq; inſitum eſt, vt quæ eis plurimū obeſſe poſſunt, fugiant ſi robore ſuo ac viribus repellere non poſſunt; homini verò datū eſt ingenium & ratio intellectus vt ee ad ſui defenſionem vtatur, & manus labori nō niſi præuio conſilio adhibeat. Et antequam ad manus cum ſuo aduerſario veniat, omnibus eum modis terreat, vt debiliorem faciat. Perſæpè enim magni alias viri & Imperatores, infeſto aliquo caſu, timore & formidine ita percellentur, vt animum, & fiduciam omnē abijciant. Et in Hierone Syracuſanorum Principe legimus, qui deuictis prælio Syracuſanis Meſſanā obſidentibus, audito falſo rumore de ſubſidijs, quæ illis venire dicebantur, adeo timore perculſus fuit, vt non solùm incenſis caſtris atque

tento-

tentorijs, per noctem Syracuſas fugerit, verum etiam munitiſſima queque loca, quæ in Meſſanorum regione ſita erant, dereliquerit. Variè itaque terrédus eſt hoſtis, modo recentium auxiliorum aduentu, modo pecuniæ & annonæ copia, modo ſimulatione literarum quibus aduerſa de amicis hoſtium ſignificentur: modo crudelitate in deuictos eorum amicos, modò caſu aliquo inopinato; quia nemo eſt tam fortis qui nõ rei nouitate perturbetur. Alij ſola animi magnitudine quæ facilia ex difficillimis facit, hoſtem repulere. Cum Albertus primus Pruſſiæ Dux, contra Sigiſmundum I. Regem Poloniæ Auũculum ſuum arma mouiſſet, multaſq; ciuitates Pruſſiæ vi cępiſſet, accidit vt Reslam quoque obſidione cinxiſſet, & tormentis bellicis magnam murorum partem diruiſſet vt iam ad oppugnandũ & capiendum oppidum militem in ordines diſponeret, Tuorouius vnus è Tribunis Regijs inopinato è ſyluis prorumpens, per mediam hoſtium aciem in oppidum cum mille equitibus euaſit, & ad Albertum tubicinem extemplo miſit, vt nunc ſtatim velit aſſaltum ad mænia facere, & ſecum pro muris fortunam tentare, ſi vir bellator eſt, & tantarum copiarum ſtrenuus Imperator. Albertus viri audacia territus ſtatim
ab

ab obſidione receſſit, & profectione fugæ ſimillima, complures ex ſuis Tuorouio tergo inherente, in itinere amiſit. Sepronius verò Gracchus in Hiſpania olim, cum eum legati Celtiberorum interrogarent, *in quo tandem confideret, quod cum paruo exercitu contra ipſos procederet?* reſpondit, *in optimo milite quē haberet.* Iuſſiſq; omnibus in aciem prodire, circumduxit eos, vt ſuis quæ viderent referrent. Obſtupuerunt attoniti legati, & ita ſuos reuerſi perculerūt, vt ſtatim ad ſua reuerterentur, nec darēt ſuccurſum ciuitati, quam Gracchus obſidebat. Valerius quoque Leuinus Conſul cum intra caſtra ſua exploratorem hoſtium deprehēdiſſet, magnamq; copiarum ſuarum fiduciam haberet, circumduci eum iuſſit: terrendiq; hoſtis cauſā, exercitus ſuos viſendos ſpeculatoribus eorum, quoties voluiſſent petere. Quod etiam paulò ſupra feciſſe diximus Oſmanum Turcarum Imp. cum bellum in Valachia cum Polonis geſſiſſet. Germanicus verò Cæſar Hēricus IV. bello contra Polonos ſuſcepto non modò copias ſuas legatis Polonorū monſtrauit, ſed etiam theſauros. Cæterum vnus ex eis annulum quem in digito tunc habebat, in ciſtam auro plenam imperterritus proiecit, & vadat inquit aurum ad aurum quo tu Cæſar

glo-

gloriaris virtus penes nos maneat qua & tuos exercitus tam ingẽtes cum Deo bono diſſipabimus & auro iſto cras ma, ne potiemur. Conſternatus animo Imperator qui terrebãt, ad vocem legati non aliud quidquam reſpõdit, niſi hopdanK quod Germanis ſignificat, gratias habeo. Atque ex eo tempore cognomen familiæ legati illius Habdanci impoſitum, vſque in hodiernum manet, Imperator verò die ſequenti profligatus, etiam theſauros illos quos legatis oſtendebat, fugiens victoribus prædam reliquit.

Sed aſtu vt plurimum militari & ſtratagematibus, non ſuperbia aut præſumptione, hoſtes, ſunt terendi, qui ficta ſeueritate nihil eſt in viro militari ineptius. Callidis igitur conſilijs, ſed honeſtis vtendum, vt ingenium in te probetur, non verò malitia & fraus aperto exproberetur. Ita Caſtalius in Pannonia terrebat, hoſtem aſtutia, qui vnà cũ Battoreo & Nadaſo, vix quatuor millia habebat contra Turcas, ſingulis attamen diebus venire milites ſimulabat, caſtra indies dilatando, & emiſſos de nocte milites, cum ſalutatione & exploſione tormentorum recipiendo.

Iuuat interdum quoque aggredi hoſtem & præuenire, quam expectare aſſaltum ab illo & oppugnationem, quia ſic

ſic monſtratur animus hoſti, qui te putat aut numero eſſe potentiorem, aut armis, aut fortitudine, aut ſtratagematibus: atq; ita ſtatim languet animo, cum ad omnia promptum & expeditum videt. Vnde L. Martius dicebat. *Audeamus quod credi nõ poteſt auſuros nos; eò ipſo quod difficillimum videtur, facillimum erit: ſcio audax videri conſilium ſed in rebus aſperis, & ambiguis, fortiſſima quæque conſilia tutiſſima ſunt*. Vbi igitur vi non poſſumus, aſtu agamus, vti Liſander Lacedæmonius facere ſolebat, qui cum maximæ ſagacitatis Dux eſſet, potius ſtratagematibus aduerſarios ſuos vincebat, quàm Marte aperto.

CAPVT XIII.

De Officio militum in acie.

TRia militibus munera eſſe Paulus Hemilius, vt benè Liuius adnotauit, *Corpos vt quam validiſſimum & perniciſſimum habeat. Arma apta. Animum paratum ad ſubita imperia. Cætera dijs immortalibus, & imperatori curæ eſſe.* *Enimuero*, inquit Tacitus, *diuiſa inter Duces militeſque munia, illis arma & animus ſint, iſtis conſilium & virtutis ſuæ regimen relinquant*, quia parendo potius, quàm imperia Ducum ſciſcitando res mili-

militaris continetur. Pulchrum ſanè Braſidæ monitum quamuis breue. *Cenſete hæc eſſe bonæ militiæ Velle, Vereri, Obedire.* Odi curioſos illos aut refractarios, qui iuſſa Ducum interpretari malunt, quàm exequi, in aciem præſertim educti; vbi, cur hoc aut illud faciat non eſt inquirendum, ſed exequendum. Nec enim vnquam conſilia Ducis, iudicio exercitus; ſed exercitus prouidentia Ducis regendus eſt: quia male tunc imperatur, cum regit vulgus Duces. Experientia igitur conſtat nihil magis prodeſſe in pugna, quàm vt milites officio ſuo fungantur, hoc eſt, vt ordines ſeruent], vexillum ſuum cuſtodiant, iuſſa Ducis exequantur, fortiter dimicent, aduerſis non turbentur, non audiant proclamatos ab aduerſarijs in ſuum terrorem aliquos caſus, aut Ducum mortes, & vt verbo concludam cum animo reſoluto & armis ſplendentibus in aciem deſcédant, vt victoria, præda, & gloria potiantur.

Videat itaque Imperator, vt exercitus armis ſplendentibus inſtructus fulgeat, & gladij ipſorum probè acuantur, galeæq; ac loricæ frequenter abſtergantur, ne miles otio torpeſcat & ſordidus in acie compareat. Nam micantibus armorum ſcintillis terribiliores exercitus apparent; multæq; per oculos

ſpecies

ſpecies in animo delapſæ, perterrere aduerſarios ſolent. Turcæ hoc vel maximè obſeruant; & ſublatis in altum gladijs cum clamore ingenti, huc atque illuc eos ad ſolem vibrant, vt qui illorũ prælijs non ſunt aſſueti, conſpecto mucronum tanto ſplendore, incipiant ſtatim animo cadere. Sed & Mario olim, inter alia quæ victoriá de Cimbris pepererunt, fuit quoque fulgor iſte armorum, ſi *L.* Floro credimus.

Præcipuè verò ordines in acie diſpoſitos milites indeſinenter obſeruent, nec vltra magis quàm expedit, aut conglobent agmen, aut laxent. Nam & conſtipati ſibi inuicem impedimento ſunt ad pugnandum; exponunturq; periculo ſclopetorum atque tormentorum bellicorum: & rariores atque interlucentes aditus perrũpendi hoſtibus præſtant, nec ſeſe inuicem iuuare poſſunt. Quapropter æquali legitimoque ſpatio miles diſtet a milite, prẹſertim cum gladios ancipites in manibus, aut bipennes, pilaſue gerunt, vt ſolent armari pedites Polonici & decuriones peditatus Hungarici. His prẹcipiendum eſt, vt ſciant ſubitò duplicare aciem, aut eam quadratam trigonamue repente conſtituere; vel etiam inſtruere orbes, ſi hoſtis in circuitum obequitat. Hẹc ſi iuniores aſſidua meditatione percepe-

rint,

ſint, faciliùs in ipſa dimicatione ſeruabunt, iam autem ratio ipſa docet ſemper in ocio debere fieri, quod neceſſario faciendum videtur in prę̨lio; ſed maximè in hoc inſtruendi ſunt, vt ſciant ordines diligenter ſeruare. Apud Thucydidem Chaones cum cęteros nimis prę̨ceſſiſſent, ſocijs id ignorantibus, a Stratijs profligati fuerunt. Et apud eũdem victores Lacedęmonij dum neglecto ordine fugientibus Athenienſibus inſtant, à iam victis ſuperati ſunt. Nec aliud Corradinum & Regno Neapolitano, & vita exuit, quàm quod Germani vana obtentę victorię opinione ſeducti, ordinibus deſertis, cladi ſe, & vniuerſum exercitum reddiderunt opportunos. Idem illis accidit in prę̨lio cũ Turcis ad Segetum, cum itidem neglectis ordinibus ad ſpolia colligenda conuerſi fuiſſent, à ſuperuenientibus enim Tartaris qui in Sylua vicina occultati fuerant, deleti ſunt.

Eapropter mandatis Ducum ſint in acie milites obedientes, nec diffugiant à prę̨lio tamdiu, quamdiu Duces eos manere iuſſerint, aut retrocedere ordinibus quantum fieri poteſt ſeruatis. Et hanc ob cauſam Clearchus Dux Lacedęmoniorum exercitui dicebat, Imperatorem potius quàm hoſtem metui debere; ſignificans eos, qui in prę̨lio

dubiam

dubiam mortem timuiſſent, certum, ſi deſeruiſſent, manere ſupplicium. P. verò Cornelio Naſica, atque Decimo Iunio Coſſ. qui exercitum deſeruerant in pugna, damnati virgiſq; cæſi publicè venierunt.

Denique vexillum ſuum attentè committentur milites, ſi non præda modò atque victoria, ſed gloria etiam & laude frui percupiunt; ſintq; ſignorum militarium periti; quia nihil magis ad victoriam proficit, quàm monitis obtemperare ſignorũ. Quare verſatos eſſe milites in omnibus vocabulis & præceptis militaribus oportet, quo facilius quæ per aciem imperãtur intelligere poſſint & facere: hoc eſt, *declinationem, immutationẽ, conuerſionem, reuerſionem, inflexionem, condenſationem, diductionem, intercalationẽ, progreſſionem, retrogreſſionem, poſtpoſitionem, & appoſitionem*: quæ quiſque in ſua lingua vocat, rem tamen eandem præſtare poteſt, quamuis è diuerſis gentibus & linguis militem collectum habuerit, ſi eũ prius lõga meditatione erudierit. Quod maximè vtile eſt, ad ſubitos hoſtiũ ſuperuentus, quos vel à latere vel à tergo intulerint. Eapropter aſſuefaciendæ sũt copiæ, tàm pedeſtres, quàm equeſtres; partim voce, partim ſignis, quæ viſu percipi valeant, vt rem aptè ac oportunè, quà quiſq; exigat vſus, poſſint expedire.

CAPVT XIV.

De Committendo prælio.

PVgna ſeu præliũ fit vel marte aperto in campo, vel oppugnando ſeu defendendo munitionem. In campo verò, vel pugnando prælio vniuerſali, vel turmatim & velitatione, vel deniq; viritim & duello.

Quoad pugnam vniuerſalem, neceſſe eſt vt ſit Imperator reſolutus, & cum abſoluta authoritate: ne videlicet aut propter hanc, aut propter illam cauſam tergiuerſetur deſcendendo in aciem, vti faciebat Aratus Princeps Siciniorũ, Lotrechius Imperator Venetorum: quia & cogitationibus obruitur, nec ſcit deinde quid debeat facere, & miles ardorem deperdit & audaciam, atque indies langueſcit. Vnde Paulus Aemilius in principio belli Macedonici, ſuis militibus dixit, *ne eſſent ſolliciti de prælio & de bello, ſed haberent lacertos robuſtos, & corpus agile, arma benè terſa & acuminata, ſeruarentq; ordines ſuos quàm diligentiſſimè, quia breui Marte aperto decertabimus* Idem bello Turcico ChodKieuicius ſuis militibus, cum ingens apparatus Oſmani nunciaretur, & bellum per plures annos cum barbaris duraturum omnes puta-

putarent, quemadmodum in Hungaria ſub Ferdinando I. & Rodulpho II. Imperatoribus durauit *Relinquite*, inquit, *curas belli mihi & estote viri fortes tanquam veri Sarmatæ, & ego efficiam, vt antequam lardum veſtrum conſumatis, conſumetur, & bellum.* Facta itaque reſolutione decertandi, faciat neceſſitatem pugnãdi, qua nullum incitamentum, dicebat Hannibal, ad vicendũ homini à Dijs immortalibus acrius datum eſt. Quapropter introductis militibus ſuis in mediam Italiam, exhortando ad fortitudinem dixit eis. *Nihil vſquam nobis relictum eſt, niſi quod armis vindicauerimus, Illis timidis & ignauis eſſe licet, qui receptum habent, quos ſuus ager, ſua terra, per tuta ac pacata itinera fugientes accipient. Vobis neceſſe eſt fortibus viris eſſe, & omnibus inter victoriam mortemue certa deſperatione abruptis, aut ſi fortuna dubitabit, in prælio potius, quàm in fuga mortem oppetere.* Et Cato maior cõmiſſurus prælium cum Hiſpanis, longè à mari deduxit milites ſuos, nauesque remouere in altum iuſſit. *Nuſquam niſi in virtute ſpes eſt*, inquit, *& ego ſedulo ne eſſet, feci; inter caſtra noſtra & nos, medij hoſtes; ab tergo hoſtium ager eſt, quod pulcherrimum idem tutiſſimum eſt, in virtute ſpem poſitam habere.* Idem planè & fecit & dixit Mauritius Naſſouius, cum ad Neiportum cum Hiſpanis confligere

voluiſſet; remotiſq; Catonis exemplo in altum nauibus, neceſſitatem vincendi ſuis militibus impoſuit, & hoſtem profligauit. Marius quoque cum Cimbris manus conſerturus ſtudio exercitum ſuum in loco ſicco & petroſo collocauit: requirentibuſq; militibus aquam, fluuium à tergo hoſtis ad ciuitatem Aix oſtendit, inquiens, *qui vult bibere neceſſe eſt vt eò eat*. Atque ita milites penuria adacti fortiſſimè Cimbros aggreſſi ſunt, & profligarunt; caſtriſq; eorũ potiti de fluuio illo biberunt. Verũ maiorem neceſſitatem pugnandi militibus ſuis nemo vnquam impoſuit, ſicut Gulielmus Dux Normandiæ, cum Angliam intraſſet: ſtatim enim naues quibus eò traiecerat comburi iuſſit. Quod etiã fecit, Ferdinandus Corteſius apud veram Crucem, in Nouo mundo. Et Philippus Auguſtus Rex Galliæ, ſuperato Scaldi, contra Ottonem Imperatorem, ſtatim pontem diſijcere iuſſit, ne ſuis militians ſpes aliqua ad effugiendũ eſſet. Fecit idem & ChodKieuicius Neſtro ſuperato ad Chotimiam contrà Turcas progreſſus; ne verò proceres murmurarent quod non haberent cõmoditatem mittendi cauſa commeatus delicatioris & cupediarũ Cameneciam dixit pontem nocturno tẽpore fuiſſe ruptũ à Valachis cum aquæ accreſcerent,

nec

nec iam tempus eſſe aduenietibus barbaris reparare eum.

Et quia in prælijs maximus nũc vſus tormentorum eſt, igitur ne ab illis in acie offendatur miles, quod eminus ferire ſoleant, nullum aliud Imperator remedium excogitare poteſt, quàm ſi sũma cũ celeritate ea occupet: quæ ſi hoſtes defendere cupiunt, neceſſe eſt vt ea à tergo relinquant, vnde fit, vt dum ea ab vtraque parte impediuntur ferire tutò non poſſint. Eadem celeritas aggrediendi valet & contra hoſtes equites, & contra pedites ſclopetarios vt plurimũ; quia nec illi poterunt haſtas ſuas abſq; procurſu vibrare: nec iſti ſemel exploſos ſclopos denuo onerare. Et hoc eſt, quod Cæſar nobis ſcriptum reliquit, in Gallia militem ſuum tanta celeritate atque audacia ab hoſte circumuentum fuiſſe, vt ſuis pila ex more Roman o emittere locus nõ fuerit. Ne igitur tormenta hoſtilia valdè tibi noceant, oportet illa tormentis tuis impedire, ita tamen ne in exploſione tui milites offendantur. Conſtat autem nihil eſſe quod exercitum tãtopere turbet, quàm ſi viſui impedimenta obijciantur; eamq; ob cauſam multos florentiſſimos exercitus interijſſe, quod proſpectus ipſis aut à ſole, aut à puluere ademptus fuiſſet. At nihil eſt quod proſpectui tãtopere obſit

quàm fumus ille, qui à maioribus tormentis excitari conſueuit. Hanc igitur ob rem conſultius exiſtimarem hoſti locum dare, quo ſibi ipſi oculos præſtringat, quàm viſu à te ipſo præpedito, in illũ impreſſionem facere. Ideo aut tormenta tua non emittas, aut (cum iſthoc vix cuiquam ex occidentalibus probari queat, quòd tormentis nunc apud eos permultum tribuatur) ea in cornibus exercitus colloca, ne fronti exercitus tui: in qua ſummum momentũ ſitum eſt fumus nocumento fortè ſit. Ita autem illa colloca, vt facilè defendi poſſint, ſi hoſtis ea occupare conatus fuerit.

Tempus quoque pugnæ commodũ Imperator non omittat, quod rerum omnium eſt primum. *Nec enim rerum occaſiones tarditatem & ignauiam expectant*, vt ex verò Demoſthenes quondam inquiebat. Prudenter itaque claudius Nero, cum Aduerſus Aſdrubalem certaturus cito gradu proficiſceretur, monentibus quibuſdam, vt militem itineribus ac vigilijs feſſum reficeret, reſpódit, *Commodam decertandi opportunitatem haud omittendam*: & porro milites precatus eſt, ne conſilium ſuum, quod tutũ celeritas feciſſet, temerarium morando facerent. Nec parum tamen aliquãdo confert, temporis oportunitatem expectando,

ctando, non ſtatim inſtructis præpropera feſtinatione copijs accelerare, ſed prope vallum caſtrorum manere, donec hoſtilem procinctum, qualis ille ſit, quibuſq; in locis ſtet, exploraueris. Ita ChodKieuicius aduentante Oſmano Turcarum, nondum vniuerſum habẽs penes ſe exercitum, militum partem, illam qui in caſtris cum illo Tyra ſuperato fuerunt, in aciem eduxit, ne timere videretur; à vallo tamen caſtrorum, & inſidijs quas parauerat, recedere noluit, ne à multitudine barbarorum circum daretur. Sed turmatim ſolummodò ſuos in conflictum emittebat, vt interim procinctum ipſorum, & diſpoſitionem acierum ſpecularetur. Ac propterea Iulius Cæſar prouidebat, vt potius in nocendo aliquid omitteretur, quàm cum aliquo militum detrimento noceretur. Militariſq; ille Doctor propterea inquit. *Dux vigilans, ſobrius, prudens, tanquam de ciuili cauſa inter partes iudicaturus, adhibito conſilio, de ſuis & aduerſarij copijs iudicet; & ſi multis rebus ſuperior inuenitur, opportunum ſibi non differat conflictum.* Cum hac cautione tamen, *vt primũ velitationibus & equeſtribus prælijs tentet, & experiatur, quid hoſtis vires poſſint, quidue nequeant*, Proptereaque Turcarum Tyrannus Ducibus ſuis cum hoſte pugnandi, omniaq; in bello gerendi, arbitriũ

concedit, nihil ſibi præter belli indicẽdi,& pacis faciendæ poteſtatem retinẽs, ne videlicet cõmodam decertandi opportunitatem, expectando mandata Principis, omittant. Male itaq; ſibi cõſulunt reliqui Reges, qui Duces bello præficiunt reſtricto imperio, ne manũ cum hoſte conſerant, niſi prius ea de re ſuam Senatuſue ſentẽtiam explorarint, *cum ex diſtantibus terrarum ſpacijs*, vt Tacitus inquit, *conſilia poſt res afferantur*. Quidam etiam, hoſtium virtutes metuentes in prælium non niſi ſub noctem progreſſi ſunt, quo, ſi ſuos vinci contingeret, noctis præſidio ſeſe in tutum recipere poſſent. Sic Guſtauus ad Mæuã & ad Derſauiam contra noſtros non niſi ſub veſperam proceſſit, ſauciatuſq; globo ſclopeti, ſtatim ex acie ſuos reuocauit. Alij religione detentos hoſtes, præliumque animaduertentes eo tempore detrectare, id ipſum tempus ad certamen arripuerunt ac vicerunt. Sic Cæſar in Gallia Ariouiſtum: Veſpeſianus in Syria Iudæos oppreſſit. Patriarcha Aquilienſis Alphonſum Magnum die Natalis Domini, cum antelucano tempore ſacris adeſſet, cum copijs Pontificijs inuaſit. Sic Teutones Crucigeri Polonos ipſo die ſacro Paſchatis ad Neſſouiam aggreſſi, ſed puniti à Deo fuere.

Caueat

Caueat etiã Imperator, vt ſupra monuimus, ne ieiunos milites ad certamẽ educat quia cibo refecti ſolent eſſe in prælijs fortiores. Nec rarentur profligati ſunt exercitus, deficientibus nimia eſurire viribus, quando ſcilicet nõ momento, ſed nocte ſera adueniente, certamen dirimitur. Ideò periti illi Duces nõ aliter decertandi tẽpus capiebant, niſi iã ante milites cibaſſent; quod & apud nos vſu iã ipſo obſeruatur, nec vſquam arma milites capiunt, niſi prius firmatis cibo viribus. Et Pub. Aemilius cũ Thuſcis olim prælium commiſſurus, vt prandérent milites, teſſeram dari iuſſerat Scipio quoq; cũ Aſdrubale pugnam initurus, teſſeram veſperi per caſtra dedit, vt ante lucem viri, equiq; pranſi eſſent, & armatus eques frænatos teneret equos. *Optimo itidem conſilio Hannibal Romanos oppugnans, milites ſuos obequitare iubet hoſtium caſtris, iaculando laceſſere* (verba Polybij) *ad pugnam hoſtem, cupiens eum imparatum improuidũq; & quod plurimi faciebãt, nondum pranſum aggredi.*

Variæ quoque fuerunt veterum Ducum opiniones, num ſcilicet cum clamore, de quo etiã ſupra egimus, concitatoq; greſſu; an verò cum ſilentio atq; lento gradu pugna inſtauranda eſſet? quia illud ad accendendos animos facit: hoc autem poſtremũ, ad percipiẽda

Ducum imperia opportunius eſt. Vnde putarem veterum Romanorũ morem ſequi, qui poſt primam impreſſionem reliquum exercitum cum ſilentio committebant, quòd in prælio perniciosiſſimum ſit impedire Ducis imperia. Igitur relinquamus clamorem iſtum perpetuum barbaris, qui & ante congreſsũ, & poſt pugnam diremptam continuo vociferantur, & Ducum ſuorum vocem opprimunt, qui ſæpiùs exhortatione ſua fugientes reſtituere deberent. Veteres Poloni ante congreſſum Peana Diui Adalberti, Virgini Mariæ canebãt. Nunc ſolummodò ter nomen ſalutare IESVS clara voce omnes ingeminant, & procurrunt ſtatim in hoſtes cum ſilẽtio, in virtute, non in vlulatibus ſpem victoriæ collocantes.

Dux igitur antequam ad prælium deſcendat, ponderet diligenter, atque perpetuò obſeruet, ne vnquam prælij aleam experiatur, niſi quapiam in re hoſtibus præſtet: aut ſanè neceſſitate aliqua eò adigatur. Præſtat autem vel ſitus, vel ordinum ratione, vel copiarum magnitudine, aut denique militum præſtantia. Neceſſitatem verò vocamus, ſi perſpectum habeas, licet prælium detrectes, nihilominus tibi pereundum eſſe. cuius generis ſunt, ſi pecunia deſtituaris, eoq; metuendum ſit, ne exerci-

tustuus dilabatur: ſi fame alias laborãdum fuerit: ſi hoſtem auxilia expectare compertum habeas. His enim caſibus omnino ad prælium, licet cum diſcrimine deueniendum eſt; ſiquidem præſtat fortunam experiri; niſi forte panico pauore perculſos tuos eſſe videas. Omniũ ſiquidem maximè tibi cauendum erit, ne militem trepidum, aut aliquo ſaltem modo de victoria ambigentem in prælium educas, certum quandoquidem ad cladem præſagium fuerit, ſi vincere te poſſe minus credas; Poſtquam autẽ prælium commiſeris, tuos aſſiduis cohortationibus incita, ſubſidia tempeſtiuè laborantibus ſubmitte, hoſtibus terrorem omnibus modis incute, & vbi acie pepuleris, in victoria tibi ſcias prouide eſſe agendum, quia frequenter fuſa acies diſperſos ac paſſim ſequentes, reparatis viribus interemit, vti paucos ante annos Poloni Ferdinando II. in ſubſidium contra rebelles miſſi, haud procul Poſſonio fecere, & fugientes aciẽ Gabrielis Betlemij, quæ & haſtatos cõplures & cataphractos habebat, nudi ferè & velitum more frameis ſolummodò armati inopinato ob verſi omnes penitus ad internecionem deleuerunt. Iterumque apud Caſſouiam, cum Duce Franciſco Racocio eiuſdem Betlemij exercitũ, ſimiliter acie ab haſtatis pulſi,

reparatis viribus, ſeptem millia intere-merunt, quinquaginta duobus vexillis potiti. Sed & nuperrime Bernardus Vaimarienſis profligatus apud Regenbergam à Ioanne Verdéſi, collectis ſuis fugientibus viceuerſa Cęſarianos profligauit, illumq; ipſum, cum Duce Sauellio cepit. Satis itaq; citò incipis victoriam, vbi prouiſum fuerit, ne vincare; quia ſæpiſſimè etiam victis ira virtuſq adeſt, ſi nimiũ inſtas. *Clauſis*, inquit Vegetius, *ex deſperatione creſcit audacia, & cum ſpei nihil eſt, ſumit arma formido.* Hinc Pyrrhus inter cætera præcepta Imperatoria, memoriæ tradidit. *Non eſſe pertinaciter inſtandum hoſti fugienti, non ſolum ne fortius ex neceſſitate reſiſteret, ſed vt poſtea quoque facilius acie cederet.* Denique à præda etiam arcendus miles, quia nimis ſæpè obſtitit vincentibus prauum inter ipſos certamen, omiſſo hoſte ſpolia conſectandi.

CAPVT XV.

De Reſiſtendo virtuti atque dolis hoſtium.

VT aduerſarium vincas, virtuti illius virtutem, dolo dolum, vel vtrique vtrumq; oppone: nam vim vi repellere licet, & dolum auertere dolo: non tamen in fide data licet hoſtem vindicare

quia

quia ſic patentem fraudi portam aperiremus. Exceptis igitur ſuperuentibus, vel incurſionibus repentinis ex occaſione (quam nunquam Dux exercitus omittere debet), iam in itineribus; fatigatis: in fluminum tranſgreſſione, diuiſis: in paludibus, occupatis; in iugis mõtiũ, laborantibus: in ſiluis, ſine ordine incedentibus: in cãpis ſparſis; atq; ſecuris in manſione dormientibus: oportunum prælium ſemper infertur, cũ alijs negocijs occupatus hoſtis, vt prius interimatur, quàm præparare ſe poſſit. Hac in parte diligentiſſimus fuit Alphõſus Magnus eiuſq; exercituũ Dux Braccius: & ita contra omnes totius Italiæ Principum conatus, Regnum Neapolitanum poſſedit, nec vllo deinde modo eijci inde potuit. Apud nos Oſtaphæus Daſcouicius Coſachorũ Zaporoſẽſiũ author omnibus Hordis ſeu tribubus Scytharũ, cis & vltra Tanaiam habitãtiũ, ſimili vigilantia formidabilis fuit. Bernardus verò Prætificius, licet priuatus nobilis fuerit, Tauricam nihilominus, & Beſſarabiæ totam barbariem à frœno tenuit. Alexander Liſouius cum aliquot millibus equitum totum Moſchorum Imperium vltra Album lacum atque Aſtracanum peruaſtauit: nec virtuti illius aut dolis vaferrima Ruſſorum gens reſiſtere vllo modo potuit.

Quod

Quod ſi verò cauti ſunt aduerſarij, & inſidiarum nulla ſit copia, tunc aduerſum præſentes, ſcientes, videnteſq; æqua conditione pugnatur, & audacia, fortitudine, animiq; generoſo conatu vincitur hoſtis, licet copijs multo ſuperior fuerit. Ita Boleslaus Chrobus contra Roxolanos, Criuouſtus contra Pomeranos, Loᶜticus contra Crucigeros, Vitoldus contra Scythas, ZolKieuius contra Moſcouitas, ChodKieuicius contra Suecos, Corecius contra Turcas, infinitiq; diuerſarum gentium Duces, contra ſuos aduerſarios, numero longè ſuperiores, decertarunt.

Cauendum tamen vel maximè in acie, ne ab ala, cornuqne ſiniſtro (quod ſæpiùs in prælijs euenit) aut certè dextro circumueniantur tui à multitudine hoſtium, vel à vagantibus globis, qui è ſupernumerarijs in hoc aſſeruantur. Quod ſi acciderit, vnum remedium eſt, vt alā cornuq; replices & rotundes, quatenus conuerſi tui, ſociorum terga defendant. Ita dextrũ cornu diſpoſuerat ChodKieuicius ad Chotimiam, cum in acie Turcam cum numeroſiſſimo exercitu aduentantem expectaret; eo quod à caſtris, quę tergum defendebant, cornu illud paulò in planiciem protéſum eſſet. Et ideo in angulo ipſius extremitatis, ſecundum artem bellicam fortiſſimos

collo-

colloeauerat, inſidiaſq; in ſylua vicina poſuerat, quia ordinariè ibi impetus amplior fieri conſueuit.

Item aduerſum cuneum hoſtium, certis reſiſtitur modis. Eſt enim cuneus multitudo peditum, quæ iuncta cum acie primo anguſtior, deinde latior procedit, & aduerſariorum ordines rumpit, quia à pluribus in vnum locum tela mittuntur. Contra quem, veteres forſicem ponebant, vt ſcilicet lectiſſimi milites conferti in V. literam, illum cuneũ ex parte vtraque concluderent, & non permitterent aciem perrumpere. Sed nunc tormentis bellicis ortis, cunei non ſolent eſſe in vſu, quia globis ignitis, & catenis exploſis. maximo cum damno militum deletur. Durantibus tamen bellis Liuonicis inter Carolum Sudermanum, & Sigiſ. III. Regem Poloniæ, Sueci cuneo ex ſclopetarijs facto, apud Volmariam procedebant contra Polonos, ſed dextrum latus eorum Coſachi ſagittarij valdè offendebant, leuum verò vnica cohors haſtata ita perrupit, vt ex ſeptem millibus vix cladis nuntij manſerint; globis equitum inſuper a tergo eos inuadentibus. Cæterum cõtra globum vagoſuperuentu incurſantem, non datur aliud remedium, niſi vt alter globus populoſior, vel fortior contra eum emittatur.

Obſer.

Obſeruandum quoque eſt, ne ſub tẽpore, quo iam committitur pugna velis ordines cõmutare, aut de locis ſuis aliquos numeros ad alia transferre: ſtatim enim naſcitur tumultus atque cõfuſio & imparatis conturbatiſq; facilius hoſtis incumbit, vt accidit Michaeli Daciæ Tranſalpinæ Regulo, Duci alias bellicoſiſſimo cũ Ioanne Zamoſcio decertaturo qui (recedentibus ab eo Polonis, quod contra patriam pugnare nõ liceret, qui operam ſuam non niſi in barbaros erant ei polliciti) cum acie Zamoſcij perſpecta, ordines, ſuos permutare vellet, à Zamoſcio interea tẽporis aggreſſus, prælium amiſit & vix metertius manus illius euaſit.

Si vero & plures, & fortes bellatores habueris, fronte longa, & quadrato exercitu depugna, vt ex vtroque cornu hoſtẽ circumuenias, & quaſi in ſinum ſui cõcludas exercitũ aduerſarij. Ita faciũnt Scythæ & Turcæ, quia & ſuis equitibus nimium fidunt, & numeroſos ſemper ſolent habere exercitus.

Quod ſi minus poteris aduerſarium ſuſtinere, noli in aciem deſcendere, niſi prius aut mõtem, aut mare, aut flumẽ, aut lacum, aut ciuitatem, aut paludes, aut abrupta in parte vna habeas, ex qua hoſtis nõ poſſit accedere Huius rei obſeruãtiſſimus fuit Nicolaus Picininus,

cele-

celebris è Bracciana diſciplina exercituũ Dux, & Ioannes Camenecius Polonicarũ copiarũ Imperator, qui eo ſtratagemate vſus, non poterat à multitudine Tartarorum ad Viſniouecianı circũueniri, & ſex atque viginti millia barbarorum, parua ſuorum manu inter paludes deleuerat Victoria enim per paucos fieri conſueuit; tantùm eſt vt electi à Duce ſapiẽtiſſimo in his locis, in quibus ratio & vtilitas poſtulat, ordinetur.

Cæterũ plerique rei militaris ignari pleniorem victoriam credunt, ſi aduerſarios, aut locorum anguſtijs, aut armatorum multitudine circumdederit, vt aditum non inueniat abſcedendi. Sed falluntur magnopere: libẽter enim cupit commori qui circumdatus ſine dubio ſcit ſe eſſe moriturum Cuius rei memor Chmielecius cum ad Burſtinũ Tartaros aggrederetur, ab illa parte, qua Tyram fluuium tranſituri erant, vel ſecus fluuium fugituri, nullas inſidias locauerat, vt multitudo perterrita, cui ille par non erat, eo facilius ad præbenda terga cõſentiret. Alias etenim clauſi, licet exigui numero, & infirmi viribus, hoc ipſo tamen ſunt hoſtibus pares, quia deſperantes ſciunt aliud ſibi licere non poſſe. Nam vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem. Suierſczouius qui cum Coſachis ſuppetiatũ Iuoniæ Moldauiæ

Regu

Regulo iuerat, cinctus à multitudine Tuacarum, ita ex deſperatione pugnauit, vt multa ex eis millia occideret, nec prius in poteſtatem illorum deuenit, quàm omnes ſui commilitones occidiſſent in acie. Et Carolus VIII. Gallorum Rex, è Neapolitana expeditione rediens, cum à confœderatis Italis ad cõfinia Inſubriæ concluſus eſſet, reſumpto animo, ita obiectos ſibi aduerſarios aggreſſus eſt, vt profligati, pacem ab illo exorare cogerentur, à quibus ille paulò ante, tranſitum liberũ obnixè petierat. Non eſt igitur hoſtis includendus cum fugam meditatur, ſed aureus etiam ei pons ſternendus eſt, vt in prouerbio habebat Sigiſmundus I. Rex Poloniæ. Sed & fugæ hoſtili fidendum non eſt, nam qui hoſtes decipiunt, poſſunt eos tum iniecta fiducia incautos offendere: tum fugandi ſua facultate tradita, reddere turbatos: tum ſimulata fuga, in locos difficiles ſubducere, hicq; adoriri. Quapropter ſi multi hoſtiũ paucos tuorum fugiunt; (verùm & hoc ſæpiſſimè ſolet ex vero fieri: neque enim ibi requirendus eſt numerus, vni animus ſemel territus, non tam tela hoſtium cupit declinare, quàm vultum) ſi pauci hoſtium multos tuorum adgrediuntur: ſi hoſtes præter rationem ſubitò in fugam ſe conijciunt; iſtis caſibus inſidiæ

tibi

tibi ſemper metuendæ ſunt: neque vnquam crediderìs hoſtem ſibi minus cõſtare aut rebus ſuis non aptè proſpicere, ſed potius illum te decipere velle, & eo magis periculum declinaturum eſſe, quantò debilior fuerit, atque adeò quo minus cautum ſe præbuerit, eò magis tibi æſtimandum cauendumque fore. Maximè ſi hoſtis prædam tibi exponat, intellige eſcam eam eſſe, qua irretiare, atque in inſidias pertrahare.

CAPVT XVI.

De non deſperando, ſi vel pars, vel totus exercitus fugerit;

QVamuis veriſſimum illud prouerbium ſit. *Timori nulla munimenta ſatis ſunt*, quo maximè in acie milites perculſi, nullam fugiendi metam, nullum finem habent; Duci attamen cordato minimè deſperandum eſt, ſi pars exercitus ex acie fugerit; nam in eiuſmodi neceſſitate, ſæpiſſimè Ducis conſtantia, totam ſibi ſolet vendicare victoriam: vt accidit in illa celebri pugna Gruneualdenſi cum Crucigeris Pruſſicis, vbi dextrum Polonorum cornu, quod conſtabat ex Tartaris Lituanicis ferè nudis, totum penitus diffugerat, nutantibus & ipſis equitibus Lituanicis,

qui

qui leuiter armati non poterant cataphractorum Germanorum impetũ ſuſtinere: attamen manente conſtanter ipſo Rege Vladiſlao Iagellone cum grauiore armatura, victoria penes Polonos ſtetit: & qui fugerant ex acie, pudore inſtigante, quod Principem ſuũ in acie reliquiſſent, obuerſi iterum cum hoſte ſtrenuè decertarunt. Innumerabilibuſq; hoc accidit bellis, & pro ſuperioribus tamen ſunt habiti, qui minimè deſperarunt: nam in ſimili conditione, fortior creditur, quem aduerſa non fregũt. Attilius Regulus in bello cũ Samnitibus, videns pedites ſuos ex acie ad caſtra fugere, cũ gladio euaginato eis occurrit, & equitatum eis totũ oppoſuit, inquiens, niſi obuerſi pugnaueritis cum hoſte, mecũ pugnare debetis. Et ſic animati & perterriti ſeueritate Ducis, hoſtẽ iterũ aggreſſi ſunt, & vicerunt. Metellus verò Celtibericus, ad fugientes milites miſit ſignificans, quod omnes ipſe occidet in caſtris, niſi reuertãtur ad locũ amiſſum, & hoſtem de eo deijciãt. Quod & fecerunt, timore ac pudore coacti. Seleucus in vltimo prælio facto cum Demetrio Rege, cũ videret fugiẽtes ſuos, equo deſcenſo, & galea capiti dempta, vt melius agnoſceretur, proſtrauit ſe in terra, vt per ipsũ fugientes irent, & conculcarent ipsũ Quo facto in

pudo-

pudorem & ardorem pugnandi milites verſi, hoſtem vicerunt. *Iulius* quoque Cæſar fugienti vexillifero, aquilã eripuit, & ſe iubens ſequi, omnes in hoſtẽ obuertit. Idem & Georgius Scanderbegus ſæpius fecit (qui diuerſis in prælijs, ſua manu vltra duo millia Turcarum occidit) & fugientes ſuos in prælium reduxit.

Nonnulli clamore ſoblato, & buccinis victoriæ ſignum canentibus prælium reſtituerunt, fugienteſq; quaſi ad ſpolia reuocando ad prçliũ accenderunt, vti fecit Stephanus Daciæ Regulus in pugna cum Baiazete II. qui aſtu tali Valachos ſuos ad ſyluas paſſim diffugientes, ad inſtaurandum certamen reuocauit, animauit & multa Turcarum millia apud Targouiciam cecidit.

Etiam toto exercitu fuſo pernicioſa clade, reparationis fortuna multis non defuit, & Huniadem contra Turcas apud Albam Regiam decertantem, biſq; acie iam pulſum, inſigni victoria decorauit. Sed & Iſmalem Soffi Perſarũ Regem, cum Selimo I. ad vrbem Taurim in Media pugnãtem haud parum iuuit, cum reuocatis ex fuga ſuis, Turcas in cæſorum ſpolijs hærentes, ad internecionem ferè deleuiſſet, vt vix Selimus ipſe euadere potuiſſet.

Dux igitur confidens & lætus, primò

in

in trepidatione ſuos hortetur ad audaciam, preces miſceat, exemploq; eis in hoſtem primus eat, vbi maximum diſcrimen eſſe videt: memor quod euentus omnium, aut certè plurium præliorum, inter initia contra illos magis fuit, quibus victoria debebatur. Quapropter hic animo opus, vt nullum in tali trepidatione, conſtantis Ducis, aut fortiſſimi militis officium omittas: occurſa pauentibus, retine cedétes: vbi plurimus labor, vnde aliqua ſpes, conſilio, manu, voce, inſignis hoſti, conſpicuus tuis. Ita Boleslaus Criuouſtus in prælio cum Ruſſis. Ita Vitoldus cum Tartaris ad Boryſthenem, & cum Crucigeris apud Gruneualdum. Ita Alphonſus Magnus contra Sfortiam apud Caietam, & Beneuentum, Bucquoius ad Pragam. Dápierus ad Poſſonium, Guſtauus ad Lipſiá, qui trepidantes ſuos milites, acieq; iam cedentes, non modo retinuerunt ſua conſtantia, ſed & victorias obtinuerunt ſua ſolertia, militum fortitudine. Eapropter Imperator prouidus, ſub ea cautela publico debet Marte confligere vt ſi quid pro varietate bellorum, vel conditionis humanæ, ſecus acciderit abſq; graui detrimento liberet victos. Nam ſi vicini fuerint colles, aut ſyluæ, ſi poſt terga munitio, ſi cæteris abſcedentibus, fortiſſimi quique reſtiterint,

ſe ſuoſq; ſeruabunt, vt fecerunt ijdem Turcæ, in pugna Varnenſi cum Vladislao Rege Poloniæ, & ad Mohatziſi cum Ludouico Rege Hungariæ: itemq; cum Campſongauro Sultano Aegyti in prælio apud Damaſcum, & cum eius ſucceſſore Tomumbeio in pugna Memphitica, quos omnes recollectis iam ex fuga ſuis, & audaciam eis addentibus fortiſſimis quibuſque, qui in ſubſidium fuerunt reſeruati, deuicerunt & occiderunt. Sæpiuſque deinceps in bellis Hungaricis fuſas acies ſuas, cum maximo damno Chriſtianorum recollegerunt, & triumphantes de exuuijs ſuis interemerunt. Nam nonnunquam exultantibus, prædæq; inhiantibus maius ſolet eſſe diſcrimen, quàm cum ex exhibita ferocia ſubito in formidinem commutantur.

Quicunque igitur euentus fuerit, colligendi ſunt ſuperſtites, bello erigédi, adhortationibuſq; congruis, & armorum inſtauratione reſouendi. Qua in re dexterrimi habiti ſunt, Franciſcus I. Sfortia, Robertus Rex Neapolitanus & Alfonſus II. eius filius, tum alij plurimi nominati Duces Italiæ quibus addam & Michaelem Regulum Myſiæ. Hi ſiquidem & nouos delectus, nouaq; auxilia, ſubito poſt cladem acceptam, conquirere ſciebant; & quod amplius prodeſt,

prodeſt, captatis occaſionibus, in ipſos victores, per occultas inſidias, & ſuperuentus inopinatos, impetus faciebant, atque ita audaciam in militibus reparabant. Neque enim tali in caſu opportunitas deerit, cum pro facilitate ſuperbius & in cautius mentes efferantur humanæ. Et ad hunc modum Martius Romanus exercitum Carthaginenſium deleuit, quod duobus Scipionibus extinctis, ipſorumq; exercitu profligato, copias quæ apud Martium reſiduę erit, minus æſtimarent: qui negligentia ipſorum cognita, ipſos ſubitò adgreſſus obtriuit: Videre ſiquidem eſt, nihil tam facile ſibi effectum dari, quàm id quòd hoſtis non credat accidere poſſe; ſæpiſſimè etenim euenire ſolet, homines inde potiſſimnm offendi, vnde minus timent. Pulchrè T. Liuius Aſdrubalé in pugna aduerſa, officio optimi Ducis fungentem deſcribit. *Ille*, inquit, *pugnantes hortando, pariterq; obeundo pericula ſuſtinuit: ille feſſos abnuenteſque tædio, & labore nunc precando, nunc caſtigando accendit: ille fugientes reuocauit, amiſſamque pugnam aliquot locis reſtituit*. Similia, & Tacitus de Antonio. Nullum in illa trepidatione Antonius conſtantis Ducis, vel fortiſſimi militis officium omiſit; occurrere pauentibus, retinere cedentes, vbi plurimus labor, vnde aliqua

ſpes,

ſpes, conſilio, manu, voce inſignis hoſti, cõſpicuus ſuis, eò poſtremò ardoris prouectus eſt, vt vexillarium fugientem haſta tranſuerberaret: mox raptum vexillum in hoſtem vertit. Idem fecit Conſtantinus Oſtrogius in pugna cum Turcis ad Themeſauriam. Idem multi alij Duces.

Sed maximum remedium, punire fugientes: ita Camillus ad expugnandum Veios progreſſus, inquit Liuius. *Omnium primum in eos, qui a Veis in illo pauore fugerant, more militari animaduertit; effecitque ne hoſtis maximè timendus militi eſſet.* Ideo Scipio Numantinus ſæpiùs dicere ſolitus erat, quòd Duces indulgentes, & conniuentes militibus ſuis, vtiles maximè ſunt hoſti: animaduertentes autem in ſocordiam, & crimina illorum, vtiles Reipublicæ: quia indulgẽtes fiunt contemptibiles, ſæueri verò obedientem, ſemper militem habẽt, & poſſunt vbique abſque mora defendere patriam. Nam ſicut medicina, quæ amara eſt, maximè proficua fit ægroto; ſic & regimen ſeuerius paulò, vtilius Reipublicæ.

CAPVT XVII.

De Inſidijs locandis.

QVi aut corporis vires abſque ingenij conſilio, aut conſilium abſque viribus probant, falluntur maximopere & nec hilum proficiunt. Nimirum omiſſa prudentia, nihil ſapienti calliditate conſulitur, viribus deficientibus, nihil rectè conſultum proficitur. Vtroq; coniuncto non modo repelles aduerſariũ, ſed & deſideratá referes ex illo victoriam. Vt enim ſublato gubernatore, inquit Polybius, nauis vniuerſa cũ ipſis vectoribus in poteſtatem venit: ſic vbi in bello hoſtium copiarum Ducem haſtu & conſilio circumueneris, eodé non raro etiam vniuerſum exercitum in tuam redegeris poteſtatem. Ita Alexander ſagacitate ingenij vſus, ex Epirotis aduerſus Illirios collocata in inſidijs manu, quoſdam ex ſuis habitu Illiriorum inſtruxit, & iuſſit vaſtare ſuam, hoc eſt Epiroticam regionem: quod cũ Illirij viderent fieri, ipſi paſſim prædari cæperunt, eo ſecurius, quod præcedentes veluti pro exploratoribus habebant; à quibus ex induſtria in loca iniqua deducti, cæſi fugatiq; ſunt. Leptentes quoque Syracuſanus aduerſus Charthaginen-

ginenſes, vaſtari ſuos agros, & incendi villas, caſtellaq; quædam imperauit. Carthaginenſes à ſuis id fieri rati, & ipſi tanquam in adiutorium exierunt, exceptiq; ab inſidiatoribus fuſi ſunt.

Imparatis itaque cibum capientibus, in itinere laſſis, equos ſuos paſcentibus, ac nihil tale ſuſpicantibus, ſuperuentus aſſolet fieri, inſidiæq; negligentibus locantur; quæ & nobis vitandæ ſunt, & hoſti in eiuſmodi occaſionibus pernicies inferenda. Hoc enim caſu oppreſſis, nec virtus poteſt, nec multitudo prodeſſe: quia qui in acie publica vincitur pugna, licet & ibi ars plurimum proſit, tamen ad defenſionem ſuam poteſt accuſare fortunam, vt ad Cannas Conſul Romanus ab Hannibale victus. Qui vero ſuperuentus & ſubſeſſas inſidias paſſus eſt, culpam ſuam nõ poteſt excuſare, quia hoc euitare potuit, & per ſpeculatores idoneos ante cognoſcere. Quapropter multi, ſi per ſyluas ituri ſunt, præmittunt qui abrupta vel anguſta occupent loca ne ibidem ab aduerſarijs patiantur inſidias: de qua re totus plenus eſt Curtius in rebus geſtis Alexandri Magni. Et rurſus poſt ſe præciſis arboribus vias claudũt, quas compedes vocant, vt aduerſarijs facultatem adimant perſequendi. Ita conſueuerat facere Valachiæ Palatinus Stephanus

cum bellum aduerſus Mathiam Regem Hungariæ gereret. Ita noſtra ætate, Michael Myſiæ vltraalpinæ Regulus, cũ bello Tranſyluaniæ Principem Sigiſmũdum Batoreum perſequeretur, monteſq; illos præruptos Siculorum cum exercitu toties huc atque illuc tranſiret; quos etiam à parte Turcica (nam & hos vnà bello laceſſebat) arboribus præciſis occludebat ne dum hic cum Germanis, atque Tranſyluanis rem haberet, à tergo à barbaris inopinatò inuaderetur. Nam qui præcedit, oportunis vallibus, vel ſyluoſis montibus, quaſi poſt ſe relinquit inſidias, in quas cum inciderit inimicus, recurrit ipſe & adiuuat ſuos.
Et quia vtriq; penè in itinere ad ſubſeſſas communis occaſio eſt, ideo qui ſequitur, auerſis ſemitis, longè ante deſtinat expeditos, & præcedendo aduerſarium arcet à tranſitu, vt deceptum à tergo & à fronte concludat. Et ita Demetrius Viſniouiecius, Scytas Tauricanos per ſyluam nigrã vulgò dictam in Pidoliam incurrere conantes, ad Bohũ fluuium, temporibus Sigiſmundi Augusti Regis, concluſerat & conciderat. Quia in transfretatione fluuiorum, qui præcedit, illam partem tentat opprimere, quæ præmiſſa tranſierat, dum reliqui alueo ſeparantur. Qui autem feſtinato itinere ſequitur, illos qui non potuerũt
tranſi-

tranſire conturbat, vt fecit Michael Glinſcius, dũ Scythas fluuium SlucKã tranſire conantes aſſecutus eſſet, quorũ paulò ante viginti quinque millia ad Lidam in Lituania profligauerat, inter paludes & loca vliginoſa deductos, tẽporibus Alexandri Regis. Non ſolùm itaque in obſidionibus,qui vult aut collocare aut euitare inſidias,ſed in vniuerſo genere bellorum, ſuper omnia ducitur hoſtium conſuetudinem explorare diligenter ac noſſe. Oportunitas enim inſidiarum aliter non poteſt inueniri, niſi ſcias quibus horis aduerſarius, à laboris intentione diſcedat,quibus reddatur incautior: interdum medio die, interdum ad veſperum, ſæpè nocte, aliquando eo tempore quo ſumitur cibus, cum vtriuſque partis milites ad requiẽ aut curanda corpora diſperguntur.

Accidiſſe etiam non rarò conſtat, vt inſidiæ vel ab auibus: vel à puluere proderentur,ſiquidem fieri nequit,qu in hoſtis ad te pergens puluerem excitet maximum,vnde quidem ipſius aduentum ſuſpicari poſſis. Sic Duces inſidias ominatos eſſe aliquoties compertũ eſt, quod inde, qua ipſis pergendum fuerat, palumbas aliaſue aues, quæ gregatim volare ſolent, emigrare attamen nec auolare, nec redire, ſed per gyros eandem ſemper partem peragere conſpe-

xerant; indeq; exploratoribus miſſis inſidias non ſaltem declinaſſe, ſed hoſti cladem, quam ille molitus fuerat, intuliſſe.

CAPVT XVIII.

De officio Ducis pugna dirept a.

IMperator pugna dirempta ſi cladem in ſuis accepit, curet reſarcire damnum, vt ſupra monuimus ſi verò victoria potitus eſt *Primo*, curet caſtra hoſtiũ occupare. Cæſar nullum vnquam hoſtem fudit, inquit Suetonius, quin caſtrisquoque exueret. Ita nullum ſpatium perteritis dabat Pompeius, nondum expugnatis hoſtium caſtris; nec veram victoriam obtineri, nec Ducem vllum cognomen Imperatoris mereri aiebat. Quamdiu enim hoſtis vires ſuas poſt cladem reparare poteſt, nondũ eſt victus; quod illi factu facillimum erit, ſi fugientes propinqua caſtra habeant pro receptu. Amurates itaque Secundus, occiſo Vladiſlao Rege Poloniæ apud Varnam, etſi cladem ingentẽ ipſe quoque paſſus eſſet: abire tamen cum ſaucijs inde noluit, donec poſt triduum caſtra noſtrorum expugnaſſet, vt plena de periuro Rege victoria potiretur.

Secun-

Secundo Victis inſtet, & territos proſequatur, alioquin victos reſumere animos, & ipſos non raro ſuperare victores multoties experientia docuit, pręſertim ſi hoſte omiſſo ſpolia conſectantur, vt accidit Mansfeldio, qui venientes ſuppetiatum Ferdinando II. Polonos die eadem qua ſe veniſſe Imperatori ſignificauerant, nocturno tempore aggreſſus prope Viennam diſſipauerat; ſed quia diffugientes in vicinam ſyluam territoſq; non erat proſecutus, ideo illi redeuntem ad ſuos verſus Cremeſium, ſequenti die, reſumptis animis circa meridiem, victorem clade ingenti affecerunt, & quinquaginta duo ſigna cum Duce Anhaltino capta, Viennam miſerunt. Hinc Lycurgus olim noluit interfectorum hoſtium cadauera ſpoliari, ne prædæ incumbentes milites, pugnam negligerent, quod Germanicos exeercitus toties in Hungaria clade ingenti affecit. Et Hollandi Lyra occupata, dum temere ad prædam ſe couertunt, porta vna quæ in hoſtium poteſtate adhuc erat neglecta, non ſine clade eiecti fuerunt. *Victor itaque non eſt, qui victoriæ non inſiſtit*, inquit Stobæus, *nec eam gloriam quam iactat exitu belli coronat*.

Tertio. Hoſte in acie profligato, ſtatim ad primariam vrbem cum victore exer

citu accedat. Ita Ioannes Auſtriacus profligatis atque cæſis ad Gemblacum confœderatorum Belgarũ copijs, ſtatim exercitum ad vrbem promouit (quam hoſtes belli ſedem ſtatuerant, ac multorum menſium commeatu, armiſque ac telis, ac cætero belli inſtrumento communierant) eamq; clade ſuorum perterritam in poteſtatẽ ſtatim recepit. Quod ſi Hannibal profligatis, aut verius cæſis ad Traſymenum lacũ Romanis, ſtatim Romam petijſſet, quintum intra diem inquit Florus, in Capitolio epulari potuiſſet. Quamdiu verò præcipua vrbs ſalua eſt, licet minora fortè oppida occupentur, tantũ abeſt vt de ſalute conclamatũ ſit, vt non raro etiam illa quæ perdita ſunt, iterum facilè recuperẽtur. Ideo prudentiores quibus cum Repub. aliqua bellum eſt, ſtatim vrbem principem petunt; quod Carolum V. cum Senenſes, & Florentinos oppugnaret egiſſe docét Hiſtoriæ. Idem ante Iulius Cæſar fecerat cum deſertam à Pompeio vrbẽ relictis omnibus alijs oppidis ſtatim inuaſiſſet. Ioannes Andegauenſis è contra, ingenti prælio victor, minora prius oppida expuguare maluit, quàm regni caput petere Neapolim, interim victus, & penè profligatus Ferdinandus reſpirauit: & cum nouis iterum viribus collectum exercitũ firmaſſet, Gallos non
vicit

vicit tantum, ſed etiam penitus regno eiecit. *Vrgenda itaque eſt fortuna, benè cæpta vlteriore conatu promouenda, ne vbi virtuti blanditur otium, labatur è manu inchoatum feliciter negotium*, inquit Baſilius Magnus.

Quarto, Vnumquemque ex Ducibus, & primarijs militibus, laudibus & præconijs publicè adornet; ſuam cuique virtutem, ſuum facinus, grandibus verbis pleniſque gloriarum, magnificè repræſentet. Deinde præmijs quantum poteſt remuneret, Martialemq; illũ vigorem in eis exciter. Denique literis ad Regem ſuũ, aut Rempublicam ſcriptis, eorum fortitudinem, & animum in pericula promptum commẽdet: & ad maiores ordines prouehat. Ita faciebat Zamoſcius, & mirum quam ſibi omniũ amorem in Regno conciliauerat.

Quinto. In eos quorum notabilis fuerit ignauia in exemplum cæteris, diligenter animaduertat. Sic enim in poſterum peccare metuent, ſed fortiter faciendo gloriam ambitioſè adſectabunt, vt næuum ignominiæ abolere poſſint. Boleſlaus Chrobrus deſertus in prælio Halicienſi a quodam ex Palatinis ſuis, reuerſus domum, miſerat illi pellẽ leporinam, penſum lanæ, & reſtem canabeũ; eo quod inſtar leporis ad fugiendum promptus, non eſſet dignus virili di-

gnitate, ſed officio muliebri ad nenda fila compoſitus; quodque è pugna Rege ſuo relicto in periculis diſceſſiſſet, dignus furca putabatur. Palatinus donis talibus à Rege ſibi miſſis receptis, indignum ſe vita putauit, & ad campanile vicinum abiens, reſte ſeſe ſuſpendit. Hinc apud Macedones erat in more poſitum, vt qui in acie ſe minus fortiter geſſiſſent, eorum eos ignominiæ gratia capiſtro cingeretur. Valſteinius verò tribunos qui prælio Lutzenſi diffugerāt, omnes ſuſpendio necauit.

Sexto, Deo exercituum (idq; in primis) & victoriarum largitori ſacrificia, & grates, ac pompas exhibeat, prout temporis feret occaſio. Cōſtantinus Oſtrogius quòd Græganicæ religionis eſſet, nec calleret litteras Latinas, obtenta illa celebri Orſenſi victoria, poſtquam Poloni hymnum Te Deum laudamus decantaſſent, ille etiam Miſſam de SS. TRINITATE lingua Sclauonica, propter Roxolanos ſuos ſolenniter cantari iuſſit.

Septimo. Interfectos honeſtè ſepeliat, vt fecit ChodKieuicius poſt victoriam Kircholmenſem in Liuonia, qui hoſtiū precipuis ſumptu ingenti parentauit, & funus toto exercitu deducere preſentia ſua cohoneſtauit, licet illi fuerint aduerſę religionis. Quo ſanè facto mirificè

ſibi

ſibi hoſtes obligauerat.

Octauo. Captiuos non interficiat, ſed recognoſcat & humaniter tractet, videlicet illuſtriores, & vulneratos in prælio, quos publico ære curare iubeat. Sin autem pecunijs ad magnos publicoſque ſumptus indigeat, æquis diuendere precijs poterit, aut commutare pro ſuæ gētis captiuis. Ita Scythæ nobiſcum, ita Turcæ agunt. Hollandi verò vnius menſis ſtipendio pro eis accepto liberos faciunt.

Nono. Si pugna ſuccubuit, cladem acceptam quantocius reſarcire curet: & è ſuis militibus captiuos omni conatu liberare ſtudeat, vulneratoſq; in prælio, tantò magis quàm hoſtes publico ære ſanari iubeat. *Iſabella* Princeps Belgarum amiſſos nauali prælio apud Bergoſanam milites, clenodijs ſuis oppignoratis liberari curauit à Batauis ſummamque ingentem quamuis pro gregarijs inimico miſerat.

Decimo. Non ſolùm præcipuos ex ſuis, aut ſingulos remuneret, qui ſe ſtrenuè in pugna geſſerunt, ſed toti exercitui periculorum fructum ex præda impartiri debet: ſic enim ſpe prædæ paratiores promptioreſq; ad pericula erunt militum animi. Romani ex æquo ſuis militibus prædam partiebantur. Hoc modo faciunt Coſachi Zaporoſenſes,

etiam illis qui ad diuerſa munera fuerunt in caſtris relicti, partem æquam reſeruando.

Vndecimo. Rebus benè ac feliciter geſtis, ſuperatiſq; periculis, conuiuia, epulæ & feriæ militibus concedantur, vt ſuauem bello confecto victoriam eſſe intuentes, viam rurſus ad eam, ardua quæquæ fortiter tolerando ſibi faciant. Ita Alexander M. Babilonia ſubacta, occupataq; Perſopoli. Ita triumphatores Romani. Ita Bizantinorum Imp. Duces; & inter eos Beliſſarius & Narſetes, ille Vandalis, hic Gottis ſuperatis. Ita noſtra demum memoria Sigiſmundus III. expugnato Smolenſco, qui repurgata cadaueribus vrbe publicum ſuis militibus epulum præbuit, & ipſe cum eis menſæ aſſedit; tum more patrio, collaudatis laboribus & fortitudine ipſorũ, apprecatiſq; votis vlterioribus, erectus in pedes, capite aperto, in ſanitatem ipſorum, poculum exhauſit.

Duodecimo ac vltimo. Victis clementiã atque omnem humanitatem exhibeat; neque in omnibus rebus, quorumlibet hoſtium poſſeſſiones vexari ac diripi ſinat, ſed aliquando quidem patiatur, aliquando vero prohibeat; quibus eos ſibi amicos efficere poterit. Nam ea demum victoria, & apud Deum, & apud homines, maximùm gloriç, minimùm

mùm inuidię habitura eſt, quæ plurimũ erga hoſtes humanitatis habet.

CAPVT XIX.

De Præda ex hoſtibus capta.

Expugnatæ vrbis prędá ad milites, deditæ ad Ducem apud Romanos pertinebat, quorum prudentiam lubet hic laudare ſimul & admirari; cũ enim ſcirent omnium penè animos communi naturæ vitio, in prædam magis inclinari, quàm in pugnam: ne aſſignatas ſibi ſtationes vlli deſererent (quod non vnum Principem & regno & vita exuit) prędam vniuerſam in medium proferre, ante nihil ſe auerſuros, iureiurãdo obſtricti, omnes iubebãtur. Aequis deinde illa portionibus inter omnes diuidebatur: nec negligebantur, quos aut ægros iniqua valetudo, aut mandatum Imperatoris alibi detinebat; multo minus illi qui in ſubſidijs vel caſtris iuſſi erant manere. Quod ſoli nunc, vti dixi, Coſachi noſtri Zaporoſenſes obſeruant; ſed Poloni reliqui, calones in id plurimos agaſoneſq; habent, qui etiam in ipſo ardore belli, peſſima conſuetudine, puguantibus ſeſe intermiſcent cupiditate prędę, & ſic multoties partim à ſuis, partim ab hoſtibus conculcantur equis,

aut ceduntur; vel etiam à peditibus in ſpolia ruentibus,malè excipiuntur, qui ſibi pro ſuſceptis periculis omnem prædam deberi exiſtimant. Nam equitibus, præcipuè grauioris armaturæ, & pudor prædam attingere & capitis pœna, ſi ad ſpolianda cadauera, equo deſilijſſet. Nihilominus huius ſæculi bellis plerique tàm eorum qui vincunt, quàm qui vincuntur, ad inopiam rediguntur certiſſimò; nec quemquam belligerando à tot ætatibus ſuam patriam ditiorem feciſſe vidimus præter Guſtauum Regem Sueciæ, qui ſolus in occupandis prouincijs leges antiquorum ſeruare intendebat, & quidquid aſportari poterat in Sueciam ablegabat. Fecerunt hoc & Bataui aliquoties claſſe Hiſpanica expugnata, prouincijſq; tam in nouo Orbe,quàm in Belgio acquiſitis vt omnia publico ærario cederent, quæcunque publica in occupatis vrbibus cenſebantur. Reliqui omnes in Europa dum bella inter ſe gerunt, à parte vtraque depauperantur; ſiquidem ſi hic prouincijs ſpolietur, alter opibus exuitur, quod quidem antiquitus alter, atq; victori ſemper aliquid opum & diuitiarum accedebat. Hoc verò inde eſt, quòd prædæ apud nos,non ea quæ apud veteres ratio habeatur, ſed ea omnis militibus cedat. Vnde duo incommoda

da enaſci ſolent grauiſſima: Vnum, nimirum, quod & noſtras prouincias bello deſtruimus, & hoſtiles annihilamus. Alterum, quòd inde miles prædam potius, quàm ordines ſuos, diſciplinamq; militarem ſpectare diſcat. Multa ſiquidem exempla ſunt in promptu, vbi prę dęcupiditate victores qui iam erant, victoriam excidere. Romani itaque tãquam authores huius diſciplinę, vtriq; incommodo ſatis proſpexerunt, volueruntq; omnem prædam in ærarium deferri, atque inde eam prout viſum erat diſtribui: eamq; ob rem quęſtores ſuos in exercitu habebant, penes quos prȩda omnis, atque ſubſidia deponenda erant, inde conſul eam tàm militum ſtipendijs, quàm ęgris, ſaucijs, alijſq; egentibus elargiebatur. Quę quidem res milites accendebat, vt pro victoria potius, quàm prędapugnarent, quę profligato hoſte viritim, prout quiſque meritus eſſet diſtribuebatur. Hinc etiam opes illæ Romanorum publico accreſcebant, quas conſules, dum triumphos agerent in ærarium conferebant. Tu fac ſimi liter, ſi & victoria potiri, & rebus tuis exhauſtis mederi exoptas. Quod auté ſemel militi promiſeris, caue exſoluas fideliter, ne videlicet aut periculum aliquod, aut detrimentum ſubeas. Marcus ſiquidem Poſthumius Religienſis,

Con-

Conſul exiſtens, iuerat in Hetruriam, vbi dum arctè ciuitatem quandam obſideret, nec potuiſſet expugnare, proclamari iuſſit, prędam omnem militũ fore (nam ante hunc caſum omnis prę da ærario cedebat: poſtea autem expugnatarum vrbiũ ad milites ſpectare cępit) Si vi facta, corona vrbem expugnaſſent: Pertęſi laborum milites in caſtris, dum liberalitatem conſulis inaudiuiſſent, accenſi ſpe prędę, multo ſanguine vrbem expugnarunt; cũ interim ſignum datur à Conſule, ne prędam attingerent, ſed eam ad Quęſtores deferrent. Quapropter videntes milites illuſos ſe eſſe, arreptis ſaxis Conſulem primum obruerunt tandem omnes habitatores interfecerunt; prędamq; omnem inter ſe deripuerunt, ne quidquã reclamantibus & ſeditionem ſedare volentibus tribunis, & cohortium pręfectis.

CAPVT XX.

De Captiuis humaniter excipiendis.

IN captiuos multi olim ſęuierunt, & hodie ſęuiunt non nulli, ſed indecore, more barbarorum. Moltos etenim Epidamnios à Corcyręis interfectos ſcribit Thucydides; & quinque captiuorum millia ab Hannibale occiſa fuiſſe

diſci-

diſcimus à Dione. Ioannes quoue Tarnouius expugnato in Moſcouoia Starodubo, multa captiuorum millia occidere iuſſit, eò quòd duplo exercitũ Polonorũ ſuperarent, omneſq; ad gerenda arma habiles eſſent. Ego illos Imperatores laudo, qui quos occidere poterant, maluerunt ſeruare: ita Nicolaus Firle i bello Pruſſico cum Crucigeris, captiuos quia infiniti erant, ſtatim ſacramẽto obſtrictos, ne intra decenniũ cõtra Polonos arma ſumerent, dimittebat. Ita Chodkieuicius in Liuonia bello Sudermanico. Ita Koniecpolſcius bello Suecico cũ Guſtauo Rege, ita denique Sereniſſimus Vladislaus IV. bello Moſcouitico ad Smolenſcũ, vbi licet multo plures captiui fuiſſent, quàm noſter exercitus; nihil quidquam attamen crudele ſtatuĩ volebat in ipſos, imò ęgrotos, omnes, qui quinque millia ſuperabant, ne frigoris intenſitate perirent, ex caſtris hoſtilibus in vrbem tranſportari & curari permiſit.

Durante itaque bello Imperator captiuos non interficiat, vt fecit Turcarum Imp. Oſmanus, ſed cogitet incertos eſſe ac mutabiles fortunę caſus: diuinum quoque Numen ferocibus ſępè ſuccenſere. *Naturæ enim*, inquit Nicetas, *iniuriam facit, & humanitatis legem, violat, qui vltra victoriam, & ſuperatis hoſti-*

hoſtibus iracundiæ indulget. Scanderbegus inclytus ille Turcicarum viarum, oppugnator adeò humanus fuit, vt barbaros illos in prælio captos, menſæ ſuæ admoueret, attentus ſemper ad incertas & mutabiles fortunæ reuolutiones. Quid dicam de Philippo Maria Inſubrium Duce, qui Alphonſum Magnum cum tribus fratribus captum regali pompa ac ſi hoſpitem excepit? Quid de Sigiſmundo III. qui Maximilianum Auſtriũ, ad Biciniam in Sileſia per Zamoſcium captum, ũti fratrem, in honore ac rerum omnium affluentia Craſnoſtauię habuit? qui Magno Moſcorum Duci Demetrio Suiſcio per ZolKieuiũ in triumphum ducto, honorificentiſſimè aſſurrexit, benignè compellauit, ac tandem poſt annos plures in cuſtodia defuncto, pompa regali ſepulturam parare iuſſit. Sed & Stephanus Rex, Polocia expugnata, captiuos Moſchorum proceres, vltra merita ipſorum (nimiũ ſiquidem in captiuos crudeles ſunt Moſcouitæ) honeſtè habuit, gregarios verò & vrbicam plebem quoquo abire placeret, libere dimiſit; additis inſuper qui ab iniurijs inſultantium eos defenderent.

Verum enimuero quia propter dubiũ prę liorum diſcrimen, metu conturbatur ſępiſſimè exercitus, eapropter Imperator

tor ſi quos captiuos habet ex velitatione corpore prę̨ſtantes, animoq; ac virtute generoſos, militibus non oſtendat; ſed eos aut è veſtigio interfici iubeat, ſi barbari ſunt, exanimatos in ſecreto, aut vinctos ijs, quibus hæc mandata curarit, diligenter adſeruandos tradat, ne à multis conſpiciantur. Si verò imbelles, & demiſſo abiectoq; animo ſint ante militum ſuorum oculos conſtituat, increpitos prius perterritoſq; minaci, & toruo vultu ſuo, & quam ignaui ſint, & humiles, nulliuſq; precij, ipſe per concionem demonſtret.

CAPVT. XXI.

De Interfectis honeſtè ſepeliendis.

IMperator ſiue vicerit, ſiue victus fuerit, militum occiſorum funeribus, & exequijs proſpiciat, neque incuriam, aut occaſionis, aut temporis, aut loci, aut metus nomine prętexat. Nuſquam nó laudatiſſimi hac in parte Gręci atque Romani fuerunt, qui calde etiam accepta, ſolerti ſanè ſtudio curabant, vt interfectorum corpora humarent, vel comburerent. Et Nicias Athenienſium Imperator, omnem exercitum ſubſiſtere iuſſit, vt duos tantum peremptos milites ſepulturę mandaret. Cimon quoque

que Miltiadis filius, ſe captiuum exhibere non dubitauit, vt pater ſepulturę mandaretur. Sed & Vlyſſis generoſa manſuetudo erga defunctum Aiacem, licet hoſtẽ acerrimũ in adiuuãdo Teucro commendatur, qui cadauer Aiacis, prohibentibus id Agamemnone & Menelao ſepelire, & vltimũ officiũ amico prę ſtare volebat. Sancta enim hęc & religioſa circa eos, qui ſic abierunt pietas eſt, eiuſq; neceſſaria inter ſuperſtites demonſtratio. Etenim vnuſquiſq; militũ ſibi ante oculos ponit, eodẽ modo ſe, ſi forte in bello occiderit, ludibrio deſpectuiq; fore, & inſepultũ ſe remanſurum pręſagiens, mortis honore carere, non ferendam putat contumeliam. Quare Turcę etiam atque Scythæ occiſa ſuorum corpora, maximo conatu ex acie aſportare curãt, ne ab hoſtibus ludibrio habeantur, & vel ſepulturę ea mandãt, vel accenſis hoſtium villis concremãt. Quodq; Philippum Macedonum Regem legimus, Athenienſibus ad Cherouiam profligatis captiuos ſuperſtites remiſiſſe, & bello conſumptorum corpora ſepulturę tradidiſſe; hoc vidimus feciſſe ChodKieuiciũ in Liuonia propè Rigam, cum inſignem ex Suecis apud Kircholmum victoriam obtinuiſſet. Sed fecit hoc & Stephanus Rex patrum noſtrorum memoria captis LuKis in

Moſco

Moſcouia, vbi præceperat, vt calones ſepelirent hoſtes in expugnatione munitionis illius occiſos, milites verò ad reſtaurationem arcis conuerterentur omnes. Zamoſcius quoque in obſidione Pleſcouienſi, cum excurrentes Moſchos complures interemiſſet, vltrò ad obſeſſos miſit, vt corpora occiſorum, vel in campo liberè ſepelirẽt, vel intra mœnia vrbis inferrent. Quo audito qui in muris erant, laudibus hanc eius pietatem, Chriſtianiq; animi ſenſum magnopere extollebãt. Apud maiores enim noſtros, vix vllum olim militiæ tam ſolenne munus erat, quam humandi ſuos.

CAPVT XXII.

De Recedendo ab hoſte.

QVomodo ab hoſte recedendum, ſi conſilium pugnæ diſpliceat, nullus vnquam Ducum ſcripſit, aut ſine damno ſuo fecit. Nã diſciplinæ bellicæ, & exemplorum periti, nuſquam maius periculum imminere teſtantur, quã cũ recedit aliquis ante congreſſum ex acie, aut ſuperueniente aduerſario caſtra ſua retro mouet: quia tunc & ſuis fiduciam minuit, & inimicis addit audaciam. Verùm quia hoc ſæpiùs neceſſe eſt venire, vel vt commodiora loca occuperentur,

vel

vel vt incommoda eſſugiantur, vel ne copię confligere nolétes cogantur; ideo digeſtis omnibus, quę ratio militaris experimentis & arte ſeruauit, quibus modis id tuto poſſit fieri declarandum eſſe breuiter cenſui.

Primum itaque curandum eſt, vt tui neſciant ideò te recedere, quia declinas inire conflictum, ſed credant arte aliqua ſe ideo reuocari, vt ad oportuniorem locum inuitetur hoſtis, vt facilius ſuperetur: aut certè ſequentibus aduerſarijs, ſecretiores collocentur inſidiæ. Ná neceſſe eſt ad fugam parati ſint, qui Ducem ſuum ſentiũt deſperare ChodKieuicius ſuperuentus ab octodecem millibus Suecorum, periculoſum exiſtimãs eſſe, aut in caſtris illis manere, vbi in coronam oppugnari poſſet, aut in aciem cum duobus millibus ſuorum prodire, cũ quibus aduerſario reſiſtere erat impoſſibile, ſparſit rumorem inter ſuos, Curlandię Ducem cum duobus millibus auxilio ſibi veniſſe, ſed ſubſtitiſſe ad muros Rigenſes, quod non auderet in caſtra ſua venire, audita hoſtium tãta multitudine, ideo neceſſe eſt vt cum illo ſeſe coniungere poſſit, retrocedendo parumper ad quem iam miſerat vt ſibi obuiam veniret. Fictus erat rumor, uam Curlandus ne ſomniauerat quidé de ſuppetijs Polonis ferendis. Perſua-
ſit

ſit attamen ſuis ChodKieuicius, & ſpe animauit; diſpoſitiſq; per aliquot ordines curribus, quibus noſtri exercitus maximè abundant, tanquam è munitione aut vallo propugnando, vſque ad mœnia vrbis Rigenſis, per duo milliaria Germanica retroceſſit, & ſecus ripā Dunę in ſecuro ſuos collocauit, adiutus de nocte à ciuibus Rigenſibus, qui ei & tormenta complura, & peditum cohortes aliquot ſuppeditarunt. Sed & Princeps Curlandię, hac de ſe ChodKieuicij exiſtimatione permotus, etiam non rogatus poſtea, vltrò ſuppetiatum illi ſuis cum copijs aduenit.

Secundo, vitandum eſt ne hoſtes te retrocedere ſentiant, & ſtatim irruant, vt euenit ZolKieuio in Valachia, cum è campis Cetzorenſibus verſus Poloniā mouiſſet. Vt enim ex rumore Turcæ noſtros abire cognouerunt, ſtatim parte ab vna Dacos & Scythas imiſerunt, ipſi parte ab altera cum tormentis bellicis impreſſionem fecerunt; atque ita retrocedentes noſtros inter currus more Polonico diſpoſitos, per octo continuos dies ac noctes vehementiſſimè oppugnarunt; atque demum inſomnio atq; aſſiduis vigilijs fractos, cum iam ſedecē milliaria confeciſſent, & patrię limiti vicini eſſent, perrumperunt, & ex ſeptē millibus, maiorem ferè partem cum

ipſo

ipſo Duce trucidarunt . Guilelmus quoque Orangius prima vice cũ exercitu in Belgiũ è Germania aduenions, cum aperto Marte confligi cum Hiſpanis non potuiſſet, retrocedere ab hoſte voluit, eo quòd ſuperuentibus Duci Albane eum premere placuiſſet, trigeſies itaque caſtra mutauit nuſquam tamen clanculo effugere Hiſpanos potuit quòd ita diligenter tergo ipſius inhærerent, & ad extremum in Hanouia reliquum exercitus ipſius delerent.

Tertio deniq; aſtu aliquo militari in retrocedendo vtendũ vt cũ viribus non poſſis ſaltem ingenio aduerſariũ tuũ ſuperes, propterea pleriq; veterũ Ducum, ante pedites ſuos equites poſuerunt, cũ abirent, vt diſcurrentes aduerſarios videre non ſinerent, quãdo pedites abſcedebant. Fecit hoc Liuianus magni nominis Dux, cũ Inſubribus parem ſe non videret. Fecit in Moſcouia Lobſouicius Moſcorũ Dux, ſed parum feciliter, cum ad Putiuliam, Polonis Demetriũ Principem deducentibus congredi non auderet. Itẽ, particulatim incipiẽtes à primis, ſingulas acies ſubducebant, retroq; reuocabant, in gradu ſuo manentibus reliquis, quos ſenſim poſtea ceſſimque ad illos iungebat, quos ſubduxerant. Ita Marchio de Peſcara ad Manfredoniam, durantibus bellis inter Gallos & Hiſpa-

Hiſpanos in Regno Neapolitano , Et primùm aliquanti exploratis itineribus noctu cum exercitu recedebant vt hoſtes die orto , cum intellexiſſent, non poſſent compræhendere præcedentes. Præterea leuis armatura præmittebatur ad colles , à qua ſubito tuto reuocaretur exercitus : & ſi hoſtes inſequi voluiſſent, à leui armatura , quæ antea occupauerat locum , additis equitibus fundebantur. Nihil enim periculoſius exiſtimatur , quàm ſi inconſultè inſequentibus , ab his qui in ſubſeſſa fuerint, vel ante ſe parauerint, obuietnr. Hoc enim tempus eſt, quo oportnnè collocantur inſidiæ , quia aduerſum fugientes, maior audacia & minor cura eſt; iam autem neceſſariò amplior ſecuritas grauius ſolet habere diſcrimen. Iulius Cæſar hac in parte ſummus magiſter fuit, qui ſæpius caſtra mouendo , ita exercitum benè ordinabat , vt nuſquam damnum ei inferre hoſtis potuiſſet , licet & à tergo & à lateribus ei ſemper immineret; præſertim cum bellum cum Pompeio , Petreio, & Affranio, Ducibus veteranis gereret. Vnde ad Gergouiam audacius milites ſuos ſuccedentes, grauiter repræhendit, quòd plus ſe , quàm Imperatorem de victoria , atque exitu rerũ ſentire exiſtimarint.

Nonnulli, multis accenſis ignibus recedebant, quia ſic adhuc conſiſtere exercitum hoſtes exiſtimant. Ita Tuorouius ad Medziboſſiam in Podolia, quòd Scytharũ multitudini impar fuiſſet, & non niſi ſuperuẽtibus eos aggredi placeret. Ita Aurangius in Belgio, cum ab obſidione ciuitatis Leodienſis, receſſiſſet, datis inſuper tergiductoribus in mandatis, vt ſuburbanam ædem, D. Laurentio dicatam amburerent.

Etiam nonnulli ex antiquis fuere, qui hiſce anguſtijs circumuenti, dum ſe ſubducere ſecurè non potuiſſent, foſſam poſt ſe ducerent, eam palea ligniſq; repelerent, atq; ignem inijcerent, hoſteq; ea ratione retardato, flumen traijcerent, vt ſeſe cum toto exercitu occultè ſubducerent. Vti nuperrimè Dux Suecorum Bannerus fecit, qui ad Albim prope Torgam oppidum caſtra ſua cõmunierat ſuperuenientibus autem Cæſarianis, quòd ad reſiſtendum ſe imparem videret, igne ſic in foſſis & vallo excitato, fluuium ſuperauit, & non ſentientibus aduerſarijs ex Turingia in Pomeraniam abiuit. Timori enim nulla munimenta ſatis ſunt, proinde ingenio quætenda ad euadendum via, vt te ſaluare poſſis.

C A-

CAPVT XXIII.

De effugiendo, cum ſecurè recedere non poteris.

PRobatum toties experientia, nunquam ſine aliquo diſcrimine reuocari exercitum, ac receptui ſignū dari, vt capite ſuperiori diximus, quamuis id ſcitè, & militariter peragatur. Iam autem victoria magno empta, non eſt victoria, interdum enim fęlicius eſt nō aſſequi, quàm nimio mercari quod ambis. Quid ſi certum periculum, & interitum tuum vides? cláculum fuge, & rebus te melioribus ſerua: fecerunt hoc maximi quique Duces, neque tu erubeſce, quia miles fugiens iterum pugnabit vt Cicero dixit, & tu poteris cum meliori occaſione vti forluna tua. Quintus Sertorius pulſus acie à Q. Metello Pio, ne fugam quidem ſibi tutam arbitratus, milites diſperſos abire iuſſit, admonitos in quem locum vellet conuenire quibus deinde fuit nimium Romanis grauis ac moleſtus. Prout & Baſſa ille Turcicus, qui anno ſequenti poſt inſignem illam victoriam Naupactenſem non erat auſus cum triremibus Chriſtianorum congredi, ſed exploſis ſimul omnibus tormentis bellicis, tri-

remibus Chriſtianorum congredi, ſed explosis ſimul omnibus tormentis bellicis, triremes ſuas retro remibus egit, cũ Chriſtianorum oculos fumus impediſſet, & ſic effugit. Poſtea diſperſis cõfœderatis, & non valentibus reſiſtere, ſolis Venetis, omnia maria infeſtauit.

Triphon verò Syriæ olim Rex, victus ab Antiocho acie, per totum iter fugiens, pecuniam ſparſit, atque ita ſectãtes equites moratus, ad munitionem effugit. Quod ipſum etiam faciens Seriffus, à Rege Marochitano profligatus, inſequentium Arabum manus euaſit, & reſtaurato exercitu deinceps vtrumque regnum tam Feſſæ, quàm Marochi ſolus poſſedit.

Hannibal quoq; aſtuum militarium & dolorum vaferrimus fabricator, exercitum in Apuliam retracturus, noctu caſtra mouit. P. Aemilio, & Varrone prope ipſum caſtrametantibus, quod efficiens extingui lumina iuſſit, & quædam impedimenta è tentorijs auferri noluit, quo vel hoſtis diſceſſum non ſuſpicaretur, vel ſuſpicans aliquem ſubeſſe dolum timeret, haud dubium eſt.

Dux Albanus pugna ad Gemingam in Friſia Orientali cum Ludouico Naſſouio commiſſa, cum hoſtem caſtris exuiſſet, & per Amiſiam fluuium fugiẽtes,

tes,

tes, victor inſectaretur, Naſouius, vt Albani manus euadere poſſet, arma ac veſtes, quas illo ipſo induerat die, fugiens depoſuit, vt pro mortuo habitus, quæri deſineret.

Philippus verò in Epiro victus, ne fugientem eum Romani premerent, inducias ad ſepeliendum eos qui cæſi erant impetrauit; & ob id remiſſoribus cuſtodibus clam euaſit. Simile quid fecit Guſtauus in Pruſſia, arctè à Polonis ad Derſauiā preſſus, miſit, qui tractarent de pace, ipſe verò interim cū exercitu nocte illuni Viſtulā ſuperauit, & ſecurè euaſit. Secutus forſan conſilium Liſandri Lacedæmonij, qui dicere ſolebat, *vbi nō poteſt pellis leonina, ſuccedat vulpina.* Et quod Carbo dicere ſolebat de L. Sylla, quòd in eius animo nidum haberet leo & vulpis, id nos de Guſtauo Rege dicere poſſumus, quòd & vir fortis erat; & nuſquam ſine aſtu aliquo militarî arma in manus ſumebat. Nā & populorum genios, & locorum ſitus, & temporis oportunitates exactè cognoſcebat, atq; illis pro ſua cōmoditate vti ſciebat.

Curent ergo Duces, vt vbi viribus efficere non poſſunt, quod intendunt, id ingenij ſolertia conſequātur: & vbi hoſti reſiſtere ob certas cauſas non audēt, temere in periculū ſuos non adducant: ed vel recedāt in loca ſecuriora, fortiter

& per ſubſeſſa repugnando, vel vbi honeſtè & cum damno aduerſarij reſiſtere non poterunt, ingenioſè effugiendo. Semper autem curét, vt ſeruatis exactè ordinibus agmen procedat, atque hoc quidem noctu maximè. Nam vt Cyrus apud Xenophontem inquit. *Turbari per noctem longe maius negocium eſt, quàm interdiu, & emendatione difficilius, cuius rei gratia, tum taciturnitas exercenda eſt, tum ordo cuſtodiendus.* Id quod ſuo malo, & peſſimo publico didicit Metellus, qui magnam ſtragé Romanis attulit, quòd noctu aginine cõfuſo incéderet; de quo Salluſtius. *Ipſe* (Iugurtha) *cum delectis equitibus Metellum ſequitur: nocturnis & auijs itineribus ignoratus, Romanos palantes repente aggreditur, eorum pleriq; inermes cadunt, multi capiuntur, nemo omnium intactus profugit.* Quapropter Coſachi Zaporoſenſes & noctu interdiu maximum ſilentium in caſtris ſuis ſeruant, & ita ordinés ſuos diligenter cuſtodiunt, vt extincta paſſim diſciplina militari, ſoli videantur veterum Romanornm belli ſcientiam callere. Vnde & in ſuperuéctibus de nocte faciendis ſunt boni, & in effugiendo ſemper cauti.

CAPVT XXIV.

De cladibus acceptis ſarciendis.

HAbet has vices conditio mortaliũ, vt aduerſa ex ſecundis, ſecũda ex aduerſis naſcantur. Mors communis & victum ſæpe erigit, & affligit victorem. Infirmi itaque ingenij eſt lapſu aliquo, ſummæ rei diffidere, cum exiguis momentis ſubito inclinentur omnia quæ in bello geruntur. Etſi igitur vniuerſus fuerit cæſus exercitus, incolumis modò ſit ſaluuſq; Imperator, multas ſæpe fortuna occaſiones largitur, damna eiuſmodi caſibus accepta, reſarciendi ac vires reparandi. Hinc prouerbium. *Facilè exercitum inuenit miſer Imperator*. Igitur ſpem non proijciat, nec omnino turbetur, ſed occaſionem obſeruet, detrimentis & cladibus acceptis ſarciendis oportunam, ſi fugato ſuo exercitu ſoſpitum animos ſolari ac reficere voluerit. Sæpenumero enim re benè geſta incautiores ac remiſſiores fiunt milites, & aduerſarios, quamuis in proximo ſint, deſpiciendo, circa res ſuas negligentes, ac nimium ſecuri eſſe ſolent. Vnde fit, vt res ſecundæ interdum magis, quàm aduerſæ noceant. Qui enim aliquando ſuccubuit, pericu-

la in quæ iam incidit, alias cauere didicit; at qui nullam adhuc calamitatem pertulit, non benè reſcuſtodire proſperas edoctus eſt. Nec ſi ſuperior euadat, tantam adhibebit prudentiam pericula cauere negligens, quantam adhibuerat, vt hoſtes incautos & ſegnes opprimeret. Itaque tempeſtiuus metus prudens ſecuritas eſt: nimius verò contemptus, temeritas inſidijs facilè excipienda. Cum autem fortuna per vias inflexas, & incognitas incedat, idcirco nemo fruſtra deſperare debet, ſed ſemper meliora ſperare, in bellis præſertim, vbi vis & poteſtas fortunæ maior apparet. Siquidem ſi multi exercitus vna ſola voce, falſa quadā ſpecie, in fugam fuerūt cōiecti; multi cum victi eſſent, denuo victores extiterunt. Michael Palatinus Moldauię toties à Rodulpho Imp. & Sigiſmundo Batoreo victus in Tranſyluania, à Turcis in Boſna, à Polonis in Valachia, nuſquam tamen animum deſpondit, ſed ſemper audacior conſurrexit, & clades acceptas ita vlciſci conabatur, vt non ſemel fuerit viſus victor, & prouinciarum circumiacentium Dominus. Sic robur animi incredibile laudatur in Vitoldo Lituaniæ Duce, qui cum Scythis; Crucigeris, tàm Liuonenſibus, quàm Boruſſicis; cum Ruſſis à Ducibus Moſcouiæ, bella aſſidua gerés, toties acie pul-

pulſus, prouincia expulſus, carceri teterrimo incluſus indefatigabili tamẽ animo ſemper iras reaſſumpſit, bellũ vltrò intulit, & clades acceptas breuiſſimo temporis ſpatio ſarciuit. Idem ſcribit de Vladislao Loctico Rege Poloniæ Martinus Cromerus. Idem de Carolo Audace, qui ſub eo ſeptem annis militault Philippus Cominæus. Idem de Cazimiro Iagielonide, filiorum eius præceptor Ioannes Dlugoſſus, quem accepta ad Choiniciam clades adeo non fregit, vt magis animaret non in Crucigeros ſolummodò Pruthenicos, ſed in Liuoniẽſes etiam, in Moſcos, Scythas, Valachos, Hungaros, & Bohemos. Quid de Ludouico Naſſouio, Mauritio, & Henrico fratre illius, qui de Bernardo Vaimariẽſi, Gabriele Betlenio, & Duce Mansfeldio dicam? *Viles illi ſunt, qui fortunæ ſuccumbentes,* inquit Zeuecotius, *calamitatem ſuam deplorare malunt, quàm vlciſci.* Egregius, & nomen iſtud meretur, Imperator, qui non tàm accepti mali meminit, quàm ei ſtudet mederi. Apud Tacitum lego, *fortes & ſtrenuos etiam cõtra fortunam inſiſtere ſpei, timidos & ignauos ad deſperationem formidine properare.* Certiſſimum itaque magni animi indicium eſt, fortunæ non cedere, proſpera non extolli, Bene Vegetius. *Fortior creditur quem aduerſa non frangũt.*

Qualis erat Ferdinandus II. qui à Friderico Palatino Rheni, Regno Bohemiæ exutus; à Gabriele Bethlenio Principe fœdifrago Tranſyluanorum vix non tota Hungaria ſpoliatus à Guſtaoo Suecorum Rege vniuerſo quaſi Imperio priuatus; inſuper vexatus à Dano; inuaſus à Gallo; turbatus ab Anglo, Turca, ſubditis Principibus, ciuitatibus liberis, Electoribus Imperij, Venetis, atque demum ruſticis rebellibus; omnia tamen conſtanti animo tulit, ac tandem diuinitus adiutus, omnes omnino ſuperauit, profligauit ſuæ poteſtati ſubiecit, & victor, ac triumphator moriens palmam filio nō abſimili Ferdinando III. vna cum ſceptris Regnorum, & Imperij, tradidit. Verè de illo dici poteſt, quod de Iulio Cæſare Salluſtius ſcriptū reliquit. *In te præter cæteras vnam artem egregiè mirabilem comperi, ſemper tibi maiorem in aduerſis, quàm in ſecundis rebus animum fuiſſe.* Vt nihil ſupra eum Mithridates Rex Ponti videatur habere, qui toties victus, toties victor exiſtit, & ad extremum à Pompeio Magno, prælio ſupperatus ingenti (vt teſtatur Velleius Paterculus) ad amicos minimè deſperans dixit. *Omnis mihi etiam aduerſa, cuius author Pompeius eſſet, fortunæ tolerabilis eſt futura, non enim eſt turpe ab eo vinci, quem vincere eſſet nefas neque ei inho-*

inhoneſtè aliquem ſubmitti, quem fortuna ſuper omnes extuliſſet. Ioannes verò Magnus Dux Moſcorum ad Vendam in Liuonia è Polonis profligatus, quód caſtra, & in eis tormenta bellica eximij precij & laboris amiſiſſet ad potentiam ſuam oſtendendam pertinere exiſtimās, nihil à fortuna ademptum ſibi videri, quod non breui à facultatibus ſuis, inſigni cum acceſſione expleri poſſet, mox alia, & complura præterea, ijſdem inſignibus & nominibus conflari iuſſit; militemq; per omnes ſuas prouincias ſcribi continuò mandauit, vt cladem acceptam quantocius reſarciret. Robertus verò Bruſſius Scotorũ Rex, duodecim cõtinuis quaſi prælijs ſuperatus ab Anglis, nunquam vincendi animum aut ſpem abiecit, donec penitus patriam à iugo hoſtili liberaret.

Notandum hic erit, vt in eiuſmodi euentu, fuga inſtituatur, in caſtra, quæ in futuras clades ante pugnam muniri, & præſidio firmari ſolent. Iam autem reditus in caſtra fugæ ſpeciem non habet, nec victos nos eſſe arguit, quia poterimus omnibus Stratagematis vti, vt victoriam à noſtris partibus ſtetiſſe hoſtibus perſuadeamus. Ita Conſaluus Magnus à Gallis in Regno Neapolitano profligatus primũ in caſtra refugit, deinde cautior in omnia factus,

Gallos toto Regno eiecit. Et Zolkie-uius prælio Cetzorenſi, multitudine barbarorum preſſus, in caſtris ſe ſaluauit, ſaluauiſſetq; ad extremum, ſi in eis ad tempus ſeſe contineret. *Ita ſæpè eſt cernere eos*, inquit Polybius, *qui ſuperiores iam iam videbantur euaſiſſe, mox vniuerſo prælio eſſe victos: alios contra, qui per initia offenderant, poſtmodum mutata rerum facie, ſummæ rei victoriam ſua ſolertia præter opinionem omnium eſſe conſecutos.*

CAPVT XXV.

De Inducijs faciendis.

INter exacerbatos hoſtes, reconciliatę amicitiæ fidem plerumque lubricam atq; infirmam eſſe, experientia docemur. Proinde Imperatoribus familiaris eſt ars, temporis lucrandi cauſa, pacē, vel fædus, induciaſue aut tranſactionē ſpecioſis & irritis nominibus iactare, homines ſuos mittere; qui vbi innexis ſtudio difficultatibus, aut conceſſis leuioribus, negocium eòuſque protelauerint, vt interim licuerit domino prouidere rebus ſuis, cum ad cauſæ caput ventum eſt; non poſſe ſe de eo, ſine nouo mandato agere, aiunt. Propterea Thucydides monet, vt cura geratur, ne colloquiorū de pace prætextu, inſidiæ aut

aut proditiones velentur, vel rei tantũ ſuæ ac tempori ſtudeat inimicus. Certiſſimum enim eſt non magis à pace abhorrere eum, qui inexſpectatas planè, & nimis faciles conditiones proponit, quàm qui nimis iniquas Vtraſq; Bethlenius Ferdinando II. nobis tam in Pruſſia, quàm in Liuonia proponebat Guſtauus, modò deluderét incautos. Quapropter ego illos prudentes eſſe iudico, qui quod per legatos vrgent, vel ſtatim fieri, vel ſtatim volunt negari. Nam tēpus quod ad deliberandum petitur, inſidioſum plerumque eſt; & ideo diligēter antè, in omnia inquiri oportet, quā quàm id concedatur.

Imperator itaque dum ſe ſuperiorem ſuo aduerſario eſſe videt, aut eum nondum benè paratum ad præliũ probè nouit, inducias nullo modo faciat, neque tractationibus pacis tempus conſumat, ſed progrediatur in ſuo propoſito firmiter. Aut ſi omnino hoſtis conditiones pacis vel induciarum exigit, commiſſarios ad id in loco ſecuro aſſignet, ipſe verò nihil de conceptis ſuis progreſſibus contra eum omittat. Ita faciebant Turcæ cũ ad Chotimiam per duas aut tres ſeptimanas cum Polonis de pace tractarent; continuè attamen caſtra noſtra oppugnabătur, noſtriq; de noctu ſuperuétus in caſtra eorũ ſabiebant com-

miſſarij verò interim conditiones pacis moderabantur. Cumq; caſtra noſtra nullo modo expugnare potuiſſent, & iam hyems aduentabat, tẽpuſque miſſionis in hyberna imminebat, quo adueniente, funes tentorij Imperatoris ſui Turcæ præcidere ſolent;& rebus ſuis conuaſatis, contra omnem illius volũtatem abire tumultuariè ſæpius conſueuerunt. Ne aliquid inde damni naſceretur, ad pacis condiciones ſeriò deſcẽderunt, & ponte nobis relicto, impedimentiſque compluribus, priores domum abierunt.

Quod ſi verò Imperator Inducias fecerit, & eas ſubſcripſerit ſeu ſcriptas per commiſſarios approbauerit, nullam interim impreſſionem fieri iubeat, ſed in omnibus fidem hoſti ex integro ſeruet. Nihilominus tamen cuſtodijs poſitis prouidè ſibi caueat, ſiue induciæ ſint diuturniores conſtitutæ, puta ad annos aut menſes, ſiue breuiores ad dies ſcilicet aliquot, aut horas (quales ſæpius Germani pugnando defeſſi, ſtatuebant tempore prælij cum maioribus noſtris, cum in Pruſſia pro Crucigeris Teutonibus bella grauiſſima gererent. Et accidit in pugna Pucenſi, quæ tota die durauit, incipiens ab ortu ſolis, vſque ad occaſum, ter ex condicto per horam integram qualibet vice eiuſmodi indu-

ciæ

ciæ fuerunt, ſeu ceſſatio veriùs à prælio & morte) ne quid fraudis in te aut inſidiarum, hoſtis moliatur. Infinita enim ſunt exempla, quomodo Reges, & Principes poſt diuturna bella, aut acerrima euentu, pacis dulcedine capti, dum induciarum tempore negligentiores fuerunt, in grauiores poſtea quã belli tempore calamitates inciderunt. Itaque ex vero eſt, quod Seneca ſcriptũ reliquit. *Nunquam Imperator bonus ita paci credit, vt non ſe paret bello, quod, etiamſi non geritur, indictum eſt.*

Dum verò de pace aut inducijs tractatur, armiſtitium, in interea temporis Imperator non faciat, neque vrbis obſidionem relinquat, niſi rebus iam in toto concluſis. Ita Stephanus Rex, Moſchorũ legatis in caſtris illius apud Lucos de pace tractantibus, & tempus ſolummodò inutilibus quæſtionibus protelantibus; vrbem in oculis ipſorum expugnauit. Quod ſi te à tergo, aut domi difficultas aliqua premit, pacem ne ſperne, & inducias paciſcere. *Melior enim*, ait Liuius, *tutiorq; eſt certa pax, quã ſperata victoria. Illa in tua, hæc in Deorum manu eſt* Paulo Aemilio ne cum ſuperato Perſe, & iam facilè, vt exiſtimabãt, penitus delendo, pacem iniret, ſuaſerũt amici. At is reſpondit, *notum ſibi eſſe, ſæpè eos quorum res fractæ eſſe putantur, vlti-*

mis

mis viribus, quas fortunæ ante non commiſerunt ſibi ſaltem, victoribus damnum aut perniciem parere. Malle ſe ideo parcere ſupplici, quàm cum deſperante ideoq. alacrius pugnaturo dimicando tentare fortunam. Raro nempe bellum, eo quo euaſurum putatur, euadit; & Vladislaus Iagello poſt victoriam Gruneualdenſem, quia cum obſeſſis Mariæburgi, pacem concludere noluit, bellum vſque in nepotes ſuos cum Crucigeris transfudit. Maluit ideo Totilas iterum Romæ victor Paulo Cilici, qui cum quadringétis equitibus Adriani molé occuparat, vltrò offerre, vt, vel equis & armis traditis ipſe, & milites abirent incolumes (quòd ob agentem Conſtantinopoli cũ liberis vxorem, cum ſocio vnico Paulus fecit) vel retétis omnibus in partes ſuas militaturi tranſirent.

CAPVT VLTIMVM.

De Imperatorum hinc inde collocutionibus.

QVia non ſemper Duces pugnant, ſed ſæpè per Inducias, aut caſu aliquo poſitis armis, cum amicis aut hoſtibus loquuntur, vbi falli, ſeu agreſte vel ineptum loqui aliquid, turpe eſt. Vt igitur in prodeundo ad hoſté exiſtimatio eſt ſeruanda, ita & in collocutionibus

cautio

cautio ſemper eſt adhibenda hoc eſt. Vt in medio exercituum ſeu caſtrorum. Vt cum eximijs militum. Vt ſplendido armorũ ornatu. Et vt æquo ſpacio à ſuis militibus. Romani in hoc prudentes fuere ſed maximè Iulius Cæſar, quo neminem ſcio meliorem moderandis militiæ habenis, imò nec parem. Is igitur colloquium ſuum cum Ariouiſto Germanorum Rege, ita deſcribit. *Planicies erat magna, & in ea tumulus terreus ſatis grandis: hic locus æquo ferè ſpacio ab caſtris vtriſque aberat, eò, vt erat dictum ad colloquium venerunt. Legionem Cæſar, quam equis deuexerat, paſſibus ducentis ab eo tumulto conſtituit. Itemque equites Ariouiſti pari interuallo conſtituerunt. Ariouiſtus, vt ex equis colloquerentur, & præter ſe, denos vt ad colloquium adducerent poſtulauit &c.* Omnes hic requiſitæ ad ſecuritatem conditiones à parte vtraque obſeruatæ: quod non fecit Sigiſmundus III. cum è Polonia in Sueciam iterato iuiſſet, Carolumque patruum ſuum, quem inde ante paucos menſes abiens Regni Gubernatorem fecerat, tunc iam hoſtem factum, venientem cum exercitu contra ſe, pro virili excepiſſet. Itaque egreſſus ex arce Lécopinca, cũ illa manu Polonorũ quam ſecum habebat, publico prælio Martis aleâ experiri maluit, quã mẽnijs debilibus vetuſtate inopinato in

cludi,

cludi ſine milite, ſine munitione. Siquidem eo vnica tantum cum naui appulerat, claſſe tota tempeſtate diſiecta. Igitur poſt longum & acre certamen, quod in diem Dominicum inciderat, cum pro Rege ſuo omnes Poloni in aciecadere deſtinaſſent, nec vllus hoſti loco ſuo cederet, Carolus ſub tempus meridiei ſanguini ſuorum parcere volens, Sigiſmundum nepotem ad colloquium euocauit, acceptiſque ſecum duobus armatis, ſecus decurſum fluuij ad littus maris longè à ſuis caſtris proceſſit, quo etiam Sigiſmundus Rex cum duobus Epiſcopis Polonis perrexit, ſtandemq; & ab his grandi ſpacio remotus, vltra duas horas colloqium cum patruo habuit. Imputabant hoc Regi ſuo prudentiores, & male ab eo eſſe factum clara voce dicebant, quod contra militiæ inſtituta. & nimium longè à ſuis receſſerit, & contra viros armatos ac robuſtos, duos ſecum Epiſcopos inermes, & ex pridiana nauigatione peſſimè valentes aſſumpſerit, qui præter ſanctioris vitæ profeſſionem, natura etiam imbelles fuerant. Quod ſi itaque ille, vt in cætera perfidus erat, in perſonam quoque Regis violentius quidquá agere ſtatuiſſet, Antiſtites illi; nihil prorſus adiumenti ipſi dediſſent. Melius, & cautius lõgè, cum filio eius Guſtauo

Rege

Rege Sueciæ, Chriſtophorus Radiuillus in Liuonia ad colloquium acceſſit : parem quidem vt & ille numerum militum, ſecum habens, ſed ſelectiſſimorũ ; & qui Suecum in admirationem reparent. Erant enim quique præſtabiles iuuenes: robuſti, decori, proceri, atque ſplendidis armis inſignes. Iam autem ſæpe inſpecta parte, de totius rei præſtãtia iudicari ſolet : atque hinc hoſtium Imperator, non tantùm de ijs quæ audiuerit deliberabit, quantum illis quæ viderit, terrebitur. Quod etiam accidit Guſtauo, qui cum Haſtatos nuſquam vidiſſet, petijt à Radiuillo, vt totũ exercitum luſtrare poſſet, Annuit hic, & ille exiſtimans linguam ſuã Radiuillo non eſſe notam, cum multo inferiores numero Polonos ſuos copijs cerneret, ad Campiductorem ſuum Comitem de Pontibus, *ſi mei* inquit, *milites tam fortes ac ſtrenui eſſent, non modo pacem à Radiuillo non expoſcerem, ſed extemplò Turcæ etiam ipſi bellum indicerem, at nunc cedendum tẽpori & neceſſitati*, Cui Comes *non dubitet maieſtas veſtra, quos enim virtute ſuperare non potuimus, tractatione pactorum facilè eludemus*. Zamoſcius quoque in Campis Cetzorcnſibus cum Kazigereio, Tauricanorum Scytharum Principe, poſt longum certamen ad colloquium deueniens, obſides viros præſtãtiſſimos barba-

barbaris miſit, venientem vero ad ſe Principem illorum, quem illi Chanũ vocant, non ad colloquiũ modò, ſed & ad menſam ſuam admiſit, donatumq; munificentiſſimè cum ſuis comitibus, ad Pacem cum Polonis ſeruandam ſeriò adhortatus eſt.

Oportet itaque cautiſſimum eſſe Imperatorem, alioſq; magnos viros in cõgreſſibus & colloquijs cum aduerſario, ne ſe imprudenter in hoſtium manus miſiſſe dici poſſint. Quapropter, quoties in conſpectum hoſtis prodire voluerint, vel vt cũ eo ſermones aliquos miſceant, vel vt eum de quibuſdam rebus audiant, dent operam, vt ſecum prodeãt quoque ſelecti viri, & prudentes. Narrat Tacitus, quòd cum Cæſar cum Arminio bellum in Batauia haberet, inſtituto colloquio inter Cerialem Ciuiléq; aduerſarum partium duces, ſciſſo Vahalis fluminis ponte, in eius abrupta progreſſi, colloquuti ſunt. Ludouicus quoq; XI. Galliæ Rex, cum ſuo Equitum Magiſtro, cum quo ſimultates exercebat, in colloquium deſcenſurus, pontem amni cuidam imponi iuſſit: in eo medio cancellatæ velut feneſtræ factæ, vt conſpici inter ſe, exaudiriq; colloquentes poſſent, ac dextræ interiungi. Sed & Ludouicus Sfortia Mediolani Dux, cum Galliæ Rege non aliter congredi

vole-

volebat, quàm in fluminis cuiuſdã medio, vbi pons aut nauibus, aut alia ex materia ita ſtructus eſſet, vt inter vtrũque firmum ac robuſtum ex lignis vallum intercederet: quia frequentiſſimè in eiuſmodi congreſſibus fraudes interuenire ſolent. Et primo bello Punico, cum primũ mare populus Romanus ingreſſus eſt, Cornelius Aſina Conſul, ſimulato colloquio à Pœnis euocatus, interceptus atque oppreſſus fuit. Poſterioribus verò ſæculis Albertus Comes Frãcorum, à Ludouico Bauaro in arce quadam obſeſſus, iuramento etiam addito, fuit ad colloquium ab Othone Moguntino Archiepiſcopo euocatus, & proditus Ludouico ad plectendum caput. Omitto quomodo olim Pharaſmanis Iberiæ Regis filius, ad decipiendũ Mithridatẽ Armeniæ Regem, auunculum ſuum fœdus confinxit, & ad colloquium auocatum vita priuauit vna cum vxore & liberis. Quomodo Paches Dux Athenienſium, Hippiam Arcadum Ducem, in colloquio comprehenſum ſagittis confixit. Quomodo infiniti alij, ſuos aduerſarios colloquiorum cauſa in inſidias traxerunt. Equidem multis ſimulationũ inuolucris tegere, & quaſi velis obtendere homines ſciunt adgenitæ prauitatis indolem: lingua aliud ſæpè loquitur: aliud tacito clauſum pectore

pectore reconditur. Sub humana effigie, ferarum ſæpè animi: ſub Angelicæ pietatis larua, diabolicæ malitiæ fœditas delitеſcit: Quare cautus ſit Imperator, & cum omnia benè prius examinata in bello agat, tum ad colloquium quoque circumſpectus cum hoſte accedat: quia valdè ſunt prona ad fallendum hominum ingenia, non quorumlibet modò, ſed Regum quoque & Imperatorum; quoque potentiores ſunt Principes aut Duces eo maior eſt inſidijs & improbitati locus.

SIMO-

INSTITVTORVM
Rei Militaris.

LIBER QVINTVS
De Bello Nauali.

CAPVT PRIMVM
De Apparatu Naualis Belli.

TEreſtres prælij rationibus abſolutis, naualis belli artes deſcribere ſtatuimus, quas tum ex vſu præſenti, tum diuerſis authoribus, pro publica vtilitate collegimus, non qnidem ita ſufficiēter, aut ſcienter, vt omnibus placere poſſimus, ſed ſaltim vt ijs qui vſum nauigationis non habent, & tamen maria poſſident aliquem modum parandæ claſſis, & facilem viam debellandi Turcas vicinos, indigitemus. Optimum etenim quemq; niti & contendère decet, vt vel aliquo modo Reipublicæ proſit; & commune bonum, quo poteſt meliori

modo

modo, conſilio, ſtudio, & opera, promoueat, defendat, conſeruet. Romani itaq; omnibus exemplo eſſe poterunt, qui terreſtribus bellis potentes, non aliter hoſtibus ſuis extra Italiam exiſtentibus, terribiles eſſe poterant, niſi nauibus paratis; nec orbis prouincias poſſederunt, niſi conſcenſo mari. Hi itaque dilatato Imperio ſuo vltra maria, & tropicos Solis, pro decore & vtilitate magnitudinis ſuæ, non propter neceſſitatem tumultus alicuius, claſſem parabant ex tempore, ita vt intra dies triginta, aut minus interdum iuſtum in mare exercitum emittere poſſent, triremium ſeptuaginta vel octuaginta. Ne autem aliquãdo neceſſitatem ſuſtinerent, ſemper habuerunt claſſem pręparatam, in omnes occurrentes caſus, vti modo habere ſolent Veneti, & in armamentario & in excubijs ſinus Adriatici. Illorumq; exemplo Bataui, Genuenſes, & diuerſi Principes, tum Aſiæ, tum Europæ. Nemo enim bello laceſſere, aut facere audet iniuriam ei Regno vel populo, quem expeditum & promptum ad reſiſtendum vindicandumq; cognoſcit. Promptior autem vltio eſſe non poteſt, quam cum nauibus emiſſis eò cum exercitu in vno aut duobus diebus peruenis, quo terreſtres copiæ tuæ vix in duobus menſibus peruenire poſſent.

Iam

Iam verò in rebus bellicis, celeritas amplius interdum ſolet prodeſſe, quàm virtus. Quia igitur alij Principes, qui claſſes ſuas habent expediti non ſunt, & militem aſſuetũ mari non habent, ideo nec Venetis pares apparatu nauali ſunt, nec Turcam, qui omnibus reſiſtere nequit, per maria aggredi audent. Oportet enim vt nauibus ij præficiantur qui in ſocietatem expeditionis timorem non admittunt, ſed & pugnare pro patria didicerunt, & mori pro Religione non curant. *Olim*, inquit D. Hieronymus, *qui nauali prælio erant dimicaturi, prius in portu, mariq; tranquillo vncos præparabant, remos trahebant diſpoſitumq; per tabulata militem firmiter ſtare conſueſcebant vt quid in hac ficta naumachia, ſimulacroque naualis pugnæ didiciſſent, in vero certamine non perhorreſcerent*. Et Polybius. *Dum verò quinqueremes parabuntur, interea multitudo omnis ad remigium exercebatur, per hunc modum. Subſellis in arena per ordinem diſpoſitis, remiges inſidentes ad vocem præcipientis, qui in medio eorum erat, omnes vnà protendere brachia ac reducere, remoſque per arenam remouere pariter docebantur: ad illius vocem ſimul omnes incipiebant, ſimul deſinebant. Per hunc modum nauigandi artem edocti, & perfectis interea nauibus mare ingreſſi, poſt paucos dies circa Italiam nauigantes, ſecundum*

 Ducis

Ducis iuſſum, verum in vndis periculum fecerunt. Exercent remiges ſuos & Veneti præcipuè condemnatos; tenuioriſq; ſortis nobiles ſuos, vt rei maritimæ aſſueſcant, iuuenes adhuc per triremes diſponunt. ſumptu publico prouiſos, vt à Pręfectis claſſium veteranis ſcientiam militarem addiſcant. Similiter filios artificum, certò numero liberationem tormentorum, ſtatis diebus per annum, edocent, vt in occaſionem belli non quærant extraneos, qui minus fideles erunt.

Quapropter Principes gloriæ cupidi, & emolumenti, militem bello nauali exerceant, vt aſſueti non extimeſcant fluctus æſtuſq; violentes; ſciantq; ex arte torquere remos, & ludificari fuga roſtra. Id aſſiduè præ oculis habentes, quod non alia re creuere Romani, vti dixi, niſi quod mare trāſire fuerint auſi: primumq; Appio Claudio Conſule, rudis ille & paſtorius populus, fretum ingreſſus eſt, & apud Liparas cum Hierone Syracuſano Rege: Duillio Duce congreſſus eſt; & victoriam obtinuit.

CAPVT II.

De Modo fabricandarum Nauium.

DIxi de nauali apparatu conſulēdos nūc eſſe Venetos, qui præ cæteris Prin-

Principibus, aut Reſpub. pollent induſtria huius rei & diligentia: habentq; in armamentario ſuo omnem materiã, & inſtrumenta omnia ad fabricandas naues ita præparata, vt ſpatio horarum aliquot vna Liburnica conſtrui poſſit, integraq; claſſis paucos intra dies in mari conſpici. Præter naues paratas, quæ & in Candia, & in Corcyra, & plurimis alijs in locis habentur. Quod verò nauium genus præferendum ſit, grauiorum an verò leuiorum, dubitare meritò quis poſſet, niſi litem illam præſentis ſæculi praxis ſoluiſſet: nam Thunetanæ triremes præſtant Italicis ſola celeritate. Italicæ deinde expeditiores habentur Turcicis, & Batauiæ Hiſpanicis. Angli quoq; licet minores, leuioreſq; nauas habeant, quàm Sueci, aut Dani, multò tamen potioresſunt in prælio nauali, quã reliquæ omnes, quæcunque in Germania fuerint fabricatæ. Quamuis Florus dicat, Carthaginenſibus celeres & expeditas naues nil quippiam contra Romanos grauioribus inſtructos profuiſſe. Cum enim C. Duillius videret graues ſuas naues mobilitate Punicæ claſſis eludi, irritamq; virtutem militum fieri, excogitauit manus ferreas, quæ vbi hoſtilem apprehẽderent nauem, ſuperiecto ponte, tranſgrediebatur Romanus, & in ipſorum

gatibus cominus eos trucidabat. Sed quia nauigia quæ modum excedũt, regi nequeunt, idcirco bellicæ naues mediocres debent conſtrui, vt & fugere, & ſequi hoſtem poſſent. Quo autem velociores ſint adcurrendũ, neceſſe eſt, vt ſ uo hircorũ atque oleo benè iniũgantur ſupra picem. Sic Rhodia nauis inũcta aliquoties portum Siracuſanũ, fruſtra prohibentibus Romanis, ingreſſa & egreſſa: nec à tota claſſe capi potuit, niſi occluſo trabibus portu. Et nauis qua Sigiſmundus III. è Polonia in Sueciam vehebatur, ad capiendum Regnum hæreditarium, licet maior omnibus alijs, quæ cum ipſo ibant fuerit, quia tamen melius inuncta erat, quàm reliquæ, ideò vnico tantùm velo expanſo eoq; minimo, præcedebat omnes plenis velis nauigantes. Vnde, idẽ Florus ſcribit, quod in illa pugna nauali, quæ fuit inter Auguſtum Cæſarem, & M. Antoniũ, propter nauium agilitatem, victoria ſtetit penes Cæſarem. Nec ſæculis ſequẽtibus grauiores naues profuerunt, Genuenſibus, cũ promptas & leues haberent Veneti. Et non ita pridem agiliores naues Anglorũ, ingenti damno affecerant claſſem Hiſpanorum, ſub Iſabella Regina; & Batauorum nuper ſub Philippo IV.

Sed quantum ad modum fabricãdarum nauium attinet; Aliter ad bellum fabri-

fabricantur naues in Europa,& aliter in Aſia atque Africa. In America verò nullæ viſæ ſunt naues aptæ bello ab illis barbaris conſtructæ, ſed quæ littus tantùm legere poſſunt aut onera minora portare; quæ autem ad prelium nunc habiles conſpiciuntur,ab Europæis ſunt conſtructę.

Quæ igitur in Aſia ad portanda onera naues fabricantur (dico ab illis indigenis, nam Europæi homines vbique ſuo modo ac more fabricant) illę, & prægrandes nimium ſunt, & diſcopertę deſuper; eo quòd Oceanus ille Auſtralis per mediũ annum habeat ventum oriẽtalem & per medium occidentalẽ: nec turbetur alijs fluctibus tranſuerſantibus qui aut euertere, aut cõtorquendo ſubmergere nauim poſſint. Quę verò ad bella conſtruuntur, illę nimium longę ſunt, & diſcopertę ſimiliter; in Regno autem Calecutano octuaginta remi in vna parte nauis, & totidem in alia collocantur. Sunt & alij generis naues bellicę, ſed quę omnes lyntrium formam preferunt, nec coperiũtur deſuper, quia quietius mare habent: quàm nos ſeptẽtrionales Et quia in pluribus locis magnes lapis ſub aquis reperitur qui extrahendo clauos naues diſſoluit,& nauigãtes ſubmergit; ideò cõmuniſſimè Aſiaticę naues, clauis ex oſſibus piſcium

(aut ligneis) factis, compactæ ſunt. Sed iam nauclerі Europæi periti ſunt locorum illorum, & cum nauibus ſuis ſinus illos euitant.

In Europa denique ipſa naues ad bellum aliter fabricantur in Oceano, & aliter in mari Mediterraneo, atq; ſinubus diuerſis. Nam triremes in Oceano Septentrionali facilè à fluctibus frangũtur, aut ſubmerguntur, quia raræ ſunt ſtationes & impetus ventorum vehementes. In Mediterraneo verò aut Euxino mari, & fluctus ſunt minores, & portus frequentiores, & aquatio facilis. Vnde interrogatus quidam, quis potiſſimum commeatus nauigatoris in longinquas oras neceſſarius eſſet? Aquã reſpondit. Rurſumq; rogatus, quid ſecũdo loco neceſſarium eſſet, Aquam iterum reſpondit. Tertio euoque idem interrogatus, eodem modò reſpondit. Qua loquendi figura, quàm eſſet huius elementi copia nauigaturis neceſſaria declarauit, videlicet & ad ſitim extinguendam, & ad ignem ab hoſte iniectũ ſuffocandum & ad nauigandum denique abſque breuibus & vadis. Maris enim aqua potum nauigantibus ob ſuã ſalſedinem non prębet, flammam conceptam non extinguit, & vbi non eſt ſufficiens ad ſuſtinendum naues onerarias, facillimè eas inſurgente tempe-
ſtate

ſtate allidit & diſrumpit. Atque ita in conflictu illo inter Gallos & Anglos ſub Ludouico IX. duę naues Britannicę, & Gallica vnà inuſitatę magnitudinis, quàm Cordigeram appellabant, vno tempore miſerabili exitu conflagrarũt; aqua enim ſalſa maris flammam magis excitabat, quam diſcerpta tormenta, adauxerunt, & ſupra duo millia hominum pręcipitarunt. Similiter pugna, inter Danos & Suecos durante 1564. erat inter cæteras Suecicas naues vna Mageleſia appellata, quę eximia magnitudine, & apparatus inſigni copia, omnium admirationem ſuperabat, ſic vt multi nullam maiorem, vlla hominum memoria in Septentrionali Oceano viſam eſſe affirmarét. Sed victi eam Sueci amiſerunt inflammatam.

Igitur Architalaſſus naues quę modũ excedunt, non iubeat fabricare, quia & ab vndis intumeſcentibus franguntur, & pręlij tempore difficulter reguntur, & oppugnantibus velut ſcopus aliquis ad incendendũ aut perforandum globis ignitis exponuntur, vt multoties experientia docuit in pugnis Hiſpanrũ, tàm cũ Anglis, quã cũ Ho landis, factis. Pręterea nautis & militibus ſemper aquam recenté procuret. Tũ coria ad obtegendos malos, ne flammam concipiant ab ignitis contis; tum Velamina ex goſſi-

pio molliter facta ad contegẽda latera, vt lenius globos tormẽtorum excipiãt. Sic fecere Almeida, & Albuquercius peritiſſimi Regis Luſitaniæ Emmanuelis in Indijs Orientalibus Duces. Sic Dracus Anglus, Sic Andreas Auria Genuenſis ſic alij infiniti naualium bellorum magiſtri, & triumphatores.

Triremes autem Italicæ vniformiter quidem vbique parantur, & ſimiles sũt Africanis, & quæ à Conſtantinopoli veniunt; nihilominus inter ſe quadam proportione fabricæ, atque figura differunt; idcirco capite ſequenti de hac earum diuerſitate differemus.

CAPVT III.

De Diuerſitate nauium.

QVia diuerſæ olim gentes, diuerſis temporibus mari plurimùm potuerunt, ideò diuerſa quoque eis genera nauiũ fuerunt. Velut Auguſto Imperatore dimicante Actiaco prælio, cum Liburnorũ auxilijs præcipuè victus fuiſſet Antonius (Liburnia autẽ eſt pars Dalmatiæ, Iadertinæ ſubiacens ciuitati) propterea ſequentibus temporibus Romani naues ſuas more Liburnorum texuerunt: quorũ exemplo nunc etiam per totum mare Mediterraneum triremes

(nam

(nam aliter extruũtur onerariȩ, quibus itidem ad bellũ vtuntur omnes Auſtrales, more Septentrionaliũ populorum) fabricantur, & appellãtur Liburnæ. Quarum aliæ ſunt maiores, aliæ minores: aliȩ grauiores, aliæ leuiores, & ideò magis capaces ad portãda onera: item, aliæ tardiores obtuſitate formȩ ſuȩ, aliȩ velociores: aliȩ capaciores diſtenſione laterum & vniuerſi corporis, aliæ verò plus iuſto longiores & ad frangendum à fluctibus marinis quadam ſui diſpoſitione procliuiores Harum ſingulæ ſingulos nauarchos habere ſolent, qui exceptis cæteris nautarum officijs, gubernatoribus atque remigibus & militibus exercendis, quotidianam curam & iugem induſtriam exhibere debent. Africanȩ attamen triremes, multo ſunt minores, quàm Liburnæ Europæorum, quamuis ſint eiuſmodi figurȩ, & idò ſunt expeditiores in aggrediendo, & celeriores in aufugiendo. Europeæ verò fortiores ſunt ad congreſſum in pugna, & aptiores ad ferenda tormenta maiora, & inſtrumẽta belli, quibus etiã vrbes munitæ oppugnantur. Naues demũ bellicæ quibus Septentrionales vtũtur in Oceano, aliæ ſunt maiores, aliæ minores, quȩ ſcaphas ſibi adiunctas etiã habent; & ſunt capaciores quidem rerũ portandarum Liburnis, ſecurioreſque

in tempeſtate: cæterũ ſuperueniéte malacia, expoſitæ ſunt omnibus periculis belli, cũ nec progredi in hoſtem queant, quòd remiges nó habeãt, nec diffugere ſuperueniente aduerſario cum roſtratis, quæ remibus aguntur. Vnde ſæpius malè fuerunt exceptæ eiuſmodi naues Chriſtianorũ à Turcis, preſertim apud Præueſam & Gerbim: & anno ſequenti poſt Neupacteam pugnam in mari Egeo, ſub Pio V. Ideò tempus totum perdiderunt Duces confæderatorum Principũ, quod plures haberent naues magnas cũ velis, quàm triremes ſeu Liburnicas cum remis: vento itaque cõtrario ſemper exiſtente, claſſis rebus infectis diſceſſit, cũ Turcæ accedere ad noſtros nó auderent, noſtri verò ad ipſos vento cõtrario flante, non poſſent. Quapropter & his quæ velis, ſolummodò vtuntur, & illis quæ remis atque velis aguntur, ſcaphæ diuerſæ, & Myoparones, in copia ſunt adiungendi, nã per huiuſmodi nauigia minora & ſatis expedita, partim ſuperuẽtus peragũtur; partim cõmeatus adfertur, aut aduerſario aufertur: partim denique ſpeculatio hoſtium peragitur. Dalmatæ, Iſtrij, Albani, & Ruguſęi talibus ſcaphis plurimùm valent in bellis propter velocitatem, quia non plures vicenis militibus portant, qui ſimul ſibi & remiges ſunt; ad plurimum tricenos

cenos milites habent. Sicut & lyntri Coſachorũ Zaporoſenſiũ quibus Pontũ Euxinum ſulcant: qui hoc tantùm ſolo differunt, quòd ex vna arbore craſſa ſint elaboratę ſeu edolatę, nõ verò ex aſſeribus compoſitę: vnde atrdiores quidẽ ſunt in nauigando quàm Dalmaticę, aut Germanicę ſcaphę; cæterum firmiores ad congrediendum roſtris, ſecurioresq; à ſubmerſione in tempeſtate quod certa herba circumcirca ſint ſuffultę, quę non ſint mergi. Solent alię naues eorum eſſe capaciores, vt puta quę ſexaginta viros prętercommeatum ferre poſſunt, ſed paucę ſanè, quia non paſſim tam craſſa tilia, aut populus rereritur. Has enim arbores leuiter cuneis diſtentas leuiter ad ignem calefactas. edolant, & in latum vt ſatis ferramentis extenſas, aſſeribus ad latera ſuperadditis profundiores faciũt, & ſic ad ſolem exſiccãt poſtea manipulos herbę colligatę firmiter per circnm applicant, quę & globos tormentorum minorum aduenietes ſua mollice retinet. & vel in maxima tempeſtate ſubmergi non patitur.

Ne verò ſpeculatorię naues candore prodantur, colore veneto, qui marinis fluctibus eſt ſimilis vela tingenda sũt & funes. Cera etiam qua vngere ſolẽt naues, aut pix inficitur. Tum & nautę ipſi ac milites venetã veſtẽ induũt, vt non

ſolum per noctem, ſed etiam per diem facilius lateant explorantes, ſiue myoparonibus veniant ſpeculatum, ſiue ſcaphis grandioribus ad ſuperuentum deputatis. Coſachi Turcicas naues Trapezuntum, Burſiam, aut Capham euntes ſic eludunt de die etiam, non tantum de nocte: nec vllo prorſus colore conſpicuo in nauali expeditione vtūtur.

Quantum denique ad conſtruendam nauium materiam, quotidianus iam vſus omnium architectorum edocuit, arbores pro extruendis nauibus nō præcidi, niſi à quintadecima luna vſq; ad vigeſimam tertiam: quia his tantùm octo diebus cæſa materies immunis ſeruatur à carie; reliquis autem diebus præciſa etiam eodem anno interna vermiū labe exeſa, in puluerem vertitur. Vtiliuſq; æreis clauis quā ferreis nauis bellica configitur; quæ licet grauior aliquanto videatur expenſa, tamen quia amplius durat, lucrū probatur afferre: nam ferreos clauos tempore, & humore celeriter rubigo conſumit, ærei autem etiā in fluctibus propriam ſubſtantiam ſeruant. Cæduntur autem trabes vtiliter poſt Solſtitium æſtiuum, id eſt, per Mēſes, Iulium, Auguſtum & per Autumnale Aequinoctium vſque ad Kalendas Ianuarias. His namque menſibus areſcente humore ſicciora, & ideo fortiora

ſunt ligna. Quæ autem in Septentrionalibus partibus brumali tempore cæduntur illæ arbores dum æſtate ad ſolem ſiccantur rimas faciunt, humore naturaliter foras erumpente prouocatione caliditatis; & ſic non ſunt aptæ ad fabricandas naues, niſi longo tempore prius ad ventum ſiccentur. Nam illud maximopere cauendum eſt, ne continuò vt deiectæ fuerint trabes ſecẽtur, vel ſtatim vt ſectę fuerint, mittantur in nauem. Etenim quę virides compinguntur, cum natiuum humorem exudauerint, cõtrahuntur, & rimas vti dixi faciunt latiores, quo nihil eſt periculoſius nauigantibus maria.

CAPVT IV.

De Telis, Tormentiſq; naualibus.

MVlta quidem armorum genera prælium terreſtre deſiderat, ſed nauale certamen non ſolùm plures armorũ ſpecies, verum etiam machinas & tormenta flagitat, vt tãquã in muris dimicetur & turribus. Quid enim crudelius congreſſione nauali, vbi & aquis homines perimuntur, & armis, atque flammis? Pręcipua ergo eſſe debet tegminũ cura, vt cataphracti vel loricati, galeati etiã & ocreis more antiquo muniti ſint milites. De onere namq; armorum

rum nemo poteſt conqueri, qui ſtans pugnat in nauibus : vnde & ſcuta validiora propter ictus ſclopetorum habere non impediret, cum non omnes ferreis thoracibus poſſunt armari. Oportet enim non nullos expeditos eſſe, qui admotis Liburnis inijciant pontes in aduerſariorum naues, aut tranſeant per remos diſtétos extéſoſq; à remigibus tuis, ibiq; gladijs manu ad manum cominus dimicent. In maioribus quoque Liburnis, propugnacula turreſq; conſtituunt nonnulli, Veneti verò præcipuè, vt tanquam de muro, ita de excelſioribus tabulatis facilius vulnerent, & perimant inimicos, qua re maximè Turcas in Arcipelago, & ad Naupactum fregerũt: Genuenſibuſq; olim perſæpè graues fuerunt. Sed nunc iam & magnus Dux Hetruriæ, & Rex Galliæ in mari Tyrreno eiuſmodi nauibus maioribus cum propugnaculis vti cæperunt.

Inter machinas autem quæ ex nauigijs aguntur, & quibus maritimæ ciuitates deuaſtãtut, veteres primo loco ponebant Sambucas, dein E epolis, hoc eſt, paruas machinas vrbium deuaſtatrices, quæ tum cum nauigia propè murũ aduenerint, aut funibus, aut contortis torcularibus, ſupra murum aditũ præparantes eriguntur. Harum apud Græcos Danis Colophonius magiſter præcipuus

puus

puus fuerat, qui & pontes ratibus impoſitos excogitauerat, cum propugnaculis à latere vtroque conſtitutis, vt hoſte in aduerſa ripa exiſtente, exercitus innocuè tranſire poſſit. Nunc omnia bombardis maioribus, minoribuſq; aguntur, quæ pro certa proportione certis quoq; nominibus inſigniuntur ab artificibus earum, vt puta Canones, Medijcanones, Quartapars, canonum, Falcones, Colubrinæ, Mortaria atque demum ſclopeta, quæ itidem, pro ratione proportionis, ab vnaquaque gente aliter atque aliter inſigniuntur.

Vtuntur quoque in pugnis naualibus de ſuper ex cacumine mali diuerſis projectis & miſſilibus, tum contis, lanceis, & lapidibus artificioſè præparatis ad deijciendum in capita pugnātium aduerſariorum ſuper tabulatis. Tum oleo incendiario, ſtuppa, ſulphure, arena calida & ardente, igne Græcanico, globis incenſiuis, pomis granatis ignem eiaculantibus, & ſagittis ardentibus bitumine obuolutis, quæ per varia inſtrumenta, in hoſticarum nauium alueos infiguntur; iniunctaſq; cera, & pice, & reſina tabulas, tot fomentis ignium repentè ſuccendunt. Qualiter Baſſa Alexandrinus, quas capere non poterat pyratarum Anglorum naues, igne immiſſo in mari Ionio ſuccendit. Et paucos ante

annos

annos Hiſpani complures naues Hollādicas ad Littus Regni Congu in Africa, cum eorum Architalaſſo exuſſerunt,cū ipſis ex America redeuntibus obuij facti præliū præſētaſſent. Similiter & naues Dātiſco emiſſæ in Suecū,tēpore belli Pruſſici cum Guſtauo,eius naues aliquot,atq; Ducem ipſius claſſis ſuccenderunt cum Prætoria.

Cn. verò Scipio bello nauali cum Pœnis,amphoras pice & teda plenas,in hoſtium claſſem iaculatus eſt, quarum iactus & pondere foret noxius, & diffundendo quæ continebant, alimentum præſtarent incendio. Annibal quoque eius ātigoniſta Regi Antiocho mōſtrauit, vt in hoſtium claſſem vaſcula iacularetur viperis plena,quarum metu perterriti milites,à dimicatione,& nauticis miniſterijs impedirentur. Idē fecit iam cedente claſſe ſua Pruſſias,& pręliū reſtaurauit:cōſternati enim rei nouitate Pōtici,& ācipiti periculo circumuēti,hoſti victoriā ceſſere. Simili ſtratagemate Veneti contra Genuēſes in pugna nauali apud Foſſam Clodiā vſi,qui vaſis fictilibus cineres impoſuerūt,cōgreſſiq; cum hoſte, clamore ingenti excitato in naues ipſorum coniecerunt;atque ita viſu militum impedito,naues ipſorū celeriter conſcenderunt,& victoriam facile ex perturbatis re inopinata obti-

nue-

nuerunt. Bello denique Belgico exorto Guilelmus Orangius ſuſcepta contra Philippum II. Regem ſuum rebellione, cum Ludouicus Requeſenius Zelandiæ inſulas aggrederetur, nouum in aquis caſtellum fieri excogitauit, quòd in ipſo æſtuario tranantibus Hiſpanis derepentè opponi poſſet, miram ignium copiam ex ſe euomendo: prout & illa machina Antuerpienſis, in Alexandrum Farneſium, per Scaldim emiſſa.

Sed quia nunc omnis claſſis tam barbarorum, quàm Chriſtianorum æneis bombardis armatur, & naues non ſemper maiores ad manum eſſe poſſunt, aut vbique ſufficientem ſufferẽdo ſuo oneri aquam habent; ideò remedio barbari Regis, ſed minimè barbaro vtendum. Is fuit Abas Rex Perſarum bellicoſiſſimus ante annos aliquot defunctus, qui conſultando de Ormuzana expeditione cũ Ducibus ſuis, vt intellexit naues ſuas portandis maioribus tormentis, quæ ad arcem feriendam neceſſaria erant, ineptas eſſe, reſpondit. *Si non potero traijcere integra tormenta, metallum in fruſta conciſum tranſportabo, fundamq; tormenta in ipſa Inſula.* Conſilium certè non aſpernandum Ducibus, quibus ſuperare mõtes, aut minoribus nauigijs tranſire ſinus maris, aut lacus neceſſe eſt: cum

etiã

etiam Turca hacſæpiſſimè vtatur arte in lōginquis expeditionibus præſertim cum illis deſerta Aegipti, aut Arabiæ, tranſeundum ſit. Camelis eapropter metallum portat, & caſtris iam in hoſtico poſitis, tormenta fundit.

CAPVT V.

De Notitia locorum in mari.

QVoniam in diuerſis regionibus, diuerſo lunæ creſcentis minuētiſq; ſtatu, certis horis aquæ variantur, fluxuſq; & refluxus maris variè vbique & non vniformiter creſcit, aut decreſcit, ideo prælium nauale geſturus, conſuetudinem pelagi, vel loci, ante congreſsū debet cognoſcere, ne forte ab aduerſario opprimatur, vt euenit Ioanni Naſſouio, ab Iſabella Belgij Principe, cum decem millibus ad intercipiendum Bergozomum ſcaphis minoribus Antuerpia emiſſo, qui congreſſus cum Hollandis in id inuigilantibus, cum refluxu maris abſcedente, naues in rheumate confediſſent, & nec pugnare, nec fugere aduerſarios potuiſſent, vniuerſum exercitum amiſit.

Nautarum itaque gubernatorumq; ſolertia eſt, loca in quibus nauigatur portuſq; cognoſcere, vt infeſta prominentibus

tibus vel latentibus ſcopulis, vadoſa ac ſicca vitentur; quia tanto ſecuritas maior eſt, quanto mare altius fuerit. Hac arte olim Dalmatę & Bytinij; poſtea Grecij, & Rodij; tandem Ligures, & Pœni; poſtmodum Biſcaini & Marſilienſes floruerunt. Nunc peritię rei nauticę, penes ſolos ferè Portugalenſes & Holandos manſit, qui Orbem penè circumnauigantes & Syrtes & charibdes omnes pernouere; libriſq; ea de re in publicum vſum conſcriptis, omnium portuũ & viarũ maris doctrinam ſeu notitiam poſteris tradidere.

Quapropter in nautis diligentia, in gubernatoribus peritia, in remigibus virtus eligitur, cum deſcendendum eſt ad prælium; naualis ſiquidem pugna tranquillo cõmittitur mari Liburnarũq; moles non ventorum flatibus, ſed remorũ pulſu aduerſarios percutit roſtris, eorumq; rurſum impetus vitat: in quo opere lacerti remigum, & ars clauum regentis magiſtri victoriam præſtat: E cõtra naues abſq; remis in Oceano magno aut lacubus ſinibuſq; Septentrionalibus præliãtes, venti proſperitatem attendere debent, ne fluctibus conſurgentibus tempeſtuoſis, vna cum aduerſario pereant, aut ſuperueniente malacia ſtent ocioſæ, mirantes ſolummodò hoſtiles naues. Sæpè autem poſt eiuſmodi

quie-

quieté maris tépeſtates vehemétes inſurgere ſolét, quæ & integras prouincias ſubmergunt, & naues longè à littore in cápos apertos eijciunt, vt paucos ante annos in Friſia orientali, & tractu Bremenſi accidit: & antiquiſſimis quoq; ſęculis multoties euenit, vt in hiſtorijs patet. E Valentiniani Imper. anno tertio, tantus terræ motus per totũ ferè Orbé fuit, vt ad littus Alexádriæ, quemadmodum teſtatur Zonaras, ſubductę naues, ſupra magnum vrbis murum fuerint elatæ. Et nautæ narrauerunt, cum medium Adriaticum mare nauigarent, naues ipſorum ad fundũ deſediſſe: moxq; reuerſa aqua, nauigationem confeciſſe.

Imperator igitur pręlio nauali decertaturus, & maris tempeſtatem vitet, & locorum notitiam habeat. Laudatur hinc Ludouicus Requeſenius Belgij Gubernator, qui Zelandiá aggreſſurus, primò Ioannem Arandam prẹmiſit, vt per homines fidos ac gnaros exploraret vada, ediſceretq; ſub aquis eminentias illas, & colles, in quorũ iugo prẹalta illa, queq; inacceſſa videbantur maria, pedum veſtigio ttanſmitti poſſent. Raphaelem autem Barberinum, nõ modò ad tranſuehendos milites actuarias fabricare iuſſit naues, & lembos planioribus carinis, & pétones, & trabibus intextas rates, ſingula ẹſtimatis antea ẹſtua-

rijs

rijs accommodata; ſed etiam ſubitarias aliquot munitiones & caſtella in ipſo aditu Zelandiȩ ad capita & flexus Euriporum excitare, vbi cibariorum inuectiones reponerentur. Atque ita rebus hunc in modũ impigrè curatis, expeditionem aggreſſus, & victoriã aſſecutus eſt, quãuis magna cũ difficultate; quòd illud fretum ȩſtu remittente, claſſi quidem in acceſſum erat, pedibus autẽ difficulter tranſmitti poſſet, propter inobſeruabiles lacunas, cȩcoſq; ſubterlabentium riuorum occurſus paſſim intercedentes. Quapropter mutationis fluxus cauſas, & ſigna tẽpeſtatũ à nautis peritiſſimis cognoſcas neceſſe eſt, ſi uis abſq; damno militũ tuorum victoria potiri.

CAPVT VI.

De ſignis tempeſtatum.

QVicũq; exercitum armatis claſſibus vehit, turbinũ ſigna debet prȩnoſcere, ne pereat; nam procellis & fluctibus Liburnȩ grauius quàm vi hoſtium ſȩpè perierunt, vt hiſtorias Oriẽtalis, & Occidentalis Imperij, legenti videre eſt. Et Veneti Cyprum defendere volentes aut alias Pelopeneſi vrbes, non ſemel iacturã paſſi ſunt à tẽpeſtate. Caroluſq; V. detrimentum ingẽs

ad

ad Tunetum ſubijt, & paulò ante eum Alphonſus Magnus ad Gerbim. Tũ alij Principes, alijs in locis ſæpius. Quapropter Naturalis Philoſophiæ, & Mathematicarum ſcientiarum peritos habere ſecum neceſſe eſt; ſed multò magis nautas ſolertes, & longa nauigatione probatos; quia ſicut cautos & prouidos cautela tutatur, ita pro acerbitate pelagi, negligentes extinguit incuria. Hinc ipſum etiam Imperatorem noſſe debere aſtrorum ſiderumq; motus, meritò in ſuo Strategico Onoſander docet cui ſubſcribit & Polybius inquiens *Debet igitur Dux exercitus perſpicuè cognoſcere Solſtitiũ Aeſtiuale & Aequinotia, & intermedias dierum ac noctium, tàm auctiones, quàm diminutions. Sic enim dumtaxat, ſecundum rationem commenſurare poteſt, quæ tàm mari, quàm terra perficienda veniunt. Maxima nſcienda ei ſunt ſigna Zodiaci, & motus lunæ, qui naualis belli Architalaſſus eſt, vt poſſit ſcire pro Regione qualibet, imbrium, & fluuiorum inundationes.*

Igitur ventorum numerum atq; vocabula ars nauigandi primum debet inſpicere: qua in re maximam nunc cognitionem habent Ligures in Italia, Biſaxini in Hiſpania, Bataui verò inter omnes Septẽtrionales, prout Arabes inter Auſtrales, nam licet Iaponenſes præcipuè inter omnes cognitione tempeſta-

peſtatum & natura ventorum excellũt, illi tamen noſtratibus Europęis adęquari non poſſunt, quia tantummodò ſua maria nauigãt, nec vltra Cocincinã portus alios norunt, Batauï verò vniuersũ Orbem circumnauigant, & peritia artis ipſos etiam Luſitanos, qui ibi ſparſi per Indias habitant, abſque controuerſia ſuperant. Iam autem difficilè naufragium pertulit, qui ventorum rationem diligenter inſpexit. Quapropter & quibus menſibus tutius nauigetur, apud peritos inquirendum, & deinceps obſeruandum eſt: neque enim integro anno vis atque acerbitas maris patitur nauigantes; ſed quidã menſes aptiſſimi, quidam dubij, reliqui claſſibus intractabiles ſunt lege naturę. Poſt ortum enim Pleiadum, ideſt, à primis diebus Iunij vſque ad Arcturi ortum, id eſt ad medium Octobrem, ſecura nauigatio creditur: quia ęſtatis beneficio ventorum acerbitas mitigatur. Poſt hoc tempus vſque ad medium quaſi Nouembris incerta nauigatio eſt, & diſcrimini proprior. Reliquum tempus anni vſque ad medium Martium, crebris tempeſtatibus nauigia conturbat; quinimo ad finem ipſius Maij periculoſè maria tentantur: non quod negociatorum ceſſet induſtria ſed quia maior adhibenda eſt cautela, quando exercitus nauigat cũ Liburnis, quàm

quàm cum priuatorum mercium feſti-
nat audacia.

Vnde non Menſium ſolùm.ſed etiam dierum,quibus ortus occaſuſq; ſyderum tempeſtates vehementiſſimas commouent,rationem diligenter nautæ prudẽtes obſeruant. Interluniorum verò dies tempeſtatibus plenos, & nauigantibus quàm maximè metuendos, non ſolùm peritiæ ratio ſed etiam vulgi vſus intelligit. Sed neceſſe eſt, vt Duces etiam ipſi intelligant & maiorum luminariũ defectus,hoc eſt ſolis aut lunæ Ecclipſes obſeruent;& ſi turbantur ex eo milites, aut nautæ,in bonam partem interprætẽtur. Ita nauigans cum exercitu in Africam Agathocles, territos ob ſolis defectum portẽti religione miltum animos erexit; affirmans ſi ante profectionem id eueniſſet, ſe pro ominoſo plane, & aduerſo ſibi prodigio id habiturum: at iam procul dubio hoſtibus, quos oppugnatum ibant, Deos minari. Addens ſimul naturalium ſiderũ defectum, præſentem ſemper ſtatum mutare; certum ideo eſſe florentibus Carthaginenſium opibus, rebus è diuerſo ſuis afflictis, ſignari & imminere commutationem.

CA-

CAPVT VII.

De Pugna nauali, Marte aperto committenda.

QVi Marte aperto nauale cupit cõmittere prælium, curet imprimis, vt alto & libero mari eius ſemper claſſis vtatur, inimicorum verò ſemper pellatur ad littus: quia pugnandi impetum perdunt, qui detrnduntur in terras. Irẽ curet, vt ſint à tergo ipſius aut ad latus inſulæ aliquæ, ad quas poſſit inſidias locare; quemadmodum fecerunt Genuẽſes, cum apud Caietam cum Alphonſo Magno claſſe decertarunt, ſub auſpicijs Philippi Mariæ Inſubrium Ducis; in eaq; pugna captum cum tribus fratribus tantum Regem, Mediolanum in triũphum deduxerunt.

Prçterea, iubeat Imperator milites ſuos in conflictu vociferari, vt faciunt Turcç; committaturq; claſſis cum iubilatione & barritu,& curſu nauium concitatiſſimo, vexillis expanſis, tubiſq; ſonantibus; vt faciunt omnes ferè Italicæ triremes. Nam & adſpectus,& clamor, & rigidi armornm horrores, hoſtium mentibus terrorem ſtuporemq; inijciũt, vt fatentur naues Thunetanæ atq; Algerienſes, captæ vel à Melitẽſibus Equitibus, vel ab Hetruſcis Sancti Stephani.

Si enim equorum curſus, Caſſiodorus, *hominum clamoribus incitatur, & ſonantium manibus agitur, vt à multis animalibus velocitas appetatur; quantum inde homines ſtimulari poſſe credimus, quos ad laudum auiditatem natos ſingulariter inuenimus?* Vetus itaque & omnibus penè gentibus vſitatus hic mos, imminente pugna, inclamare, & vociferari ad ardorem excitãdum, hoſtium verò animos percellendum: preſertim cum ex inopinato & à tergo pugnantium exiſtit.

Cum autem tria armorum genera ex vetere militia, in certamine nauali ſolent ad victoriam plurimum prodeſſe, Aſſeres, Falces, & Bipennes. Ex moderna verò ſeu recenti militia, bombardę ęneę, lanceę, & ſclopeta: idcirco curabit Dux, vt hiſce quàm maximè abundet, cum ad certamen deſcendit: globorumq; ac pulueris nitrati, copiam ſufficientem habeat. Dicitur autem Aſſer, trabs ſubtilis ac longa ad ſimilitudinem antennę, quę vtroque capite ferrato pendet in malo; hunc, ſiue à dextra, ſiue à ſiniſtra parte aduerſariorum ſe vinxerint naues, pro vice arietis vi impellunt, qui bellatores hoſtium, ſiue nautas ſine dubio proſternit, ac perimit, ipſamq; nauem ſępius perforat. Falx verò dicitvr, acutiſſimum ferrum curuatum ad ſimilitudinem falcis, quod cõtis lon-

longioribus inditum, collatorios funes, quibus antenna ſuſpenditur, repentè precidit, collapſiſq; velis Liburnam pigriorem & inutilem reddit: multò verò magis onerariam, quę non niſi velis nauigat. Bipennis denique eſt, ſecuris habens ex vtraque parte latiſſimum & acutiſſimum ferrum: per has in medio ardore pugnãdi, peritiſſimi nautę vel milites, cum minoribus ſcaphulis ſecreto incidũt funes, quibus aduerſariorum ligata ſunt gubernacula. Quo facto, ſtatim capitur tanquam inermis & debilis nauis. Sed hęc iam non ſunt modo in vſu; reſtaurata tamen multũ credo, vel ſola nouitate ſua iuuiſſent, aut perturbaſſent aduerſarium.

CAPVT VLTIMVM.

De Inſidijs in bello nauali collocandis, aut euitandis.

ETiam in mari ad inſtar terreſtris prelij ſuperuentus ſiunt ignorantibus nautis: vel circa oportunas inſularum anguſtias collocantur inſidię; qua in re plurimum nunc valent triremes expeditę barbarorum, tam è Regno Algerij, quàm è Regno Thunetano, quę totum ferè mare Tyrrhenum infeſtant, ſed precipuè Italiam. Audent hoc ipſum

X 2 & Tur-

& Turcę in mari Ionio atque Aegeo, ſed non pari exitu, vt puta grauiores habentes naues, & quibus facilè opponuntur Liburnæ Melitenſes, & Magni Ducis Hetruriæ, quáuis longè numero pauciores. In Oceano verò Germanico nulla gensſuperuétibus & inſidijs faciédis aptior, quàm ex Flandria DurKierKanæ naues, quæ & ardore pugnãdi, & peritia nauigãdi ſupetant omnes Battauorũ conatus, & multitudinem nauiũ ſpernunt. Sicut & Angli, qui per omnia maria pyraticam exercent. Omnes autem iſti tales, hoc iqſum agunt, vt imparatos circumueniant ex inopinato, ſi vel longo remigio fatigati ſunt aduerſariorum nautæ, vel ſi vento vrgentur aduerſo, aut pro roſtris eſt rheuma: tũ ſi nihil ſuſpicantes dormiunt inimici, ſi ſtatio quam tenent exitũ non habet, ſi dimicandi optata venit occaſio, fortunæ beneficijs iungendæ ſunt mànus, & ex opportunitate pręlium conſerendum.

Quod ſi cautela hoſtium, euitatis inſidijs, publico Marte confligat tunc Liburnarum inſtruendæ ſunt acies, nõ directę, vt in campo, ſed in curuæ ad ſimilitudinem lunæ, ita vt productis cornibus acies media ſinuetur; vt ſi aduerſarij perrũpere tentauerint, ipſa ordinatione circumdati deprimantur. In cornibus autem præcipuum robur & militum

tum & Liburnarũ collocetur, quemadmodum fecerat contra Turcas Bragadinus Claſſis Venetæ Pręfectus & Ioãnes Auſtriacus in pugna illa Naupactenſi; tum quoque Andreas Doria in pugna cum Hadruccio atq; Hariadeno, fratribus Iudęis, pręfectis Claſſiũ Turcicarũ.

Quantum verò ad inſidias, illæ variè ac variè in mari collocantur pro opportunitate loci, & inſularum circumiacentium, quæ tamen aſtu militari ſeu ſtratagemate peraguntur felicius; quia nemo tam oculatus eſt, vt falli nũ poſſit. Et Alcibiades ſane aduerſus Lacedæmonios cum claſſe ab Atheniẽſibus miſſus, conſtituit, prælio decertaturus, malos quoſdam in promontorio, præcepitque his quos ibi relinquebat, vt cum præliũ commiſſum ſenſiſſent, panderent vela. Quo facto cõſequutus eſt, vt hoſtes aliã claſſem in auxilium ſuperuenire ei arbitrati, verterentur. Contra, Memnon Rhodius nauali prælio, cum haberet ducentarum nauium claſſem & hoſtiũ naues elicere ad prælium vellet, ita ordinauit ſuos, vt paucarum nauium malos erigerent, eaſq; primas agi iuberent: hoſtes autem procul conſpicati numerum arborũ, & ex eo nauium quoq; cõiectantes, obtulerunt ſe certamini, & à pluribus occupati ſuperatiq; sũt. Marcus verò Porcius impetu in claſſem hoſtiũ

cum tranſiluiſſet, deturbatis ex ea Pœnis, eorumq; armis & inſignibus inter ſuos diſtributis, multas naues hoſtium, quos ſociali habitu fefellerat, merſit. Fecerunt hoc, & quidem non ſemel DunKierKani Holandis, Holandi Portogallenſibus, & hi denique Calecutenſibus, Goanis atque Arabibus ab Delu in ſubſidium illis venientibus. Sed & Poloni non nulli Duce Marco Iachimonio è ſeruitute Turcica vindicati, ſumpto veſtitu & inſignibus barbarorum, quos interemerant in eorum triremibus, multas deinde naues ex Aegypto cum mercibus venientes diripuerunt ac ſubmerſerunt, ipſique Rhodo terribiles fuerunt; ſed quia pauci erant, nihil tentarunt.

SIMONIS STAROVOLSCII INSTITVTORVM Rei Militaris.

LIBER SEXTVS De Strategematibus.

CAPVT PRIMVM

De Strategematis in genere.

STrategemata Græce vocantur callida, & aſtuta Ducis belli cõſilia; credo, quia aut manant inueniunturq; à Duce, vel quia bono illo maximè digna vt vult Iuſtus Lipſius antiquitatum peritiſſimus. Cuius opinione ſemper in bellis vtile fuit moliri aliquid in hoſtes, nouis prętertim inuentis & vaframentis. Nam *ſicut in Muſicis*, ait Xenophon, *noua queque & florida habentur in pretio: ſic in rebus bellicis noua inuenta exiſtimantur longè illuſtriora, quoniam hæc queunt magis hoſtes decipere*. Qua in re maximè excellebat Ageſilaus apud Grecos; Scipio apud

Romanos; Hannibal apud Carthagineſes; Iſmael Sophi apud Perſas; & noſtra ætate Mauritius Naſſouius apud Hollandos.

Quia verò bellica Strategemata ſunt iam inter Duces vſitata, & iure gentiū à tot ſæculis probata, ideo qui illis decipitur, aut per illa cladem in pugna refert, non de dolo hoſtis, ſed de ſua imprudentia conqueri debet. Corporis ſiquidem robore, vrſi, leones, apri, atque lupi dimicant, qui vt viribus ſuperiores nobis, ita ingenio & ratione infra nos ſunt, qui ingenij ſolertia hoſtes noſtros deuincere debemus. Hinc ſupra nominatus Xenophon ait, *Operam dandam bono Duci, vt cum ſuis paratis hoſtem non inſtructum deprehendat, cum armatis inermem cum vigilantibus dormientem, conſpectum ab ſe, cum is illum non videret; denique vt locorum difficultatibus impeditum, ipſe conſtitutus in loco commodo adoriatur*. Stratagematum itaque vis propriè poſita eſt in arte ſolertiaque Ducis, tàm vbi cauendus, quā vbi opprimendus hoſtis ſit. Qua nimirum ſolertia pulchrè certarūt inter ſe, maximi illi Duces, Anibal in Italia, Scipio in Africa; vterque habuit exercitum è diuerſis populis & linguis collectū; vterq; in mari & in terra imperabat; & vterq; aſtu militari & ingenio valebat. Sed magis dolis preualebat

Scipio

Scipio, quibus ille ſuperauit Aſdrubalē in Hiſpania, Siphacē Regē Numidię in Africa, atq; demū ipsū Annibalem; qui occiſis centū millibus Romanorum ad Trebiam Traſimenū & Cannas: consūptoq; inaniter tempore circa Caſilinum, Cirignnolam, Cumas, & Nolā, debebat neceſſario relinquere Italiam, & defendere patriam ſuam à Scipione, qui hoſtem Pœnum in Italia non vidiſſet.

Quatuor autem partes habet ſagacitas militaris, qua præditi Duces aduerſarios ſuos in bellis ſtratagematibus ſuperant. *Prima eſt.* Prouidere pericula. *Secunda.* Scire vti occaſione ad decipiendum hoſtem. *Tertia.* Effugere damnum cum incideris in periculum. *Quarta denique, & omnium maxima.* Paratas ſibi inſidias conuertere in damnum aduerſarij.

Quantum ad primam partem ſpectat dicebat Timoteus è Ducibus belli præcipuus, quòd *prouidere pericula nil aliud eſt, quàm habere oculos non ſolum in facie, ſed etiam in tergo.* Vel vt dicebat Sertorius, *cauere ſibi etiam à tergo, non ſolùm à fronte.* Cautiſſimus hac in re dicitur fuiſſe Viriatus, *quem Hiſpani elegerant ſibi in Ducē*, inquit Iuſtinus, *vt cauendi ſciētem, declinandiq; peritum.* Talis quoque dicitur fuiſſe Eraſmus Gattamelata, & poſteriori ſęculo Alexander Farneſius.

Quantum ad ſecundam: nimirū vti occaſione & commoditate ad decipiēdum aſtu aliquo egregio inimicū, primarius quidem fuit Annibal, qui nuſquam publico marte congreſſus eſt, nō præparatis antea aliquot inſidijs. Sciebat enim benè, quod occaſiones rei ex animo gerendæ non ſemper occurrunt, & ſemel amiſſæ raro redeunt, interuerſæ verò omnino euaneſcunt; ideò ſi vnus ei dolus non ſuccesſiſſet, habebat in prōptu alium, modò aduerſarium non dimitteret abſque aliquo damno. Idem faciebat Georgius Scanderbegus; Idem Mathias Rex Hungariæ; tū Alphonſus Secundus Rex Neapolis, & Ludouicus Sfortia Dux Mediololanenſis.

Quantū verò ad tertiam partem, ſcilicet cum incideris in periculum, ſaluum educere ex inſidijs præparatis tuum militem, hoc nemo melius ſciebat Annibale ſolo, qui à Q. Fabio interclusus cum euadendi viam nullam videret, aliquot millia boum præmiſit lignis ſiccis ad cornua ipſorum alligatis & accenſis, qui igne adurente, cum boatu & impetu magno irruerunt in Romanos, pellētibus à tergo Pœnis; totumq; exercitū Fabij nouitate rei conturbarunt, & Annibali viā aperuerunt. Suppar huic Themiſtocles dicitur fuiſſe, de quo Thucidides, quod *& de inſtantibus atque*

impro-

improuiſis verè, & de futuris callidiſſimè cõijciebat.

Quantum denique ad quartam atque vltimam ſagacitatis militaris partem, quæ ſupra omnia requirit ingenij vires? & non ſolùm hoc vnũ exigit, vt ſe Dux belli eximat periculo, cum in inſidias cum ſuis præcipitatus fuerit, ſed vt periculum quoque illud in hoſtem conuertat; hac in re inquit Plutarchus, nemo vnquã ex Ducibus ſuperauit Sertoriũ: ex Sarmatis verò nemo aſſecutus Boleſlaum Chrobrium Et licet Probus ita celebret Alcibiadem, vt dicat eũ tanta fuiſſe ſagacitate, vt decipi nõ poſſet, pręſertim cũ attendiſſet ad cauendũ; nihilominus cõſideratis rebus ab illo geſtis, & nonnollorum Polonorum noſtrorũ, puto nec Seciechum Palatinũ Cracouienſem, nec Vitoldũ Ducem Lituanię, nec denique Carolum ChodKieuiciũ, illo interiores fuiſſe; quandoquidem neque acutius alicuius Imperatoris cogitatũ vt Vitoldi, neque celerius factum, ChodKieuicio Duce video. Et Bohe-Moraui, Saxones, Pomerani, Ruſſi, Pruſſiq; victi fuere, magis conſilio Seciechi, quàm armis Polonorum: quamuis probe ſciam, nõ aſtu magis, quàm vera virtute bella geſſiiſſe maiores noſtros.

Iterum Stratagemata, ſeu geſta, conſiliaue militaria, quadrifariam

diuidunrur. In ea videlicet quæ compe-tant prælio nondum commiſſo . In ea quę tempore pręlij ad obtinendã victoriam conferant. In ea quæ poſt prælium ad conficiendam pacationem pertineãt. Et in ea quæ inferendæ ſoluendæq; obſidionis habent ſolertiam & artificium. De prioribus tr bus generibus hoc præſenti, de vltimò verò ſequenti libro agemus.

CAPVT II.

De ijs quæ facienda ſunt ante pugnam.

QVemadmodũ nulla in terris pictura tam abſoluta eſt, quin pictor alius aliquid in ea corrigere non præſumat. Ita laudatiſſimorũ etiã Imperatorũ nemo vnquam fuit, aut eſſe potuit, qui virtutibus altis & ingenij ſolertia eminens, erroris alicuius in bello, & vitiorum in moribus non arceſſetur. Vt melior ipſo dici non poſſit. Accuſabatur Cæſar, non in Curia tantùm, ſed in caſtris etiam, non ferendæ ambitionis Alexander temulẽtiæ arguebatur, Pyrrhus præcipitis conſilij, Hannibal dubiæ fidei & voluptatis, Fabius tardi certaminis, Marcellus affectatæ pugnę, Seuerus crudelitatis barbaricę in milites. Attamen omnes hos, nõ tantũ antiqui-

tas

tas inter celebratiſſimos Imperatores habuit, & venerata eſt, verùm etiã poſteritas, inter obtandorum Imperatorũ Archetypos, omnium ſæculorum conſenſu inſeruit. Quoru ſolertia facta in bellis, prudentiſſimaq; conſilia breuibus futuro bellorum Duci adnotare ſtatuimus, addendo ſelectiora exempla, & ex alijs diuerſarum gentium bellatoribus congeſta; certocertius ſciés, quòd quemadmodum nemo omniũ adeò bonus eſt, vt nihil in eo reprehenſione dignũ inueniatur: nemoq; adeò malus, vt nihil in eo laude dignum appateat. Ita quoque nullus populus, nllumq; Regnum in terris adeò ſterile eſt, vt nihil habeat laude dignum, nihil gerat poſteritati cõmẽdabile;, nullos producat viros magnos tàm in toga, quàm in ſago excellẽtes. Quandoquidem nulla etiam gens, aut natio eſt tã perfecta, vt nihil habeat reprehenſione dignũ. Proinde non Græcorũ tantùm, aut Romanorũ, Dux belli futurus imitetur exempla, ſed ex omnibus omniũ qui in Orbe ſunt populorũ rebus in bello prçclarè geſtis, colligat ſibi militarem prudentiam. Et antequã ad pubicum certamen deſceneat, vt eò faciliore victoria potiatur, hçc diligentiſſimè obſeruet.

1. *Noſcat ingenium aduerſariorum: tum maximè Ducis ipſorum*. Ita Cęſar, primùm

primum Gallorum impetum plus quã virorum eſſe, ceteros minus quàm fœminarum, optimè ſciens, vt cum feroce gente, non ſtatim dimicare cogeretur, nihil miſſis ad ſe legatis negauit, nihil etiam cõceſſit: donec oportunum ad pugnandum tempus adueniſſe iudicans, cum ſecuri illi nihil minus quàm pugnam timerent, vſus occaſione facili negotio ſuperauit. Ita quoque Guſtauus, ſciens Polonos parum in expugnãdis munitionibus valere, nihil verò in mari audere; toto bello Pruſſico, intra munitiones ſuas ſe continuit; & nuſquã à mari, aut Viſtula receſſit.

2. *Conſilia ſua occultet quàm maximè: potiusq; eu per ſigna denunciet, cum opus eſt, quàm per verba.* Sic Tarquinius Superbus, Principes Gabiorum interficiẽdos arbitratus, quia hoc nemini volebat innoteſcere commiſſum, nihil nuncio reſpondit, qui ad eum à filio erat miſſus; ſed eminentia papauerum capita, cum fortè in horto ambularet, virga decuſſit. Nuncius ſine reſponſione reuerſus, renunciauit adoleſcẽti Tarquinio, quid agentem patrem vidiſſet; ille intellexit, idem eſſe eminentibus faciendum. Cæterum in occultandis ſuis conſilijs noſtra ætate, nemo vnquam ſuperauit Mauritium & Henricum Naſſouios, Imperatores Battauorum, qui vel hoc ſolo

aſtu

aſtu plurimas in Belgio vrbes Hiſpano ademerunt. Secretiſſimè enim ſeruandum ſuis Tribunis dicunt, hoc ſe velle facere vel aliud, cum tamen hoc faciẽdum nuſquam intendant, ſed ſemper quid diuerſum, & inopinatum.

3. *Hoſtium conſilia diligẽtiſſimè exploret.* Ita Carthaginenſes cum animaduertiſſent Alexandri Magni ita magnas opes, vt Aphricæ quoque immineret, vnum ex ciuibus virum acrem, nomine Hamilcarem Rhodinum, iuſſerunt ſimulato exilio ire ad Regem, omniq; ſtudio in amicitiam eius peruenire, qua is potitus, conſilia eius nota ciuibus ſuis faciebat. ChodKieuicius duos fratres Liuonenſes in aula Caroli Sudermani ſumptu ingenti alebat, per quos omnia deinde eius conſilia cognoſcebat; honorato ſiquidem apud eum loco (exulum nomine) habebantur, ordineſq; in caſtris ducebant primarios. Carolo autẽ defuncto, penes filium ipſius Adolphũ Guſtauum vſque ad obitum ChodKieuicij manſerunt.

4. *Principium b lli procuret quàm optimũ fieri.* Ita Scipio Aphicanus cum exercitu contra Pœnos miſſus inprimis procurabat Nouam Carthaginem euertere; gnarus, vt initia belli proueniſſent, famam in cætera fore. Atque ita curauit, vt expugnaret eam. Quapropter vbi-

vbicunque aliqua difficultas reperiebatur, ipſe ibat in perſona, volens animi ſui magnitudinem monſtrare: in alia verò loca mittebat Martium Sillanum, Lęliũ & fratrem ſuum, quod Liuius hiſce verbis expreſſit. *Martium ſecum habebat cum tantu honore, vt facilè appareret, nihil minus eum veteri, quam nequis obſtaret gloriæ ſuæ*. Idem planè fecit Zamoſcius, à Stephano Rege omnium cum inuidia exercitibus in Moſcouia pręfectus, cum munus illud Nicolaus Melecius, magnę experientię Dux, vltrò reſigòaſſet, offenſus aſperiori dicto Regis Stephani in gentem noſtram, cum expugnata Polocia Rex in corona Senatorum dixiſſet, nequaquam ſe tam cito potiturum fuiſſe victoria, aut omnino expugnare potuiſſe Polociam, ni Hungaros pedites ſecũ adduxiſſet. Quare multo fortiori munitione abſque ope Hungarorum intra triduum Melecius expugnata, munere ſeſe Imperatorio abdicauit, & eum bona Regis venia, domum diſceſſit. Zamoſcius, qui Procancellarij munere pollens, vir pacis & litterarum tantùm exiſtimabatur, eo honoris fauore Principis inopinatò progreſſus, vt in omnia ſemper prudens erat, ita & in bellico munere quàm optimum procurauit fieri principium; progreſſuſq; Lucos, ita fidiſſimam illam vrbem expugnauit,

gnauit, vt omnia pericula ſolus obiret; reliquos autem qui eo munere & dignitate defungi auebant, in alia loca mitteret, vbi minus quidem periculorũ ſed & famę haberent.

5. *Suſpectos reddat hoſti amicos illius vel è contra illis, Ducem ipſum belli.* Ita Metellus cum in Iugurtham moueret, qui cum omnibus legatis, quos Iugurtha ad ipſum miſerat, egit vt Iugurtham traderent, litteris quoque ad eoſdem crebro ea de re miſſis; quibus effecit vt Iugurtha omnium neceſſariorum fidem ſuſpectam haberet, atq; eos varijs modis extingueret. Et Hannibal abſuptis igne prędijs Romanorum ſolius Fabij agris pepercit: (Tum ante eum Coriolanus vrbi cum exercitu imminens nobilium prędia ſeruaſſe ſcribitur, plebis verò agros veſtaſſe) cui viceuerſa Romani effecerunt cum ad Antiochũ confugiſſet; omnes enim legatos ſuos quos ad Antiochũ mittebant, iuſſerunt familiariter Hannibalẽ habere, adeò vt Antiochus in ſuſpitionem ea re pertractus, conſilijs ipſius deinceps parum fidei adhiberet.

6. *Etiam ſapientis Ducis eſt, inter hoſtes ipſos diſcordiarum ſetere cauſis, & ſic diſtringere eos.* Ita Annibal Fabium, cui neque virtute, neque artibus bellandi par erat, odioſum populo Romano reddere omni modo curauit, perq; ſubordi-

natos

natos homines laudauit virtutem cæterorum Imperatorum, de Fabio verò ſiniſtre omnia loquebatur, præter quod ſibi amiciſſimum prædicaret. Sciebat enim quod ſic conflatum inter ciues odium, ad inimicorum perniciem præceps eſt, ad vtilitatem verò ſuæ defenſionis in cautum. Ita Emmanuel quoque Comnenus diſſidia inter Pontificem & Fridericũ Imperatorem aluit: nec vlla erat in Italia, cæteriſq; Imperatoris Germanici ditionibus ciuitas, in qua non addictum ſibi hominẽ haberet Emmanuel. Noſtraq; ætate Kantimirus Scytha, deuſtis vaſtatiſq; cæterorum Procerum in Podolia villis, vt odioſũm nobilitati redderet Staniſlaum Zolkieuium Ducem exercituum Regni Poloniæ & Cancellarium Supremum, agrorum illius populationem inhibuit; ſed nihil effecit, prudentioribus aſtum barbari, minorum gentium Quiritibus, cur ab hoſte factus ſit, oportunè interprætãtibus. Alexander verò Gonſeuius Palatinus Smolenſcenſis, cum tempore belli Moſcouitici, deuictæ illorum vrbi Metropoli Moſcuæ præeſſet, nec haberet vires ad reſiſtendum aduerſarijs, qui diuerſis è partibus ad recuperandam vrbem, cum exercitibus confluebant, fictis illorum nominibus, litteras diuerſimodè ad diuerſos Moſcorum Proceres dedit,

dedit, quibus illos Duces ſibi amicos, tantis corruptionibus factos demonſtrabat, rogabatq; ſimul vt illi quoque paria ab illo munera capere vellent, & in fide Regi Poloniæ ſemel data, conſtanter permanerent. Quo aſtu effecit, vt ciuile inter ſe bellum exercendo, Demetrium Suiſcium, quem Principem ſuum inaugurauerant, prorſus deſererent; nec agnoſcerent dolum, niſi cum perijſſent omnes.

7. *E contra diligenter caueat ne in eius caſtris diſcordiæ ſuboriantur; & literas hoſtium quibus militum ciuiumue fides ad ſcelus ſollicitatur ſupprimat.* Et ſi enim ſatis beneuolentiæ & fidei ſuorum confidat, tamē non ſunt imbuēdæ aures militum promiſſionibus & corruptionibus. Ideo prudenter Senatus Polonicus litteras Guſtaui igni publico in comitijs Varſouienſibus mandauit, quòd per eas varij varijs promiſſis, ſed præcipuè Coſachi Zaporoſenſes, & diuerſę ab Eccleſia Catholica religionis homines, in partes Sueci ſolicitarentur. Quod ſi verò pluribus innotuerit proditionis merces, in parte conſilij erit, Eumenis Regis factum. Epiſtolæ ſparſę erant totis caſtris, quibus, qui Eumenis caput ad Antigonum detuliſſent, maxima præmia definiebantur. Eumenes vocatis ad concionem militibus, primo gratias egit,

quòd

quòd nemo inuentus eſſet, qui ſpem cruenti pręmij fidei ſacramento anteponeret. Deinde callidè ſubnectit, confictas has à ſe litteras ad experiendos ſuorum animos. Hoc facto & in pręſens dubios fieri deterruit, & in futurū prouidos vt ſi quid tale accidiſſet non ſe ab hoſte corumpi, ſed à Duce tentari arbitrarentur. Amorem itaqne militum Imperator ſibi concilier, & diligenter caueat ne inter eos aliquę ſeditiones ſuboriantur, ſed perpetua concordia & obedientia maneat.

8. *Copias hoſtium imminuat atque diſcriminet.* Qua ſanè via vſus fuit Fabius, cum Gallos, Tuſcos, Vmbros, atque Samnites aduerſos haberet; bellum ſiquidem in eorum ditionem transtulit, & ſic eos ad ſua defendenda reuocauit qui parte exercitus in agro Romano relicto, maiorē partem contra Fabiū miſerunt. Fabius vt diuiſas hoſtium copias animaduertit, cū parte pugnare facilius eſſe putauit, quàm cū integro exercitu: igitur pręlio commiſſo victoriā de illis obtinuit. ChodKieuicius pari ratione cū Suecis, bellū in Liuonia habens, proceſſit, imparesq; hoſti copias habens trās Dunam nocturno tempore conceſſit, Mansfeldius qui Suecis prĘerat, ChodKieuicium fugere ratus, mox ponte inſtructo ſequi eum ſtatuit; at ChodKieuicius

Vicius qui lõgè cũ ſuis à ripa receſſerat, vt partem exercitus hoſtilis fluuium tranſiuiſſe aduertit, obuerſis celeriter equitibus ſuis, derepente hoſtem inuaſit, & oppreſſit, dum pars illorum altera, in ripa vlteriore conſiſtens, ingemiſceret ſolummodò morti ſuorum, & dentibus frenderet quod cadentes iuuare non poſſet.

9. *Si in caſtris hoſtilibos militum ſeditionem facere non poterit, aut mercenarios illorum promiſſo maiori ſtipendio abducere, ſaltim inter Duces ipſos ſimultates per ſubordinatos homines ſerat.* In bello enim nihil pręſtare maius fortuna tibi poterit, quam Ducum aduerſariorum diſcordiam, qui communiſſimè diuerſarum nationum eſſe ſolent, & de gloria inter ſe certant. Vnde Vegetius, *Inter hoſtes diſcordiarum ſerere cauſas, ſapientis eſt Ducis. Nulli enim quamuis minima natio poteſt aõ aduerſarijs deleri, niſi proprijs ſimultatibus ſe ipſa conſumpſerit.* Ita Romani ciuilibus bellis diſiuncti perierũt. Ita Gręci diſcordia iugum Turcicũ ſubierũt. Ita ſuccubuerunt Hungari vicini noſtri. Nunquam Gallos Angli niſi ſecum diſſidentes fregerunt. Feſſarumq; Princeps Serifus Feſſam vrbem ciuili ſanguine exhauſtam facilè ſubegit. Manifeſtum enim eſt, vix vinci poſſe aliquos, niſi ipſi ſe perdant ęmulatione

inter

inter ſe ſuſcepta. Quod confœderati Belgarum Ordines euitare volentes, perpetuò ad pacem & cōcordiam ciues ſuos & Duces exhortantur, etiam publicum æs, hac eadem admonitione ſuperſcripta ſignando. Concordia res paruę creſcunt, diſcordia maximę dilabuntur. Vt, quia nemo ſine pecunits eſſe poteſt, quicunque milites, ciueſue, eſſent, id vnum agerent, quomodo vnanimi cōfeſſione ſaluam Rempub. ſeruarent, hoſtibus, reſiſterent.

10. *Amicos ſibi reddat illius prouinciæ incolas, in quâ bellum gerendum eſt.* De quo vetuſta exempla petere nolo, quia recētia adhuc in oculis & memoria hærent. Guſtauus nuper Germaniam bello aggreſſus, ita ſua comitate, facilitate ac modeſtia militis diſciplinati, omnium populorum ad ſe animos traxerat, vt Cæſarianum militem diſcolum & inſolentem peius cane & angue execrarentur, paſſimq; pro viribus contra Imperatorem Dominum ſuum Suecis opitularentur. Simili modo Poloni propter nimiam licentiam in proprio ſolo execrabiles ſunt paganis: in hoſtico verò propter rapinas & inſolētiam nuſquam experti ſunt fauorem Moſcorum, cum iam totum Imperium illorum poſſediſſent; nuſquam fideles habuernnt Valachos Moldauoſq; licet toties pro ipſorū

inco-

incolumitate bella contra barbaros ſuſcepiſſent. Qui enim licentius in beneficiarios ſuos agunt, Tyrannorum more in innocuos graſſari videntur; ac proinde odio potiùs quam gratitudine digni eſſe videntur.

11. *Rem viribus ſuis imparem non aggrediatur.* Albertus Dux Pruſſię, collecto emendicatis ſuffragijs exercitu, bellum Sigiſmundo I. auunculo ſuo intulerat, vt ab eo Pruſſiam armis extorqueret, quam deſerta Catholica Religione hæreticus amiſerat; cæterum profligatus per ſuperuentus, vt ad publicum præliũ deuẽtum eſſet, omnium egens & inops, ſupplicare Sigiſmundo debuit, vt honeſtam ab illo viuendi rationem obtinere poſſet, cui regnum ipſum eripere minabatur. Pulchre Liuius de Lucretio. *Id prudenter, vt in temere ſuſcepta re, Romanus fecit, quod circumſpectis difficultatibus, ne fruſtra tempus tereret, celeriter abſtitit incepto. Incerti enim exitus pugnarũ* inquit Cicero, *& Mars communis, qui ſæpè ſpoliantem iam & exultantem euertit, & perculit ab abiecto: præſertim cum hoſtem tempus deteriorem indies, & locus alienus facient.*

12. *Contra aduerſarium ſuum hoſtes alios excitet.* Hoc modo Michael Palęologus à Carolo Cæſare bellum metuens, Siciliè Regem & Venetos ad bellum

illi faciendum exciuit: exemplo, inquit Nicephorus Gregorias Artaxerxis, qui Ageſilai impetum formidans, Thebanos & Athenienſes ad bellum ei inferendũ impulit. Et Sigiſmundus I. bello cum Moſchouitis orto, Scythas Tauricanos à parte alia in eos immiſit. Et nouiſſimè bellum Mantuanum in Italia, diſtraxit vocatus à Septentrione Guſtauus Rex Sueciæ.

13. *Prouideat ne vna molle bellũ ingruat, ſed & ſuis & confœderatorum viribus diſtributis, pluribus locis hoſtem laceſſat.* Ita Romani, maximis ſuis neceſſitatibus & extremis, cum ab Hannibale non ſemel victi eſſent, dimiſſis quibus ſummopere indigebant exercitibus Ducibuſq; denique ſumma ærarij inopia, & in Italia, & in Hiſpania, Sicilia, Græcia, vno eodẽq; tempore cum Carthaginenſibus bellũ geſſerunt. Ita nunc Ludouicus XIII. Imperium Romanum diuerſis in locis vnà oppugnat, domumq; Auſtriacam per varios confœderatos ac ſocios laceſſijt per Parmenſem & Sabaudum in Italia; per Hollandos in Belgio & in Nouo Orbe; per Suecos in Sileſia, & Pomerania: per Haſſium in Veſtphalia; per Vaimarienſem in Alſatia, per ſuos verò exercitus in Flãdria, in Burgũdia, in Nauarra & in Lotharingia; tum claſſe in mari Thyrreno, & Oceano Germanico.

14. *In id omni ſemper cura incumbat, ne nouis auxilijs hoſtilis exercitus firmare ſe poſſit.* Ita Romani non permiſerunt Aſdrubalem, ad fratrem Hannibalem venire. Ita Vladislaus IV. obſeſſo exercitu Moſcouitico ad Smolenſcum, contra venientia ſubſidia variè dimiſit Duces ſuos, Martinum Kaſanouium, Paulum Piaſecium, Alexādrum Gonſieuiũ, Ieremiam Ducem Viſniouecium, atq; alios, vt confligerent cum ipſis, vbicunque eos nacti fuerint. Dum enim omnis auxilij aliunde obtinendi ſpes euaneſcit, facilè circumſepti ſe dedunt.

15. *Curet ne ſubſidia ad ſe venientia in itinere opprimantur.* Ita cum Titus Didius exiguas copias reſpectu hoſtium haberet, atque legionem ſubſidiariam Roma expectaret, ne hoſtes fortè illam interciperent, ſicuti facturos conſtabat ſimulauit ſe poſtridie prælio decertare velle, inde fuga quibuſdam captiuorũ non ægrè conceſſa, quo conſilium iſtud per hos diuulgaretur, id aſſecutus eſt, vt hoſtes de prælio vt opinabantur iam certi, copias ſuas diuidere dubitarent, & legionis illius curam omitterent, quã quidem ea ratione ſaluũ ad ſe recepit. ChodKieuicius verò volẽs præſidiarios in arce Smolenſcenſi, quæ circumcirca obſidiebatur à Moſchis, recenti milite, & commeatu prouidere, miſit tubicinẽ

ad hoſtem, ad publicum prælium prouocando. Moſchi cùm vidiſſent ChodKieuicium cum tribus tã:ùm millibus hominum veniſſe, egreſſi è munitionibus ſuis circiter millia quadraginta pugnam illi præſentarunt, qui poſt nonnullas velitationes cœpit paulatim cũ ſuis retrocedere, vbi hoſti inſidias parauerat, miſſo ad eos iterum tubicine, quòd nollet cum tanta multitudine temerè congredi, nõ enim ſperabat Moſchum poſſe tantum exercitum habere, Reſponderunt hoſtes ſe adhuc plures intra munitiones eſſe, quos videbit mox ChodKieuicius, & numerabit captus ductuſq; ad caſtra eorum. Atque ſic clamore ſublato cæperunt retrocedentem ſequi, etiam qui ad vallum cuſtodiendum relicti fuerant: quo ille conſpecto, eò velociore gradu fugam ſimulabat, vt tantò remocius hoſtem à ſuis munitionibus reduceret. Interim verò parte ab altera qui commeatum deducebant, impetu in eorum munitiones facto, facilè paucos reſiſtentes repulerũt, & in vrbem annonam inuexerunt. Moſchi clamore pugnantium ſuorũ à tergo exaudito, dolùm aliquem adeſſe ſubodorati, confuſis ordinibus retro cedere cæperunt, & ChodKieuicius obuerſis ſuis celeriter extremum agmen aggreſſus aliquot ex eis millia cecidit.

16. Ho-

16. *Hoſtem domi nõ expectet, ſed in illius prouincia ſedem belli faciat*. Sic enim & miles tuus ex alieno viuit, & cum nemo reſiſtit, vincendo debiliores ciuitates præda & animo augetur hoſtium verò animi decreſcunt, quod victoriæ toties aſſueti, nunc vinci aliquando ſeſe animaduertant. Ita Carolus Sudermanus, ex Gubernatore Rex Sueciæ factus, cũ probè ſciuiſſet Sigiſmundum III Regnũ ſuum neceſſario vindicaturum bellum in Liuoniam intulit, inopinatoq; veniẽs omnes vrbes abſque præſidio Polonorũ, qui minimè bellum ſibi à Sueco inferri ſperabant, in vno inſtanti expugnauit, atque ita totam prouinciam poſſedit. Eodem aſtu filius ſuus Guſtauus vſus, non tantùm in Liuoniam, Sed in Pruſſiam quoque irrupit, nulla belli denuntiatione facta.

17. *Vbi hoſtis tuam prouinciam ingreſſus fuerit, ad ſua defendenda eum compelle*. M. Curius aduerſus Sabinos, qui ingenti exercitu conſcripto relictis finibus ſuis Romanos occupauerant, occultis itineribus manũ miſit, quæ deſolatos agros eorum vicoſq; per diuerſa incendit. Sabini ad arcendam domeſticam vaſtitatem receſſerunt Curio verò contigit, & vacuos infeſtare hoſtium fines, & exercitum ſine prælio auertere, ſparſumq; cædere. Iagello quoque Poloniæ Rex

Bello cum Crucigeris durante, quo Bohemos ſubſidia illis ferentes diſtineret, Coributum fratrem, cum non contemnendo exercitu in Bohemiam miſit, qui fines eorum ingreſſus, non tantum bello eos vexauit, ſed factionibus quoque in partes ſcidit, ſollicitando animos multorum, vt corona potiri poſſet. Igitur Crucigeri auxilio Bohemorum deſtituti, & inauſpicati belli cum Polonis pertęſi, legatos de pace ad Regem miſerunt. Veneti autē prælio victi à Genuenſibus, cum iam hoſtis vrbi immineret, facto cum Bernabone Vicecomite fœdere, Genuenſes ſumma vi domi ſuæ aggreſſi ſunt. Inde factum, vt quæ ſuis, qui Foſſam Clodiam occupauerāt, ſubmittere auxilia parabant Genuenſes, domi retinere cogerentur, & Foſſa Clodia in poteſtatem Venetorum rediret. Vt hic taceam Scipionem, qui manente in Italia Hannibale, transmiſſo in Africam exercitu, neceſſitatem Carthaginenſibus impoſuit reuocandi Hannibalem, ſicque à domeſticis finibus hoſtile tranſtulit bellum. Et Amurathes Turcarum, Græcis bellum in Aſiam molientibus cum reliquis Principibus Chriſtianis, in Europam inopinato irruit, effecitq; vt exercitus, qui per mare ituri erant, propria defendere cogerentur.

18. *Me-*

18. *Metum diſſoluat in animis ſuorum militum: & æmulationem quandam in eis ad pugnandum excitet.* Ita C. Cæſar, aduerſus Germanos & Ariouiſtum pugnaturus, confuſis ſuorum animis (pauidis enim ſemper in incerto conſilia ſunt) pro concione dixit, *nullius ſe eo die opera, niſi decimæ legionis, vſurum.* Quo conſecutus eſt, vt decimani, tanquam præcipuæ fortitudinis teſtimonio cogerentur pugnare, & cæteri pudore, ne penes alios gloria virtutis eſſet, accenſi, decimanos fortitudine ſuperare conabantur, hoſteſq; eò fortius aggrediebantur. Pari exemplo Stephanus Rex in Moſcouia bellum gerens, ſuis Hungaris omnia confecta eſſe dicebat, quæcunque ex hoſte trophæa retuliſſet. Aemulatione ducti Poloni, cum Meletio, ſeparatim iuerunt, & quam Rex aggredi non audebat munitionem SoKolæ, vna die expugnarunt. Lituani itidem ſeparatim; partim cum Nicolao Radiuillo, Supremo gentis ſuæ Militiæ Duce; partim cum Philone Kmita, Palatino Smolenſcenſi: partim cum Franciſco Succo, Koſachorum Niſouienſium ductore, exercitus Moſcouiticos profligabát, munitiſſimaſq; quaſuis eorum arces expugnabant.

18. *Perſuadeat militibus, hoſtem eſſe contemnendum.* Sic Gelo Syracuſarum

Tyrannus, bello aduerſus Pœnos ſuſcepto, cum multos cepiſſet, infirmiſſimũ quemque, præcipuè ex auxiliaribus, qui nigerrimi erant, nudatum in conſpectu ſuorum produxit, vt perſuaderet contemnendos. Similiter Vitoldus contra Tamerlani Ducem Battium, Boryſthenis catharactas cum ſuis Scythis ſuperantem moturus, quos ſuperiore anno barbaros in prælio ceperat, macilentos, tabeq; carceris conſumptos in medium caſtrorum produxit, & Polonis nequaquam timendos eiuſmodi hoſtes dixit, qui licet infinito ferè modo multitudine eos ſuperarent, fortitudine attamen bellicoſis Sarmatis nuſquam eſſent pares. Sciborius quoque Scriborouicius Polonus, ſub Ludouico Rege in Hungaria Tranſyluaniæ Palatinus, quum nonnullos eſſe Turcis cepiſſet, quorum tegumen capitis album, multum terroris præfert, quoties terga tygridum aut leopardorum pellibus tegunt: nudatos militibus ſuis, quos è Polonia tyrones ſcripſerat, pro cócione oſtendit, vtq; homines ſibi ſimiles eſſe ſcirent, nec timendos in prælio, ſuaſit: quinimo vt pinguia eorum corpora, tanquam bello inepta contemnerent, multis rationibus monſtrauit.

20. *Prodigia, & ſigna aduerſa, quibus milites conſternantur, in bonam & auſpicatam*

tam partem explicet, & interpretetur. Vti fecit Chabrias Athenienſis claſſe dimicaturus: excuſſo namque ante nauem ipſius fulmine, exterritiſq; militibus, dixit. Nunc potiſſimum iucunda pugna eſt, cum Deorum maximus Iupiter adeſſe numen ſuum claſſi noſtræ oſtendit. Andreas verò Sapieha, in Liuonia cum prædiarijs à Gregorio Chodkieuicio relictus, contriſtatis militibus inde. fenſione Vendæ, quod vexillum illius ventus de muro ablatum, in ſepulchrũ cæſorum ante aliquot menſes Moſcouitarum depuliſſet. Nolite, inquit, milites trepidare, Moſcouitis ſignificatur etenim certus interitus, quandoquidem ſuper ſepulchra militarium virorum, vexilla appendi ſolent ornatus gratia, quos Dei auxilio occidemus. Dixit, & ſuperuenientes Moſchos fortiter aggreſſus, aliquot ex eis millia in acie cecidit.

21. *Promiſſam ſibi à Superis victoriam, aut per ſomnium, aut per viſionem aliquam pronunciet: atque ita militibus ſuis, ſi illud verum ſit, animos ad pugnam religione accendat.* Hinc Archidamus Lacedæmonius aduerſus Arcadas bellum gerens, arma in caſtris ſtatuit, & circa ea duci equos noctu, clam imperauit; quorum veſtigia mane (tanquam Caſtor & Pollux perequitaſſent) oſtendens, ad futuros eoſdem ipſis præliantibus perſuaſit.

Caſimirus verò Monachus Rex Poloniæ publico prælio cum Lituanis, barbaris tunc, & Iazigibus, decertaturus, dixit ſe vidiſſe in ſomnijs Michaelem Archangelum, promittentem ſibi certá de paganis victoriam. Vnde & templum ei expergefactus vouerat. Atque animatis ita militibus, victoriam ingétem obtinuit, ac de ſpolijs hoſtium, votũ exoluturus in arce Lublinenſi, quod etiamnum durat, delubrum, cœleſtis militiæ Duci in ſignum gratitudinis, exſtruxit.

22. *Statum belli immutet, vt hoſtis inopina re perculſus animo concidat, & vel recedere à propoſito cogatur, vel tali genere prælij tecum decertare, quale nuſquam præuiderat.* Sic Themiſtocles aduentante Xerxe (quia neque prælio pedeſtri, neque finium tutelæ, neque obſidioni credebat ſufficere Athenienſes) author fuit eis, liberos & coniuges Træzena, & in alias vrbes emittendi, relictoq; oppido, ſtatum belli ad nauale prælium tráſferendi. Idem fecit in eadem ciuitate Pericles aduerſum Lacedæmonios. Et in Liuonia Chodkieuicius aduerſum Suecos, qui cum ſcirent benè, Polonos pugnæ maritimę non eſſe aſſuetos, negligentius ſeſe geſſerunt, & cum nauibus ſuis ad Dunemundá ſecurè acceſſerunt, quò copias ſuas in terram exponere

re poſſent. Ille nauibus mercatorum Angliæ, quæ Regię negociabantur, precio conductis, militem Polonum eis impoſuit, & nil tale cogitantes Suecos aggreſſus, prælio nauali ſupra omnium ſpem & opinionem vicit.

23. *Aliud ſemper faciat, quam quod ſe facere ſimulat aut oſtendit.* Sic Ageſilaus Lacedęmonius, tenentibus anguſtias Thebanis, per quas tranſire habebat, flexit iter quaſi Thebas contenderet; exterritis Thebanis digreſſiſq; ad tutanda mœnia, repetitum iter quod deſtinauerat emenſus eſt, nullo obſiſtente. Sigiſmundus III. cum toto quaſi biennio Smolenſcum obſideret, nec potuiſſet tã munitam vrbem, quam quadraginta hominum millia defendebant, expugnare, iuſſit conuaſatis rebus caſtra ſua incendere, & domuitionem promulgare. Moſcouitę diuturna obſidione fatigati, vt Regem toto cum exercitu abire conſpexerunt, conuiuia & cœnas prę lętitia inſtruxerunt, vltraq; ſolitum Baccho indulgentes, ſtationes in muris ſtatim negligentius agere cęperunt. Rex verò nocte obſcura cum omnibus ad oppugnandum requiſitis accedens, vrbem in coronam inopinatò aggreſſus, cum omnium admiratione in poteſtatẽ redegit. Poſt cuius obitum, dum tempore Interregni Moſchi eam recu-

perare vellent,accitiſq; tranſmarinis populis centum triginta millibus eam obſediſſent. Vladislaus IV. in ſolium paternum ſublimatus confeſtim obſeſſis ſubſidio veniens, vt aliquot hoſtium munitiones expugnauit, reiectumque à mœnijs Seinum intra ſuum vallum concluſit, & quo celerius eum expugnare poſſet, montem caſtris hoſtium, qui ab alaudis nomen habet, vicinum occupare inſtituit, ſed quem Moſchi facillimè ipſi occupare potuiſſent,ſi Regis cōſilio perſpicere valuiſſent. Qui caſtris de die motis, recta ſe in Moſcouiam velle ire ſimulauit, & aliquantulum via ordinaria progreſſus,ſequenti ſtatim die à tergo hoſtibus comparuit, & mōtem ſupra dictum fruſtra defendentibus illis occupauit, atque demum aſſiduis prælijs fatigatos, ad deditionem coegit.

24. *Eum ſtatum belli eliga, quem putat ſibi eſſe vtiliorem.* Vt C. Cæſar bello ciuili fecit, qui cum exercitum veteranum haberet, hoſtium autem tyronem eſſe ſciret, acie ſemper, prout & Alexander Magnus, decertare ſtuduit, in qua nuſquam illi fuerunt exercitati. Ita quoque & ChodKieuicius in Liuonico bello, poſtquam pernouiſſet Carolū Sudermanum tranſmarino milite vti,qui magis ad foſſas, quam ad aciem apertam aſſuetus eſſet. Igitur tribus millibus

ſuo-

ſuorum veteranorum, vna die quatuordecem millia hoſtium acie aperta deleuit, qui alias ligone poterant in longũ tempus bellũ protrahere, Hinc Cæſar Auguſtus dicere ſolitus erat. *Præliũant bellum nũquam ſuſcipiendũ, niſi cũ maior emolumenti ſpes quàm damni metus oſtenderetur.*

25. *Vehementem & auidum pugnæ hoſtẽ, mora & cunctatione vilem faciat*. Sic Fabius maximus aduerſus Annibalẽ ſucceſſibus præliorum inſolentem, recedere ab Ancipiti diſcrimine & tueri tantummodò Italiam conſtituit, Cunctatoriſq; nomen, & per hoc Summi Ducis meruit. Sic Conſaluus Magnus Gallos ſua cunctatione viles fecit, & toto Regno Neapolitano eiecit, ſimiliterque, Magni Ducis nomen, patrum noſtrum memoria obtinuit. Simili aſtu Koniecpolſcius ante triennium ferè impetum, Abazi Baſſæ fregit, & pugnandi auidũ cum ingenti ſuo exercitu ad Cameneciam procurrentem retro cedere inglorium coegit. Sed & Oſmanus ipſe ad Chotimiam, cum vna die more ſuo barbaro, bellum conficere voluiſſet, vallo caſtrorum noſtrorum & propugnaculis in longum detentus, impetum, & vehementiam furentem amiſit, adeò vt cum ad pugnam publicam prouocaretur animum iam non habuerit & æſtate per cunctationem noſtrorum in ocio

ferè exacta, vix cum paucis in Turciam rediijt, aſſiduis oppugnationibus quoquo fortiſſimo amiſſo.

26. *Nolentem pugnare æquo loco, extrahat è latebris, & pugnandi neceſſitatem illi imponat, cum ille paratus non eſt.* Ita Metellus, cum animo aduertiſſet, nolle æquo loco pugnare Iugurtham, ſed per ſaltuoſa tantùm & ſuſpecta proficiſcenté expectare occaſionem; vt eum ſuis ſuccurrere cogeret Famam caput Regni obſedit. Zamoſcius, Archiducem Maximilianum, Bicine in Sileſia ſubſidia ex Hungaria exſpectantem, licet parua ſuorum manu, non dubitanter tamen in eum inuectus, ad prælium decertandũ cogit, priuſquam Hungari ſubſidio veniſſent. Vnde & victoria potitus eſt, quam nequaquam obtinuiſſet, ſi Archidux mœnijs ſeſe vrbis defendens, in aciem non deſcendiſſet, & venientes mercenarios pauliſpet expectaſſet, qui aliquot milliaribus ſolummodò inde diſtabant.

27. *Naturali induſtria, & prudentia multis experimentis aut lectione comparata, cognoſcat hoſtium aſtus & fraudes.* Prout Aemilius Paulus Cos. bello Hetruſco, apud oppidum Coloniam dimiſſurus exercitium in planiciem, contemplatus procul auium multitudinem, citatiore volatu è ſylua conſurrexiſſe, intelle-

tellexit illic aliquid inſidiarum latere, quòd & turbæ aues, & ſimul plures euolauerant. Præmiſſis igitur exploratoribus, comperit decem millia Boiorum excipiendo ibi Romanorũ agmini imminere: eaq; alio quam expectabatur latere miſſis legionibus circũfudit. Simili planè modò Predislaus LancKoronius, ex auiũ crocitatu in ſylua Podoliæ, vulgo Nigra dicta Tartaros, qui incurſionẽ in Prouincias Regni Poloniæ parabant, latitare cognoſcẽs, ſclopetarios pedites à tergo in eos immittẽs, ipſe recta in inſidiantes ſibi proceſſit, & fortiter reſiſtẽtes in primo congreſſu, reboatu ſcloporum à tergo eis exploſorum continuò turbauit, & diſiecit; quanquã lõgè numero impar illis fuiſſet. Chmielecius verò, gnarus barbaros per eaſdem vias, quibus palatum exiuerant, in caſtra ſua cum præda redituros, caſtra ipſa apud Bialocerquam expugnauit, reuertenteſq; poſt dies aliquot prædatores, habitu, clamore, & armis facilè decepit, atque ita omnes præda excuſſa trucidauit.

28. *Etiamſi hoſte ſuperior ſit & victoriam facilè ſperet, in omnem tamen euentum ſiniſtros caſus ſocum animo voluat.* Vnde Pompeius, inquit Dion, quòd multis modis ſe Cæſare ſuperiorem eſſe perſuaſum haberet, nihil omnino præuidit,

Neque

Neque enim idoneo loco caſtra poſuit; neque refugium ſibi, ſi ſuperaretur, parauit: cumq; rem extrahere, atque ita victoriam ſine prælio obtinere poſſet (nam & ſingulis diebus copiæ eius augebantur, & rerum neceſſariarum copia ipſi ſuppetebat) tamen ſigna contulit. Vnde factum eſt, vt præter opinionem victus neque conſilium neq; ſpē fortunæ denuo periclitandæ capere potuerit. Quodſanè ipſum Guſtauus præ oculis aſſiduò habens, nuſquam prælio publico nobiſcum in Pruſſia decertauit, & ſi quando pugnæ periculum facere voluit, ſemper ſeſe intra ſuas munitiones continuit; nec vſquam à mari, aut fluuio Iſtula receſſit. Et Ioannes Tarnouius Archiſtrategus Poloniæ, à Ferdinando I. Imperatore conſultus, quomodo Solimano in Hungaria tunc bellum ſecum gerenti, reſiſtere abſque damno ſuorum poſſet, ſimile planè reſponſum tulit. Vt nimirum publicum certamen quàm maximè vitaret, vt nuſquam cum ſuis caſtris à Danubio recederet; & vt ſemper in omnem ſiniſtrum euētum, licet ſuos exercitus ſuperiores eſſe videret, eſſet paratus. Quod videlicet equitaui Turcico Germanum militem imparem videret, cum ad gladies res deueniret; quod à multitudine barbarorum circumuentus fame exercitū amit-

amitteret, ſi Danubio recederet, & quòd clade affectus, vt eſt varia ſors belli, abſque graui dominiorum ſuorum damno, reſiſtere haud poſſet, niſi aliquam fortem munitionem ad tergum haberet, quæ & fugientes reciperet, & mollem belli, tamdiu retardati ſucceſſibus hoſtis, ſuſtineret, quamdiu non reficerentur Vires Imperij.

29. *Neque aduerſis in rebus omnem ſpem abijciat, neque in proſperis quicquam de animi conſtãtia remittat*, gnarus in bello nullos conatus feliciorem exitum ſortiri, quàm de quibus hoſtis minimè ſuſpicatur. Ita Dematrius Moſcouię Princeps à Georgiò Mniſecio, ad recuperandum paternum vti ferebat Principatum, exul copijs Polonicis inſtructus, in ipſo ſtatim ingreſſu Moſcouiæ profligatus non deſpondit animum vti ſuam decebat generoſitatem, ſed recollectis, qui à prælio manſerant, aliquot cohortibus, priuſquam noua ſubſidia veniſſent è Polonia, maximo auſu quadraginta millium exercitum Moſcorum inopinato ſuperuentu apud Cromos diſſipauit poſtea ad Putiuliam Coſachorum Zaporoſenſiũ ſubſidio auctus, aperto Marte decertare non dubitauit: atque ita quotidie maiora audendo & vigilando vſque ad vrbem Metropolim Moſquam perceſſit, atque ad extremum Imperio

rio vniuerſo potitus fuit.

30. *Crebro ſuos monere debet, vt hoſtem adventantem parati inſtructiq; eius milites in horas expectent; ne improuiſa aduerſario um irruptione turbentur.* Vnde Manſfeldius copiarum Rodulphi II. Præfectus ad Strigonium oppugnandũ miſſus, vt ſemper ſuos paratos ad ſuſtinendum impetum hoſtiũ haberet, ter quaterq; præmonitos, ipſe nocturno tẽpore, cum ijs cohortibus quas tacitè caſtris eduxerat, parte qua Turcæ imminebãt clamore ſublato inuaſit, & quos ignauos inuenit facta in craſtinum concione publicè caſtigauit. Idem & Georgius Baſta ſuos monebat; & Suarcembergius diligentiſſimè obſeruabat. Et Samuel Coreccius ſuos in Moldauia, conſimili irruptione ex improuiſo, ad vigilãtiam exercitabat, & multi alij priſci bellatores fecere.

31. *Exercitum ita diſciplina imbutum habeat, vt à pugna ad prædam non auertat manus,* vt accidit Sigiſmundi Imperatoris exercitibus apud Columbanum, in Seruia, & iterum in Boſnia apud Ciporouiciam, vbi profligatis Turcis, etiam Imperatoris Ottomanici capiendi ſpes erat, niſi militum auiditas prædæ præproperas manus admouiſſet. Et poſtea reſtaurantibus prælium barbaris, vix ipſe Sigiſmundus vno comitante puero euaſit.

euaſit. Idem accidit exercitui Ferdinandi I. apud Peſtũ; Rodulphi II. apud Agriam & Sigetum Sigiſmundo Batoreo apud Temeſauriam, alijſq; noſtri ac veteris ſæculi Ducibus, diuerſis in locis.

32. *Optimo loco caſtra metetur.* Nullis videlicet montium inſidijs, aut amniũ iniurijs obnoxio, vbi ſatis lignorum, pabuli, & aquæ ſit: hoſtem verò in loca arida, ſaltuoſa, aut paludoſa compellat.

33. *Si imparem ſe hoſti videt, in loca eum inſidioſa trahat, & aliquomodo circumueniat.* Ita Iugurtha, qui ſumma calliditate, modo arma leuiter oſtentando, modo pacis ac deditionis mentionem injiciẽdo, tam diu ludificatus fuit Albinum, donec is ob inſtantia comitia Romam rediens, exercitum fratri Aulo commiſit. Sperabat enim ſe interea temporis Romanos milites, partim pecunia, corrumpere poſſe, partim cum improuido Duce in loca inſidioſa pellicere, & ad quaſlibet conditiones cogere, vel trucidare. Nec ſpes eum fefellit. Cum enim iam plurimos Romanorum fauere ſibi ſciret, fugam ſimulauit, quam cũ veram eſſe falſo Aulus credidiſſet, per ſaltuoſa loca eum temere perſequens, victus, ſub iugum miſſus, & infra decẽ dies vniuerſa Numidia exercitum deducere iuſſus fuit.

34. *Sit*

34. *Sit dexter in agendo & non moroſus, dubius, aut cunctabundus.* Athenienſium etenim res in Sicilia ſegnis Niciæ cunctatio euertit. Cum enim is aduentu ſuo ingentem famam, & ſui terrorem Siciliæ intuliſſet, Catanæ in hybernis deliteſcens, in contemptu venit, & hoſtibus animos reſumendi ſpatium dedit. Idem error in Braſida Spartano notatur à Thucydide, & in Ludouico Andegauenſi à Leonardo Aretino, cũ in Apulia Ladislaum Regem deuiciſſet.

35. *Deprehenſus in anguſtijs diuerſis artibus eludat, aut de deditione tractet; interim verò ſuſpenſis tractatione pacis hoſtibus, ferro ſibi viam aperiat, aut iter aliud capiat.* Nicoſtratus Aetolorum Dux, ita aduerſus Epirotas egit; cumq; ei aditus in fines eorum anguſti fierent, per alterum locum irrupturum ſe oſtendens, omni illac ad prohibendum occurrente Epirotarum multitudine, reliquit ſuos paucos, qui ſpeciem remanentis exercitus præberent, & ipſe cum cætera manu, qua non exſpectabatur aditus intrauit. Quo etiam aſtu Guſtauus in Pruſſia ad Derſauiam concluſus euaſit, & de pace legatis in caſtra Polonorum miſſis, nocturno tempore Iſtulam traiecit, inq; loca ſecuriora exercitum deduxit. Cn. verò Pompeius, cum flumen tranſire propter oppoſitum exercitũ hoſtiũ

non

non poſſet, aſſiduè producere & reducere in caſtra inſtituit: deinde in eandem perſuaſionem hoſte perducto, ne vllam viam ad progreſſum Romanorũ teneret, repente impetu facto tranſitũ rapuit.

36 *Hoſtem ex locis difficilimus, inuadit; ipſe autem euadendo à tergo inſtantem aduerſarium prudenter ſubmoueat, ne in tranſitu fluuiorum aut ſaltuum ſui milites carpantur.* Ita Pelopidas Thebanus, bello Theſſalico tranſitum quærens, caſtris ampliorem locum ſupra ripam complexus, vallum ceruolis, & alio materiæ genere conſtructum incendit, dumque ignibus ſubmouerentur hoſtes, ipſe fluuium ſuperauit. Bannerius ſimiliter à Cæſarianis circumuentus ad Torgauiam, diuerſa materia ſuper vallũ congeſta, ignem ſub primam noctis vigiliã ſuppoſuit, ipſe verò Albi fluuio ſuperato in Pomeraniam conceſſit. Nicolaus autem Melecius, Valachiam paruo cũ exercitu ingreſſus, cum apud Stepanouiciam ingentem barbarorum multitudinem inſediſſe cognouiſſet, nolens temere cum tanta colluuiæ manus cõſerere, facta in ſpeciem velitatione, vada Pruthi ſcrutari iuſſit, quaſi Iaſſum iter flexurus, cum reuera Chotimiam verſus reditum animo cogitarat, Poſitis igitur iaculatoribus in inſidijs, caſtra

verſus

verſus Tyrum mouit, & cum illi magnis agminibus abeuntem inſequerentur, ab inſidiatoribus à latere ſtrenuè excepti fuerunt, cum interim Melecius ſignis conuerſis à fronte eos aggrederetur: & vniuerſalis pugnæ aleam declinans, turmatim in eos incurreret, reliquis interea temporis caſtra ad ripam fluuij iam munientibus. Quibus perfectis, haſtatos in confertiſſimum Turcarum globum immiſit, & omnia ſimul tormenta in lateribus locata exploſit: cumq; hoſtes impetum haſtatorũ ſuffere nequiſſent, ille ſigno receptui dato cũ omnibus ſuis caſtra intrauit, & velut ex arce munitiſſima propugnauit. Tãdem tractando de pace, leuioribus prælijs ré per dies aliquot protraxit, nocturnoq; tempore impedimentis omnibus, & machinis tranſmiſſis: ipſe verò die ſtatim albeſcente quaſi vniuerſali pugna præliaturus in acie conſtitit, & tamdiu prouocationibus ad duella, velitationibuſq; tempus protraxit, donec in aduerſa ripa pro bombardis commodius in hoſtes librandis, ſuggeſtus non exſtruerentur. Quibus confectis, globos in acies barbarorum frequentiores explodi iuſſit, & ſeſe interim in caſtra ſua confeſtim recepit, incenſaq; ſub noctem in vallo materia, fluuium cum omnibus copijs ſecurè tranſgreſſus eſt.

37. *Inſidias vbicunque poterit in itinere hoſti faciat: adq; tranſitus fluuiorum, ad præcipitia montium, ad ſyluarum anguſtias, ad paludum aut viarum difficultates, ſuperuentus nullo ſciente diſponat; atque iter ſuum ita temperet, vt aut cibum capientes aduerſarios ſuos, aut dormientes; aut vacantes certè, ſecuros, inermes, diſcalceatos, diſtractis equis, nihil ſuſpicantes, ipſe paratus inuadat, quatenus in huiuſmodi certaminibus fiduciam colligant.* Tali dolo Stephanus Albertum Regem Poloniæ in Valachia clade ingenti affecit, perq; fagineam ſyluam incautè tranſeuntem, vafer & aſtutus bellator, inter aſpera ſaxa & montes, ex inſidijs vndique aggreſſus, impulſis quas in hoc iam ante ſucciderat arboribus, mirum in modũ afflixit. Sed & Boij olim in ſylua Latina ſimili aſtu Romanos exceperant: qua enim tranſiturus erat Romanus exercitus, ſucciderant arbores ita, vt ex parte exigua ſuſtentatæ ſtarent donec impellerentur: delituerant deinde ad extremas ipſi, vbi ingreſſo ſyluam hoſte, proximas vlteriores impulerunt: eo modo propagata pariter ſupra Romanos ruina, magnam manum eliſerunt. His, & ſimillimis artibus graues fuere. Michael Tranſalpinæ Daciæ Regulus, Turcis: Moyſes Siculus, Tranſyluanis: Oſtaphæus Daſcouicius Coſachorum Zaporoſen-

rotenſium author, Tartaris: Alexander Liſouius (à quo Liſſouiani Coſachi, leuioris armaturæ equites) Moſcouitis: idq; eam ob cauſam ſinguli, quod diuerſis è nationibus militem collectum haberent, nec in pugna ſtataria ijs fiderent niſi poſt multa experimenta in particularibus certaminibus facta. Quamuis principaliter id intendere Imperator in locandis inſidijs debeat vt vel omnino aduerſarium vincat, vel ſaltim diminuat vires illius: quare alij, quo hoſtiũ copiæ decreſcerent, ditione ſua vltro ceſſerunt, vt dum vrbibus occupandis, atque pręſidio muniendis hoſtis occuparetur, copiaſq; ſuas hinc inde diſtributas haberet, ipſum ea ex occaſione, in aliquas inſidias pellicerent aut debilitatum inuaderent apertè: qua quidem via victoriam conſecuti ſunt. Alij, dũ regionem inuadere in animo haberẽt, in aliam ſe arma parare tanta induſtria ſimularunt, vt regionem illam de qua minimè dubitabatur occuparent, priuſquam illa defendi poſſet. Nam ſi hoſtẽ in ſuſpenſo habeas, an forte eam in partem, qua fama erat, regreſſurus ſis, cogetur ille tam ibi ſubſiſtere, quam alterá partẽ defendere, vnde facilè fuerit vtráq; exercitus partẽ à te circũueniri. Præſertim, *cum diſperſi ad prædandum ſecuri oberant hoſtes, tunc probatos equites*

vel

vel pedites, cum tyronibus aut inferioribus mittat Imperator, vt ex occaſione fuſis inimicis, & illis peritia, & reliquis creſcat audacia. Nam qui ante longum tempus, aut omnino nunquam videre homines vulnerari, vel occidi, cum primum aſpexerint perhorreſcunt, & pauore confuſi, de fuga magis, quàm de conflictu incipiunt cogitare. Hinc veteres Romani gladiatores ludos inſtituerant, quod ciues ipſi in perſona ad bellum ire obligati fuiſſent, ne igitur ſanguine fuſo, aut morte cadentium in acie conſternarentur, à puero aſſueſcebant tali inſpectioni in ludis exhibitis, cum ſeſe in theatris ante oculos plebis, gladijs ſerui laniarent aut mactarent. Vetereſq; Sarmatæ noſtri in publicis feſtiuitatibus, aut in augurationibus Principum ſuorum, haſtis inter ſe concurrebant, vt & laudem & præmium conſequerentur, vtq; Regi ipſi monſtrarent hoc facto ſuo, non ad molliciem & delicias, ſed ad bella cum barbaris gerenda, eum à ſe electum eſſe, qui ſciret inde, duris ſe Sarmatis & fortibus viris imperare, non effœminatis populis leges præſcribere & dominari.

38. *Longo itinere fatigatos aggrediatur, aut certè inſperatus ſuperueniat; eoſq; etiam qui longè à ſuis, aut pabuli, aut prædæ gratia cõmorantur, ſubitò cum delectis occupet.*

Illa

Illa enim ante tentanda ſunt, quæ ſi malè ceſſerint minus noceant; ſi benè, plurimum proſint. Ita Conſtantinus Oſtrogius & Scythas in Ruſſia palantes, & Moſchos in Lituaniam incurrentes, ſæpiſſimè, minoribus prælijs attritos primùm, feliciter deuincebat, Ita Sanguſcus Lituaniæ Campiductor. Ita Staniſlaus KiſzKa cæteriq; ex eius diſciplina clariſſimi deinceps in patria noſtra Duces.

39. *Quibus deficit, monſtret ſe habere in copia; aut vſum earum expleat.* Sic Carthaginenſium, Maſſilienſium, & Rhodiorum Duces inſtructuri claſſem, quia ſparto deficiebant, crinibus tonſarum mulierum ad funes efficiendos vſi ſunt. Marcus verò Antonius à Mutina profugus, cortices pro ſcutis militibus ſuis dedit. Præmiſluſq; olim Poloniæ Princeps cum hoſte congreſſurus, quòd militum manum exiguam haberet, eamq; nudam, nullis thoracibus, nullis clypeis armatam; egreſſus è ſylua Calui Montis in tractu Sendomirienſi in aciem campi Lagouienſis, vt maiores copias ſuas opinione aduerſariorum monſtraret, truncis arborum tenuioribus galeas ex corticibus factas impoſuit; homineſq; agreſtes ac fœminas, qui eas arbores huc & illuc mouerent, intermiſcuit, quo nimirum ſic numeroſior, & quaſi in ſyluis

tectus,

tectus, exercitus ſuus appareret, atque hoſtes conterreret. Quod & ſucceſſit.

40. *Si fortè fames, peſtilentialiſue contagio aut quædam neceſſitas, vel alij humani caſus, hoſtem tuum ad deſperationem adegerint, vt prælij aleam quoquo modo ſubire cupiat, tum tibi intra munitiones conſiſtendum, & quantum fieri poſſit, à prælio abſtinendum noueris.* Hanc rationem Lacedæmonij contra Meſſenios, & Cæſar contra Afraniũ, Petreiumq; ſecuti ſunt. E bello Pruſſico Guſtauus contra Sigiſmundũ III. vſus cum paſſim apud Mariæburgum, mercenarij Germani contagione perirent, qui omnino in acie fortiter obire cupiebant, ceterum ille vt rerum militarium guarus, intra ſuas ſeſe munitiones continuit, nec vlla ratione in campum, etſi toties prouccatus & laceſſitus prodire voluit: quia certiſſimam ſuorũ cladem preuidebat. Iam autem difficile vincitur, qui verè poteſt de ſuis, & aduerſarij coprjs iudicare: qualis erat Guſtauus, tot iam prælijs & periculis in Liuonia ante, Ruſſia alba, & Cimbrica exercitus.

41. *Præcipuè verò curet Imperator, conſiliarios, ſui aduerſ rij intimos, & quibus ille grauiores expeditiones peragit, reddere illi ſuſpectos.* Sic Romani cum Antiocho Rege bellum aggreſſuri, qui apud ſe Hannibalem, victis iam Carthaginen-

ginenſibus habebat, conſiliumq; eius aduerſus Romanos inſtruebat, miſſis ad eum legatis, per crebra colloquia effecerunt, vt is Regi fieret ſuſpectus, cui gratiſſimus alioqui erat; & vtilis propter caliditaté & peritiam bellandi. Parimodo Lituani, *Vitoldū* ad Crucigeros Pruſſię à Rege *Vladislao* fugienté, apud Magiſtrum, Ordinis accuſarunt; & vtilem ipſis valdè, ſibi verò eo in loco grauem ob militię ingentem peritiam, in carceres conijci procurarunt. Prout & Ferdinandus *I.* Hieronymo Laſco fecit, qui apud Ioannem Regem Hungarię, & authoritate, & conſilio, & rei bellicę ſcientia multum pollebat. Quapropter facilè Proceribus Hūgarię perſuaſit vt eum tanquam alienigenam apud Regem accuſarent, quos ille loco & dignitate, Ttranſyluanię Palatinatu cohoneſtatus, longè ſuperabat. *Liberatus* tandem carcere *Laſcus*, vt natura animoſus erat, ad hoſtem Regis Ioannis Ferdinandum Impeiatorem fraudis ignarus, vindictam ſolummodò meditans lubens conceſſit, ab eoq; in Turcicam cum Oratoris titulo ad Solymanū ablegatus, neſcitur à quo venenum hauſit, atq; morbis per viam diuerſis doloribuſq; excruciatus, vix patrium limen ſalutauit, & ſtatim Cracouię extinctus eſt.

Deni-

42. *Denique vſitata & communia ſtratagemata aſſiduò reuoluat.* Quò enim magis aliqua contemnuntur, eò facilius fallunt. In bellis autem non datur bis peccare, abſque notabili damno. Nec prudens poterit dicere Imperator, *Non putaram*, quia in omnia intentus eſſe debet.

CAPVT III.

De ijs Stratagematibus, quæ facienda ſunt in pugna,

NOtatis ijs pręceptis, quę ante cōmiſſum prelium agenda ſunt, deinceps videndum eſt de ijs, quę in ipſo prelio occurrere ſolent. Atq; imprimis.

1. *Dux tempus ad pugnam opportunum eligat.* Vt nimirum hoſtis ieiunum exercitum in aciem producat, & inedia, ſiti, vigilia nocturna, tineris fatigatione, aut mora ſub armis laſſatum, tota die in ecie detineat. Cumq; hoſtis caſtra iam repetere cæperit, ſubito copias educat, & commiſſo in paucos prælio, aut vincat fortiter, aut terrorem, qui iā caſtra ſua intrauerant periculo cæterorū incutiat. Sic Metellus Pius in Hiſpania aduerſus Herculeium, cum ille oriente protinus die, inſtructā aciem vallo eius admouiſſet, feruidiſſimo tunc tempore

anni, intra caſtra ſuos continuit, in horā diei ſextam, hoc eſt ipſum meridiem, atque ita fatigatos ęſtu, facilè integris (quibus prçceperat, vt quieſcerent, & cibum caperent) & recetibus vicit ſuorum viribus. Iugurta verò memor virtutis Romanorum, ſemper inclinato die prelium committere ſolitus erat, vt ſi ſui fugarentur, oportunam noctem haberent ad deliteſcendum. Quod & Guſtauus in bello Pruſſico obſeruabat, nec vnquam cum ſuis prodijt, niſi cum adueſperaſceret; vt fecit ad Męuam, ad Neiſtadium, ad Neringam, & denique ad Derſauram vbi ſclopo percuſſus, perculſos ſuos tempeſtiuè & oportonè vmbra noctis tectos in caſtra reduxit,

2. *Nullam occaſionem perimendi, aut ſaltim infeſtaudi hoſtis negligat.* Iphicrates Athenienſis, quia explorauerat, eodem aſſiduè tempore hoſtes cibum capere, maturius veſci ſuos iuſſit, & eduxit in aciem: aggreſſuſq; hoſtem ita detinuit, vt ei nec confligendi, nec abeundi daret facultatem. Inclinato deinde iam die reduxit ſuos, & nihilominus in armis retinuit: fatigati hoſtes non ſtatione magis quàm inedia, ſtatim ad corporis curam & cibum capiendum feſtinauerunt. Iphicrates rurſus eduxit, & incompoſiti hoſtis aggreſſus eſt caſtra.

Eodem

Eodem aſtu Albertus quoq; Laſcus in Turcas vſus eſt cum Iacobum Heraclidem agaſonem ſuũ, ad capiendũ Valachię Principatum deduceret, Alexandrumq; Vaiuodam barbarorũ auxilijs nixũ prouincia depelleret. Igitur longè maiores copias illius conſpicatus, iuſſit vt ſui ſummo mane corpora curarent, cibumq; ſecum pro vna comeſtione in aciem progreſſuri acciperent quos in alba eductos tota die in acie detinuit velitationibus prouocationibuſq;ad duella tempus terendo; & tandem ſole in occaſum vergente intra vallum deduxit. Idē fecere & Turci, inedia & ſolis æſtu cum ſuis equis fatigati: vnde cibum ſtatim capere omnes, pabulaq; equis conquirere ſolicitè cœperunt, Laſcus verò cohortatus ſuos iterum eduxit, & confuſos inermeſq; inopinatò aggreſſus facilè vicit, & tota deinceps prouincia expulit.

3 *Locum ad pugnam commodum eligat.*
Marcus Curius, quia phalangi Regis Pyrrhi explicitę reſiſti non poſſe animaduertebat,dedit operam in anguſtijs confligeret, vbi conferta, ſibi ipſi eſſet impedimento. Stanislaus Leſniouius, quadraginta millia Moſcorum ad Neuelliam, mille quingentis haſtatis aggreſſurus, ita inter duo nemora aciem ſuam inſtruxerat, vt nec circumueniri

ab equitatu hoſtili propter paludes vliginoſſas vllatenus poſſet, nec quantum à tergo exercitum haberet videri. Igitur inopinatos aggreſſus ac perturbatos, clariſſimam ex eis victoriam retulit, cæſis in acie octodecim millibus. Sed & Ioannes Sapieha cum iiſdem Schiſmaticis pugnaturus, apud Troiczam, cauas & prȩruptas vias obiecit à latere; ipſaq; loci natura pro munimentis vſus, inſignem eorum Ducem Lobſinium vicit.

4. *Aciem optimè diſponat.* Ita Scipio Aphricanus aduerſus Aſdrubalem Ducem Pœnorum in Hiſpania bellum gerens, per continuos dies ordinatũ produxit exercitum, ita vt media acies fortiſſimis fundaretur. Sed cũ hoſtes quoque eadé ratione aſſiduè ordinati procederent, Scipio ea die qua ſtatuerat decernere, commutauit inſtructionibus ordinem, & firmiſſimos, id eſt legionarios in cornibus collocauit, ac leuem armaturam in media acie, ſed retractatam, poſuit. Ita cornibus quibus ipſe prȩualebat, infirmiſſimas hoſtium partes lunata acie aggreſſurus, facilè fudit. Vladiſlaus quoque Locticus, cum Crucigeris Boruſſicis ad Radzieouiam prȩliaturus, aciemq; eorum, quȩ robuſtiſſimos Germanorum in dextro cornu habebat, fracturus, non niſi ipſis haſta-

tos

tos ſuos oppoſuit: infirmiſſimos autem ex peditatu fortiſſimis hoſtium obiecit, vt ad primam eorum impreſſionem fuga ſibi conſulerent pręcipiens, & interfugiẽdum more Scythico (nam omnes Ruſſi erant) ſagittis hoſtes ſe inſequentes ferirent; maximè cum ſeſe in ſyluestria confragoſaq; loca reciperent, quo grauiter armati Germani, nullo modo ſequi cum ſuis equis poterant. Illi verò in abeũtes iterum obuerſi facilè pugnarent, aut à lateribus incurrendo ordines ipſorum turbarent. Atq; ita fruſtrato robore exercitus, ipſe optima cum parte virium ſuarum, dextro cornu, totam circuiuit aciem hoſtium, & triginta millia in acie cecidit.

5. *Hoſtem emittat ex acie, ne clauſus p alium ex deſperatione redintegret.* C. Cęſar Germanos incluſos, ex deſperatione fortius pugnantes, emitti iuſſit; fugienteſq; perſecutus eſt. Similiter L. Martius, Poenos: Camillus, Gallos: Antigonus Macedonum Rex, Aetolos: Ageſilaus, Thebanos: Cn. Manlius, Hetruſcos: Boleslaus Criuouſtus Boruſſos & alij, alios.

6. *Hoſti fugienti pertinaciter non inſiſtat,* ſagittarijs prę ſertim, quales ſunt Scythę, Parthi, Arabes, alijq; leuiori armatura vtentes. Apud nos Romanus Oſtrogius Princeps, & Io: Struſſus, nobiliſſimi iuuenes, dum acrius fugientes Scythas

perſequuntur, icti ſagittis occubuere. Marcuſq; Liuius fuſo Aſdrubale hortantibus eum quibuſdam, vt hoſtem ad internecionem perſequeretur, reſpondit. neceſſe eſt vt aliqui ſuperſint qui de victoria noſtra hoſtibus nuncient. Scipio verò Aphricanus dicere ſolitus erat, hoſti non ſolum dandam eſſe viam fugiendi, ſed etiam muniendam.

7. *Aduerſa diſſimulet*. Lucius Sylla, cum præfectus eius non exigua equitũ manu comitante, commiſſo iam prælio ad hoſtes transfugiſſet pronunciauit iuſſu ſuo id factum. Eaq; ratione militũ animos, non tantùm a confuſione retraxit, ſed quadam etiam ſpe vtilitatis, quæ id conſilium ſecutura eſſet confirmauit. Datames verò Dux Perſarum, aduerſus Authoſradatem in Capadocia, cum partem equitum ſuorum transfugere comperiſſet, cæteros omnes venire ſecum quantocius iuſſit; aſſecutuſq; transfugas collaudauit, quòd eum alacriter præceſſiſſent, hortatuſq; eſt eos etiam, vt fortiter hoſtem adorirentur. Pudor transfugis attulit pœnitentiam: & conſilium ſuum (quia non putabant depræhenſum) mutauerunt. Aſt Romani, ſecundo bello Punico, valde debilitati, diſſimularunt aduerſitatem ſuam, acſi victores eſſent, & Antiocho Regi ante victoriam conditiones propoſue

poſuerunt, tam ſuperbas & graues, acſi iam viciſſent, quia ita tum mos erat, in aduerſis vultum ſecundæ fortunæ gerere: moderari animos in ſecundis.

8. *Suis militibus neceſſitatem pugnandi proponat*; vt aut virtute ſalutem tenendam, aut moriendum ſibi eſſe intelligant. Deſperatio enim & neceſſitas fortitudinis eos appellatur, & vni quatuor hominum vires conferent, inde Alexāder Magnus militibus ſuis, perueniſſe eò dicebat, vnde fugere non poſſent, tot terrarum ſpacia emenſis, tot amnibus montibuſq; poſt tergum obiectis; iter in patriam & penates manu eſſe faciendū. C. Cæſar ancipiti prælio equos dimittebat, & præcipuè ſuum, quo maior permanendi neceſſitas eſſet auxilio fugę erepto. Corcyrei exules, vt fugę ſpem omnē ſuis adimerent, nauibus, quę eos aduexerant, ignem iniecerunt, narrat Thucidides. Quod idem Ferdinandus Corteſius in Noua Hiſpania, & Gulielmus Normanus cum in Angliam traieciſſet, fecerunt. Et hos, ſuperioribus annis in Belgio Mauricius Naſſouius, dimiſſis nauibus quibus in hoſticū trāſierat, imitatus videtur. Carolus Martellus, cum innumerabili Saracenorum multitudine pugnaturus, pronunciari in acie iuſſit, clauſas eſſe Turonū portas (vrbs ea erat vicina loco vbi pugnabatur) neminē niſi victorē recepturas. Nā

qui receptum habent, timidi & ignaui eſſe ſolent; quibus verò vnica ſpes eſt, nullam ſperare ſalutem, illis neceſſe eſt fortibus viris eſſe.

9. *Selectas aliquot cohortes ad incertos caſus ſeruet*. Sic Romani vltimis caſibus ſeruabant Triarios; & hodie Genitzaros, ſeu prætorianos ſuos Turcæ, quorum fiduciam & robur experti sũt in pugna Varnenſi, vbi profligatis omnibus Turcis, Amurathes ſolis cum Genitzaris in acie manens, impetum Vladislai Regis ſuſtinuit, & illo occiſo victoriam obtinuit. Et in Belgio ad Neoportum, non aliam ob cauſam profligatus fuit Albertus Auſtriacus, niſi quod non haberet in ſubſidij, ad incerta ſeruatos milites, ſicuti Mauritius fecerat, vti captus Mendoza narrabat.

10. *Fingat ſubſidia ſibi inopinato aduenisſe*. Non enim veris tantùm, ſed fictis etiam rebus confirmandi ſunt ſubinde nutantes ob res aduerſas milites & ciues. ChodKieuicius prælio cum Suecis ad Kirchouiam commiſſo, lixas & calones ab vna parte, quaſi noua ſubſidia à Duce Radiuillo, monſtrauit in terrorem hoſtium: ſeptingentos verò equites Germanos opportunè tunc à Duce Curlandiæ venientes in ſuccurſum, maiorem longè in numerum auxit, & ſuis militibus impoſuit, vt rem in rei

veri-

veritate nouam, ita & in multitudine copiarum longè maiorem.

11. *Inſidias ſæpius faciat.* Ita Fabius Conſul, cum cõtra Cimbros militaret, diebus aliquot continuis eorum caſtra ab equite ſuo oppugnari voluit, quòd eos è caſtris erumpere, atque equites ſuos inconſultius perſequi animaduertiſſet. Inſidijs igitur poſt eorum caſtra tandem collocatis, hoſteq; iterũ oppugnatione prouocato, Cimbriſq; pro more caſtra negligentibus, ea ſubito occupauit, ac præda ingenti potitus eſt. Non infeliciter quibuſdam Ducibus, qui caſtra ſua, vicina hoſtium caſtris haberent, ceſſit militem ſuum ſub ſignis hoſtium in propriam ditionem ablegaſſe, eamq; prædę expoſuiſſe, atque igni vaſtaſſe. Hoſtes ſiquidem perſuaſi auxilia ipſis in propinquo eſſe; prædę cupiditate præterea illecti, ordines ſuos neglexerunt, atque his ſe imprudenter miſcentes, ad victoriam inimico occaſionem præbuerunt. Hanc viam Alexander Epirota contra Illijrios, Leptes; etiam Syracuſani contra Carthagineuſes vſi ſunt: quę quidem vtrique feliciter ceſſit. Alij hoſtem vicerunt, quòd caſtra vino, omniq; ciborum genere abundè referta, tanquam metu compulſi deſererent, eoq; hoſti ad ingurgitandum ſeſe occaſionem præberent, quem era-

pula onuſtum adgreſſi oppreſſerunt. Idq; Tomiris contra Cyrum, atq; Tyberius Gracchus, contra Hiſpanos: tum Carolus ChodKieuicius, contra Suecos conati ſunt. Alij veneno annonam, & aquas infecerunt, quo facilius vincerẽt. Sed hoc mihi non probatur; nec puto Chriſtianum eſſe.

12. *Semper partem aliquam copiarum hoſtium tergo circummittat, aut conſerto iam prælio à latere turbet, ſeu terrorem incutiat.* Ita Liſſouiani Coſachi, à Sigiſmũdo III. Imperatori Ferdinando II. ſuppetiatum miſſi, lixas & calones ſuos ad Vſtopeciam cum Morauis decertaturi, à tergo immiſerunt, & re inopinata turbatis tantùm terrorem intulerunt, vt iam pene victores fugere debuerint. Tantum perſæpè vtilitatis adfert, ſuos & hoſtes iuxta decipere: (nam Iuanicius Liſſouianorum Tribunus, finxerat tũc Calinouium nouis cũ cohortibus Coſachorum è Polonia per aliam viam aduenisse: quo & ſuorum animos auxerat, & hoſtium acies vnico prolato verbo turbauerat) illos quidem fauſto, iſtos verò luctuoſo mendacio.

13. *Si in dextro ſuorum cornu Imperator eſt, exclamet. Milites qui in læuo ſunt, dextrum hoſtium cornu viciſſe: ſi in ſiniſtro ſit, dicat ſuperiores eſſe in dextro: ſiue id ita verè fiat, ſiue ſecus.* Neceſſarium enim,

enim, inquit Onoſander, mendacium dici oportet, vbi certamen exſtitit ingens. Quia in bellicis rebus, vt ait Liuius, parua ſæpè momenta, in ſpem, metumue, militum impellunt animos.

14. Si longiuſculè diſſitus ſit hoſtiũ Dux, aut Rex, proclamet, Ducem hoſtium occiſum eſſe idq; ita contenta voce, vt hoſtes quoq; exaudire poſſint. Commilitones enim qui ſuos virtute præſtantiores hoſtibus eſſe audiunt, duplo fortioribus ac promptioribus animis roborantur. Contra, hoſtium vires, ſtrage ſui Ducis percepta, metu debilitati concidunt. Quin & aliquando ad huiuſmodi rumorem, illico in fugã ſeſe dant. Ita accidit, dũ Valerius Leuinus aduerſus Pyrrhum Regem bellũ gereret. Occiſo ſiquidem quodam gregali, tenenſq; gladiũ cruentũ, exercitui vtriq; perſuaſit, Pyrrhũ interemptum. Quamobrem hoſtes, deſtitutos ſe Ducis morte credentes, conſternati à mendacio, ſe pauidi in caſtra receperũt aciem deſerentes.

15 *Dexteritate ingenij ſui aliquid ſingulare ad perfringendam hoſtium aciem excogitet.* Quemadmodum Hiſpani contra Hamilcarem boues vehiculis adiunctos, in prima fronte conſtituerunt, vehiculaque tædæ, & Seui, & ſulphuris plena, ſigno pugnæ dato, incenderunt:

actis

actis deinde in hoſtem bobus, conſternatam aciem perruperunt. Veneti ad Foſſam Clodiam cum claſſe Genuenſiū congreſſi, ollas cinere plenas in hoſtium naues coniecerunt, & ſic viſu eorum impedito, lanceis eos interim atque gladijs confoderunt. Mitridates ſcorpiones ac ſerpentes in claſſem Romanorum manus conſerturus proiecit. Hiſpani Peruanos aggreſſuri canes moloſſos ſecum in aciem duxerunt, qui hoſtē pugnantem ſuis laniatibus turbarunt. Alij aluearia apum machinis in aciem hoſtium proiecerunt. Suecus globos ignitos, ſed minutioribus globis plumbeis infarctos in ChodKieuicium proiecit. Viſniouecius in oppugnantes Tartaròs picem, reſinam, milliumque bulliens ex arce proiecit. Et diuerſi diuerſa impedimenta hoſti tam congredienti, quàm oppugnanti obiecerunt, quarum rerum in Hiſtorijs infinita habentur exempla. Sed nos ad ea iam procedamus, quæ obtenta victoria fieri debent.

CAPVT IV.

De ijs, quæ facienda ſunt poſt pugnam.

QVia poſt pugnam, aut victoria eſt, aut Clades: idcirco in illa cautè

procedas, ne aliquod vulnus per nimiã fiduciam accipias: cõmuniſſimè enim res ſecundæ negligentiam creant, quæ deinde modico damno corrumpuntur, & famam partę victoriæ lacerant. In clade autẽ prudẽter te ac fortiter geras quia Mars communis eſt, & victum ſæpè erigit, & adfligit victorem. Igitur meliora ſpera, & robur animi indue. Infirmi enim ingenij eſt, lapſu aliquo ſummæ rei diffidere, cum exiguis momentis ſubitò inclinentur omnia, quæ in bello geruntur.

1. *Dux igitur ſi res proſperè ceſſerint, reliquias belli confirmet; ſi durius, de aduerſis emendandis cogitet.* Sic Claudius Nero, victis Pœnis, quos Aſdrubale Duce in Italiam ex Hiſpania traijcientes exceperat, caput Aſdrubalis in caſtra Annibalis eiecit: quo factum eſt, vt & Annibal luctu (nam frater occiſus erat) & exercitus deſperatione aduentantis præſidij affligeretur. Bernardus verò Vaimarienſis, victis prælio Lutzenſi Cæſarianis, etſi Guſtauus ipſe omnis tumultus Germanici author perijſſet, reliquias tamen eorum, qui ſeſe cum Picolomineo oppoſuerant, aſſiduè oppugnando, irrequietos acie cedere fecit, cum de auxilijs omnino deſperaſſent, & ſpolia ipſe tulit, machinis Cæſareis captis, & cadauere Guſtaui inter gregariorum

tumu

tumulos reperto victor ex acie diſceſſit. E contra Titus Didius in Hiſpania, cum acerrimo prælio conflixiſſet, quod non dirimerat, magno numero vtrinque cæſo, complura ſuorum corpora, atra nocte ſepelienda curauit. Hiſpani poſtero die ad ſimile officium progreſſi, quia plures ex ipſorum numero, quàm ex Romanis Cæſorum repererāt, victos ſe eſſe ſecundum eam dinumerationem argumentati, ad conditiones imperatoris deſcenderunt.

2. *Dubiorum animos in fide retineat.* P. Valerius Epidauri, timens oppidanorũ perfidiam, quia parum præſidij habebat, gymnicos ludos procul ab vrbe apparauit. Quò cũ omnis ferè multitudo ſpectandi cauſa exiſſet, clauſit portas, nec in eas antea admiſit Epidaurios quàm obſides à principibus acciperet. Guſtauus in Pruſſiam ab Elbingenſibus euocatus, non prius eos in tutelam ſuam recepit, donec valido præſidio vrbem munijſſet, obſideſq; ab ijs acceptos in Sueciam miſiſſet.

3. *Prædam inter milites ex congruo & condigno diuidat.* Vnde M. Salinator Cõſularis, damnatus eſt, à populo, quòd prædam non æqualiter militibus diuiſiſſet. Quod Coſachorum Zaporoſenſium Duces præ oculis habentes, dum à mari Euxino cum præda reuertuntur, æqua-

æqualibus inter ſe portionibus diuidũt, & vt iurgia euitare poſſint, & alios in ſimilem expeditionem eò faciliùs allicerent.

4. *Victos leniter tractet, nec ſpem omnem abſcindat hoſt.* Nam vbi extrema omnia in oculis, deſperatione in audaciam accinguntur: & vt Portius Latro in declematione ſua dicit. *Grauiſſimi ſunt morſus irritatæ neceſſitatis.* Ergo hoc victor caue, & ad ſpem ſemper victis aliquid relinque. Iſta, terre, ſed vbi ſatis terrueris, parcendo rurſus irritamenta pacis oſtenta. Hos mollit & frangit aſpectus pignorum, & aſpectus opum: quas ipſas ne planè perde. Archidamus prudenter apud Tucydidem. *Nec enim aliud terram hoſtium cenſete; quàm velut obſidem; idq; eò magis, quò illa cultior. Huic parcendum vt plurimum eſt: nec hoſtes in amentiam & deſperationem redacti, difficiliores expugnatu reddendi.* Sic Macedoniæ Reges acie bellare ſolitos legimus, vt vrbibus parcerent, quantum poſſent, quo opulentius imperium haberent. De Indis Diodorus Siculus. *Hoſtes in prælijs mutua cæde graſſantur, agricolis nulla in re nocent, ſed intactos relinquunt, tanquam communis vtilitatis miniſtros. Neque verò hoſtium agros vrunt, neque cædunt arbores, &c.*

5. *Populares ſpecie libertatis alliciat.* Quid enim

enim aliud exitio (dicebat Claudius Imperator) Lacedæmonijs, & Athenięſibus fuit, quanquam armis pollerent, niſi quòd victos pro alienigenis arcebant? At conditor noſter Romulus, tantum ſapientia valuit, vt pleroſque populos eodem die hoſtes, dein ciues haberet. Nouorum etenim ciuium cooparatio, aut coloniarum deductio, teſte Salluſtio, magnum eſt ſtabiliendi Imperij adiumentum: Sic etiam creuit Polonia noſtra, cum Cazimirus Ruſſiã, & Podoliam; Vladiſlaus Iagello, Lituaniam & Samogitiam: Cazimirus Iagellonides Pruſſiam & Pomeraniam: Sigiſmundus I. quadringentis ferè annis rebellem Maſouiam; Sigiſmundus Auguſtus eius F. Liuoniam & Curlandiã: Sigiſmundus III. Seueriam. Vladiſlaus IV. Czerniechouiam Regno adnectentes, eodem cum Pololonis iure omnes viuere voluerunt. Quod ſi idem Veneti ſubiectis ſibi prouincijs permittere voluiſſent, iam pridem totius Italiæ domini vicinarumq; Inſularum, fuiſſent. Annibal poſt prælium quo ingentẽ cladem ad Traſimenum Romani acceperunt, cum ſex millia hoſtium interpoſita pactione, in poteſtatem ſuam redegiſſet, ſocios Latini nominis, benignè in ciuitates ſuas dimiſit, dictitans ſe Italiæ liberandæ cauſa bellum gerere,

eorumq;

eorumq; opera aliquot populos in deditionem accepit. Planè eodem modò Guſtauus, Germaniam dementauerat, Lipſienſi victoria obtenta, quoſcunque enim in ſuam poteſtatem redegerat, liberos ſtatim dimittebat in ſua, dictitans ſe liberandæ Germaniæ cauſa à iugo Auſtriacorum è Suecia veniſſe. Atque ita liberis Imperij ciuitatibus, quæ ferè inexpugnabiles eſſe videbatur, facilè perſuaſit, vt ſua præſidia vbique reciperet. Aſdrubal Carthaginenſis quoque miræ artis in ſollicitandis gentibus fuit, imperioq; iungendis ſuo, Plura conſilio, quàm vi gerens, (vti Cyneas Pyrrhi & Oxeiſternius Guſtaui) auſpicijs Regulorum, & magis conciliandis per amicitiam principum nouis gentibus, quà bello, aut armis, rem Carthaginenſem auxit. Similis illi fuerat & Annibal, qui etiam Pyrrhum Regem ea ex cauſa laudabat, inquiens. *Artem quoq; conciliandi ſibi homines eam habuiſſe, vt Italiæ gentes Regis externi, quàm Populi Romani, tam diu principis in ea terra, imperium mallent*. Non abſimilis illi hac in parte, & Auguſtus Imperator, Tiberiuſq; Cæſar fuit, tum etiam Ludouicus XI. Rex Franciæ.

6. *Potentiores prouinciæ illius in qua bellum gerit, in partes ſuas trahat*. Ita P. Scipio, Maſiniſſam & Sifacem in Aphrica traxe-

traxerat in partes Romanorum, eorūq; ſumptibus, ingentem exercitum terra mariq; conſcripſerat. Recentiore verò memoria Ferdinandus Conſaluus, ad obſequia Regis Catholici traxerat Columnenſes in Italia, & Vrſinos antè inimiciſſimos ſibi, quorum auxilio Gallos Italia eiecit, quietumq; reddidit Regi ſuo Regnum Neapolitanuū. Nūc verò Imperatorem Ferd. II. Guſtauus Rex Sueciæ in ſua Germania aggreſſurus, primùm ſibi amicos reddidit Saxonem & Brandeburgenſem Principes Electores, poſtea verò reliquos minutiores Dynaſtas, Pomeranum, Haſſium Brunſuicenſem, Luneburgenſem, Vaimarienſem Virterbergenſem, quorum opibus & opera Cæſarem impugnauit, & tādem reliquos omnes in partes ſuas traxit.

7. *Omnibus ſeſe facilem & affabelem exhibeat, tenuioribus præſertim; quibus & beneficentiam omnem demonſtret. De ſemetipſo verò nihil omnino arroganter loquatur.* Atque ita ferè de Iugurtha Rege Numidarum Salluſtius ſcribit, quòd plurimum facere, & minimum ipſe de ſe loqui ſoleret; omnibuſq; humanus, & comis appareret. Simile quidpiam de Timoleone dicit Probus. *Nihil vnquam inſolens, & glorioſum ex ore eius exijt.* Sicut & de Veſpeſiano ad Imperium aſſum-

aſſumpto. *In ipſo nihil timidum, arrogans, aut rebus nouis nouum fuit.* Ita enim cũ debellatis humanitatem & beneuolentiam omnem monſtrabis, fideliores eos habebis, quàm ſi tumore & timore in obſequium coactos. Deuictæ enim gentes cum ægrè pareant. proniores ad rebellionem ſunt, periculoſiuſq; iugum excutiunt, dolore & pertinacia armatæ, ſi Præfectorum auaritia ſpolientur, aut militis continua inſolentia exagitentur. Exemplo Veſperæ Siculæ ſunt. Et Bato certè Dyſidiates Dalmata, ad colloquiũ de pace cum Tiberio congreſſus, rogatus, quam ob cauſam à Romanis defeciſſet? Vos reſpondit in culpa eſtis, qui gregum veſtrorum cuſtodiam, non canibus aut paſtoribus committitis, ſed lupis. Vnde baſilicæ herbæ generoſi ſubditi aptiſſimè comparari poſſunt, quę leuiter tacta ſuauem odorem effundit, contrita verò, procreat ſcorpiones.

8. *Poſt obtentam victoriam, militibus in vniuerſum gratitudinem aliquam oſtendat.* Ita Zamoſcius re benè in Liuonia confecta, vniuerſo exercitui trimeſtre ſtipendium donauit, quod hodiedum etiam in conſuetudinem tranſcriptum durat, poſtq; ſingulas notabiles victorias Reſpub. vniuerſo exercitui ſimile donatiuum præbet. Sed & in Senenſium

anna

annalibus ſimile gratitudinis exemplũ legimus, qui in bello quod contrb Florentinos geſſerunt, Germanis à Manfredo Siciliæ Rege auxilio miſſis, donatiuũ præbuerunt quingentas libras, præter ſumptus in curam vulneratorum ex publico pręſtitos. Ijdem in pugna ad Arabiam læſos vulneratoſq; publico ære ſanari iuſſerunt: & cæſis præter illorum temporum conſuetudinem, in templis ſepulturam permiſerunt.

9. *Si qui ex militibus ſuis fugiſſent ex acie, ſeuerè eos puniat.* Veriſſimum enim Thucydidis effatum eſt, vbi pugnare & fugere peræque honeſtum eſt & ſine pudore flagitij, ſine cura Ducum abire, ſugere licet, non eſſe fortitudini locum. Hinc Matthias Rex Hungariæ quingẽtos milites ſuos ex acie profugos, muliebri veſtitu ornatos ad opprobrium circumduxit per caſtra. Valſteinius ſuſpendio puniuit. Suarcembergius gladio percuſſit. Selymus Turca, igni viuos cremauit. Zazigereius Scytha aquis ſubmerſit. Aliq; diuerſi, diuerſis pœnis affecerunt: nullus inultos eſſe ſiuit.

10. *De deuictis ne triumphet, ne fortè in vltionem concitentur.* Plus enim doloris victo afferunt, trophæa & exultatio hoſtium, ac triumphalis pompa, quã ipſa victoria. Hinc toties Romanis triumphatæ

phatæ gentes rebellarunt Thraces, Iberi, Macedones, Battaui, Germani, Parthi; aliæq; gentes, alijs. Antigonius verò è contra, Macedoniæ Rex, cæſis occiſione Spartanis, fortunam tantæ vrbis miſeratus, à direptione milites prohibuit, veniamq; his qui ſuperfuerant dedit, præfatus, bellum ſe cum Cleomene, Rege illorum, non cum Spartanis habuiſſe, cuius fuga, omnis ira eius finita ſit: nec minori ſibi gloriæ fore, ſi ab eo ſeruata Lacedæmonia ſit, quàm ſi capta proderetur. Parcere igitur ſe ſolo vrbis, ac tectis, quoniam homines, quibus parceret, non ſuperfuiſſent.

11. *Ipſe ob res præclarè geſtas non ſuperbiat.* Præclara hac in parte, Viriati Hiſpanorum contra Romanos Ducis moderatio fuit, qui cum frequenter conſulares exercitus vicerit, tantis rebus geſtis, non armorum, non veſtis cultum, non denique victum mutauerit; ſed in eo habitu, quo primùm bellare cœpit, perſeuerauit, vt quiuis gregarius miles ipſo Imperatore etiam opulentior videretur.

12. *Diligenter inquirat, quod contra ſe deuicti populi muſsitant.* Sic Venetis Maximilianum I. Veronę obſidere conantibus, Hiſpani qui in caſtris illius erant, cognoſcere ciuium animos erga Venetos venientes cupiens, nocte intēpeſta

per

per vrbem cum magno armorum ſonitu incitati cucurrerunt, nomenq; Martium, quod eſt inſigne Reipub Venetæ, ſæpè in curſu conclamauerunt: quo exaudito, à plerisq; illos eſſe Venetos credentibus, qui ſe in vrbem intuliſſent, eadem nominis acclamatione eſt reſponſum datum, ſalutatioq; veluti mutua facta. Illi eas domos vnde voces veniebant, atramento ſignauerunt, poſteroq; die repetitis notis omnes ad vnam diripuerunt. Vnde & reliquis Reipub. amicis timor iniectus, & ipſis ad ſuſtendum, ſtipendio non perſoluto, præda inter amicos obuenit.

13. Quos retinere non poterit, beneficio obſtringet, & libertate donabit. Ita Alexander Magnus Indos in ſua poteſtate retinere nequiens Portum Regem, non earum dumtaxat prouinciarum, quibus prius imperarat, ſed & aliarum multarum Satrapam appellauit Romani quoque Macedoniam prouinciam eſſe iuſſerunt, Regemq; ſibi eligi permiſerunt, quia videbant vires ſuas nondum eas eſſe, vt vi tot populos retinere in officio poſſent, beneficio ergo conati ſunt. Et Ludouicus XII. Galliæ Rex, melius conſuluiſſet ſibi, ſi ſuam potius cupiditatem, ducentis, quæ à Genuenſibus offerebantur, aureorum millibus, qvàm vrbem arce frænare maluiſſet, ná

illi

illi Doriæ opera libertatem recuperarunt, & ſub Hiſpani protectionem cófugerunt, cũ ditione ſua vniuerſa. Præſtat igitur ciuitatem aut populum, qui parere non vult, & cogi non poteſt, libertate donare; vt cui parere nõ voluit, vt Princi,pareat,vt Patrono.

14. *Clade autem affectus Imperator, nouos delectus, noua auxilia quærat.* Exemplis enim didicimus, Fortes & ſtrenuos contra fortunam inſiſtere ſpei, vt faciebat Mitridates toties à Romanis profligatus. Et Alphonſus I. Rex Neapolitanus à Genuenſibus cæſus: Timidos autem & ignauos ad deſperationem formidine properare, qualiter fecit Alphóſus II. Rex Neapolis, qui à Gallis cæſus Regnum ſtatim reliquit, ipſeq; in Siciliam abiuit. Similiter & Sigiſmundus Batoreus Tranſyluaniç Princeps, qui toties à Michaele Moldauiæ Palatino, atq; Moyſe Siculo acie pulſus, ad extremum Principatum deſeruit, primumq; in Poloniam apud Magnum Zamoſcium delituit, poſtea ad Rudolphum Imperatorem conceſſit, & vitam ferè voluntario exilio miſerrimè finiuit.

15. *Opida & caſtella aduerſus moras obſidionis annuis copijs firmet.* Vt hoſtis tẽpus conſumat, priuſquam tu vires repares. Nam fortuna vitrea eſt, tunc cũ ſplendet, frangitur: poterit etenim

ille aſſaltibus & oppugnationibus locorum ſibi neceſſariorum, copias ſuas deperdere; tu verò nouis conſcriptis militibus poteris eum à tergo inuadere, aut commeatu prohibere, aut ad deditionē cogere, vel ſaltim conditiones pacis. Habet enim has vices conditio mortalium, vt aduerſa ex ſecūdis, ſecunda ex aduerſis naſcantur. Cuius rei exemplo ſunt bella præſentia Germanica Belgica, Gallica, Italicaque inter domum Auſtriacam, & ſuos æmulos, quæ pridem iam finita fuiſſent, niſi expugnationibus munitiſſimorum locorum prolongarentur. Proinde quomodo ea ſubruēda aut defendenda ſint, libro ſequenti conſiderabimus.

SIMO-

SIMONIS STAROVOLSCII

INSTITVTORVM

Rei Militaris.

LIBER SEXTVS

De Oppugnatione, & Defenſione Vrbium.

CAPVT PRIMVM,

De Exſtruendis munitionibus.

POtentiſſimæ nationes, ac Principes bellicoſi, nullam maiorem gloriam putauerunt, quã aut fundare nouas ciuitates, vel ab alijs cõditas in nomen suũ, ſub quadam amplificatione transferre, & ad conſeruandum in perpetuitates, mœnibus, turribus, foſſis, aggere ac propugnaculis munire. Ita Alexander Magnus Alexandriam, Conſtantinus, Conſtantinopolim, Cracus, Cracouiam, Viſſimirus Viſmariam; cæteriq; Principes, alias præſtantiores vrbes condiderunt.

Iam autem ſciendum eſt, vrbes,& caſtella, aut natura, aut arte muniri, aut vtroque ſimul, quod firmius dicitur. *Natura munitæ dicuntur*, quæ loco edito, vel abrupto, aut circumfuſo mari, ſiue paludibus, vel fluminibus cinguntur: ſicuti Mantuam, Ferrariam, Mirandulam in Italia: Viſliciam, Caunam, Pinſcum, Breſte Lituanicum, in Polonia ſitas eſſe cernimus: vel quæ rupibus in ædificatæ ſunt, vt Græcium in Styria, Herbipolis in Franconia, Camenecum in Podolia Trembouliaq; & alia infinita loca, non in Europa tantùm, ſed in omnibus dũtaxat partibus Orbis. Manu verò ſeu arte munita dicuntur, quæ aut foſſis, ſtipitibus, muris; aut ſtagnis, fluminibusq; à longè deductis circumdatæ ſunt ſufficienter ad propugnãdum hoſtem. Quæ verò loca & manu & natura ſimul munita ſunt, illa inexpugnabilia cenſentur eſſe, eò quòd difficilẽ ad ſe acceſsũ præbeant, nec vinci aliter poſſunt, niſi fame ac diuturna obſidione. Cõmuniſſimè autem videmus, antiquiſſimas ciuitates, ita in campis patentibus conſtitutas eſſe, vt deficiente auxilio locorum, arte tantùm & opere redderentur inuictæ, vt eſt Hamburgum, Norimberga, Frãcofurtum ad Mœnum, Auguſta Vindelicorũ aliæq; infinitæ, diuerſis in Regionibus vrbes, & arces. Nam quemadmodum

modum homines natura, aliquos ſerui-tuti, libertati alios, nonnullos imperio deſtinaſſe videtur: ita & regiones, ciuitateſq; alias mercaturæ exercendæ, alias bellis gerendis aptas fecit: quarum aliquæ in id tantùm incumbunt, vt ſe tueantur, aliquæ verò etiam alijs imperare, aut pati imperium ſtudent. Proinde genium loci accuratè primò noſſe, quàm munitionem excitare, & per eã quaſi compedes terrigenis inijcere, magni eſt momenti: quia exempla, etiam huius ætatis nos docent, regiones multas tempore belli munitionibus fuiſſe retentas; pacis verò tempore eas ferre non potuiſſe, & vt demolirentur quantocius ciuilia bella excitaſſe.

In excitandis itaquè munitionibus, præter oportunitatem loci de qua iam diximus, ſitus ipſe, atque figura conſideranda eſt, ne videlicet ſumptus in vanum expendamus, & poſtea tempore belli cum maximo noſtro damno furori ſuccũbamus. Et quantum ad ſitũ primò, obſeruandum eſt diligenter, vt munitiones a nobis excitatæ, principaliter prouinciam totam defendant; poſteà tranſitum fluuij, anguſtiarumue in aliquem diſtrictum noſtrum prohibeãt denique vrbem cui imminét, in officio contineant; aut ab aduerſario occupare eam volente, ſecuram faciant. Proinde

cum Albanus arcem Antuerpienſem, Paciotti machinatoris ingenio extruxiſſet, non omnibus probatur ſitus ipſius quod videlicet ſit poſita ad Scladis ripã quæ Brabantiam reſpicit & accedentes ab Hollandia hoſtes, vrbemq; inuadentes minimè arcere poſſit. Arcuiſſet autem, ſi illam in oppoſita vrbis parte, verſus oſtium Scladis, contra Hollandiã ſtatuiſſet: quo in loco neceſſario nunc noua munitio ob vrbis ſecuritatem extrui debuit, & veteri cognomine Dama vocatur. Excuſant id tamen aliqui, affirmantes in exſtruenda mole habitam tunc Albano rationem, qua ſibi potius ab vrbe, quã vrbi ab hoſte præcaueret. Adduntq; præterea, ſapienter eo fabricatam loco, quo in arcem inferre ſubſidium ex ſubiectis circa prouincijs prõptum eſſe Hiſpano. Quæ ſanè cura fundatoribus arcium prima cenſetur. Huiuſmodi autem opportunitate caruiſſent, ſi Hollandiam verſus munitioné excitaſſent. Interim obſeruari quoque oportet, ne ad excitanda munimenta, terra adhibeatur friabilis; illa enim ad primos tormẽtorum ictus diſſilit quod male ceſſit Caleto in Hiſpani poteſtaté redacto, cum propugnacula continuato ad meridiem tormentorum impetu corruiſſent.

Requiritur etiam ab ijs, qui vrbes arceſue

ceſue muniendas ſuſcipiunt, ne vicinus ager, vel arboribus, vel ædificijs conſeratur; ſed quarta milliaris pars circumcirca omni aggere, arbore, ædificioque vacet: ne proſpectus nimirū impediatur, aut hoſti quidqnam ſuppeditetur, quod in commodum ſuum transferre queat. Et ſic omnes ferè munitas vrbes, tàm in Italia, quàm in Belgio, abſque ſuburbijs eſſe videmus. Quod etiā aliæ nationes nunc æmulantur, & obſeruant maximè bello præſenti Germanico edoctæ.

Quantum ad figuram, ſemper, conſiderandum eſt, vt munitio non ſit circularis, quali vtebantur communiſſimè veteres; ſed angularis, quæ retardet inimicum aſſalientem, & àlongè repellat; quæ inuicem ſeſe ab vno cornu ad aliud defendat, & damnum inferat inimico; quæ ad excurrendum & retrocedendum ſit quam aptiſſima, & forū habeat commodiſſimumum ab omnibus lateribus tectum, ita, vt ab aduerſario lædi & videri non poſſis, ſed ipſum ab omnibus partibus videas, & ferias, nec permittas vllatenus ad foſſam accedere. Vnde pentagonus videtur ea in re eſſe perfectiſſimus, ſi modò angulos habeat obtuſos & benè fortificatos, vias coopertas ſeu tectas, & portas ad excurrendum aptas, ob iquè fabricatas; foſſas

profundas, & largas; propognacula in iuſta diſpoſitione erecta; & vallum ipſum ſecundum proportionem Geometricam altum & craſſum. Etſi fieri poterit duplicatum, & aquis cinctum.

Muri igitur, vti diximus, non recta linea, aut circulari ſed per ambeges & anfractus ducuntur, præſertim cum vrbs vetus, & irregulariter ſita, vult de nouo munitionibus cingi; ſiue illa in monte, ſiue in plano poſita fuerit. Siquidem ex hac ratione hoſtis difficilimo opere eã adgreditur, quòd non tantùm à fronte, ſed potiſſimum à latere peti poſſit. Et quia copioſo milite, facilè ab hoſtibus foſſæ pro muro factæ explentur; proinde commodiſſimũ fuerit intra muros alteram foſſam dare ſiquidem tàm tormentis, quàm ſcalis obſiſtit: tum hoſti impedimento eſt, ne foſſas explere poſſit; modo promineant ad imum foſſæ propugnacula, ex quibus tormẽta emitti poſſint in eos qui foſſam occupare intenderent. Foſſas autem putarem fieri ſiccas, quia maiore opere implentur: aquis verò repletæ hyberno tempore, in partibus Borealibus, per glaciem cõcretam acceſſum hoſti faciunt: vt accidit in Auſtrali etiam plaga, Mirandulæ à Papa Iulio expugnata. Ac propterea foſſę ante vrbes & propugnacula, altiſimæ latiſſimæq; faciendæ ſunt, vt nec facilè poſ-
ſint

ſint coæquari, repleriq; ab obſidẽtibus: & cum aquis cæperint inundari, ab aduerſario cuniculum continuari minimè patiantur.

Multum etiam prodeſt in fabricandis munitionibus portas benè munire, atq; vallum ad eas ita obliquare, ne exeuntibus via recta pateat: tum etiam intra vallum iſtud portamq; foſſam ac pôtem intereſſe, ſed qui in medio foſſæ paraſtidis innixus pendeat. Addantur & penſiles cataractæ, quæ demiſſę hoſtem inſiſtentem excludant, tuos verò fugientes recipiant. Quemadmodum accidit in Moſcouia, cum Melecius SoKolam expugnaret, vbi intercluſus Germanus miles cataractis in porta, vix non erat ad internecionem deletus, ni properè cum ſecuribus Poloni accuriſſent, & effractis cataractis eos fortiter iuuiſſent.

Caueatur prçterea, ne portę ſubiectis ignibus eijciantur pyrio puluere, vt fecit Suarcembergius in capienda Raba in Hungaria; & ChodRieuicius in recuperanda Pernauia in Liuonia. Proinde prudenter inuenit antiquitas, vt ante portam datur propugnaculum, arcens acceſſum ad pontem & ianuam portę: nam cataractę facilè nunc excogitatis inſtrumentis effranguntur, & aduerſario occupandi pontem occaſionem

præbent: præſertim vbi præſidium non eſt ſufficiens, aut excubiæ ſunt negligentes.

CAPVT II.

De Præſidijs collocandis.

Quia non maior eſt virtus, quàm quærere, parta tueri, vt inquit Poeta: proinde Imperator, firmatis locis neceſſarijs, & propria tuebitur; & ſubactas prouincias præſidijs collocatis firmiter tenebit, memor illius doctrinæ Flori. *Plus eſt prouinciam tenere, quam facere.* Multi enim regiones vi aut deditione ſubactas, turpiter iterũ perdidere, cum victoria vti neſcirent, aut gentes deuictas in officio continere non poſſent, Sic præſenti iã ſeculo Moſcouiam quàm poſſidebamus, Valachiã, Moldauiam, Linoniam Regnumq; Sueciæ amiſimus: ſuperioribus verò, Regnum Bohemiæ, Hungariæ, Tranſyluaniæ Principatum, Siculos, Morauos, Sileſitas, Luſatios, Pomeranos, Marchiã Brandeburgenſem, & Ducatum Pruſſię, quæ maiores noſtri vt multo ſanguine ſuo comparauerant, ita ſupina negligẽtia perdiderunt, vt ne veſtigia quidem Polonici dominatus in illis locis inuenias. Sed iſta eſt conditio mortalitatis.

Lon-

Longeq; maiora Grȩcorum, Romano-Carthaginenſium, cæterorumque florentiſſimorum populorum Imperia penitus ſublata ſunt. Et Chinenſes, qui ſe omnibus in mundo prudentiores eſſe demonſtrant, vix propria iam amiſſis tot adiacentibus ſibi regnis, multo cum ſudore tuentur. Inter cognitas verò nobis Monarchias, Romani qui pleraque bella non fortiter tantùm ſed & prudēter geſſerunt, cum in maximo ſemper negotio haberent efficere, ne ſuperati populi iugum excuterent, ferociam eorum voluptatibus hyſtrionibus, ludis, ſpectaculis, comœdijs, & vitiorum delinimentis fregerũt. Opes, ne quid moliri poſſent, tributis exhauſerunt. Potētiam, colonijs deductis oppreſſerunt. Virtutem, præſidijs vbique in vrbibus collocatis, perfregerunt. Fidem denique, imperatis obſidibus arctiſſimè obligarunt. Et ſi nis domari non poterant, ipſos habitatores, de vno loco in alium cum vxoribus, & liberis transferebant: iuuentutem verò eorum ad militiam aſſumebant.

Fuerunt autem Coloniæ à Romanis locatæ, numero quadraginta quatuor diuerſis in prouincijs. Prouinciasquoque quibus imperabant habuerũt ſimiliter quadraginta quatuor (ſed non in ſingulis coloniæ fuerunt) quæ contine-

bant in ſe prȩſidiarios milites, vltra ducenta millia peditum; prȩter equites & claſſes; quarum vna ſtabat Rauennȩ, altera in portu Miſeno. Cȩterum cum ne ſic quidem rebellionem inter ſubditos comprimere potuiſſent, cȩperunt, quod nunc Turcȩ etiam faciunt populos de vno loco in alium transferre. Nouiſſimèq; Aurelianus Imp. domare nequiens Dacos, vbi nunc Valachia Moldauia, & Siculi montani ſunt, tranſtulit ipſos in Dalmatiam, & Croatiam, ibi verò Coloniam Romanorum poſuit, & Siculorum. Vnde hodie dum lingua Latina, etſi valdè corrupta, omnes vtũtur. Similiter Carolus Magnus cõtinuis rebellionibus Saxonum permotus, decem millia familiarum ex eis tranſtulit in inferiorem Germaniam, quȩ tunc Gallia Belgica vocabatur. Quamobrẽ tàm Belgiȩ, quàm Bataui nunc lingua Germanica vtuntur cõmuniſſimè, quãuis corruptiore illa qua Superiores Germani vtuntur.

Exemplo igitur veterum Romanorum omnes ferè Principes nunc prȩſidijs ſua imperia firmant, prȩſertim remotiora. Et Veneti ſanè tredecim ferè millia in prȩſidijs aſſiduè habent quibus ſtatum ſuum tàm in Inſulis, quàm in continenti, conſeruant. Dominus Auſtriaca, in confinijs Turcarum circiter decem homi-

hominum millia habet in pręſidijs, reſpectu hęreditariarum tantùm modò prouinciarum excepto Regno Hungarię. Turca verò ipſe vltra centum viginti millia equitũ habet, partim in Aſia partim in Europa, ſub ducentis pręfectis (Sandiacos vocant) varijs in locis diſpoſitos, qui attēdũt, ne aliquis motus in prouincialibus fiat ad rebellиſandũ; & ſi quid oritur, ſtatim opprimũt. Quod ipſum facit & Rex Hiſpaniarũ, qui per omnia ſua regna & dominia, pręſidia diſpoſita habet ne ſubditi Regem à ſe remotum habentes ſubleuationē faciāt in ſuos Pręfectos; quemadmodum aliquoties fecerunt Neapolitani, qui vna vice cum pręſidio Hiſpanico, per quindecim dies pugnarunt, & tamen eijcere illos haud potuerunt.

Reliqui Principes, qui pręſidijs confinia ſua munire, aut neſciunt, aut non poſſunt ob imperij latitudinem, ſolent vaſtitatem & deſerta inter terminos vicinorum ſuorum facere; ne hoſtis facilè ad ipſum accedat. Sic Tammas Rex Perſarũ à confinijs Turcę, quinque dierũ itineris loca omnia deſerta fecerat. Sic Mauritania à Ghinea, Numidia à Nubia, & Nubia ipſa ab Aegijpto deſertis diuiditur: Circaſſijq; è Scythis, Trapezuntini, à Medis & Armen s, Magnuſq; Dux Moſc. à Tartaris, & Pol. p magnos

tractus

tractus terræ ſyluas creſcere permittūt, imò ſeminant eas, & reflexos ramos iterum terræ inſerunt, quo difficilius penetrari poſſint. Chinenſis murum centū viginti milliariū à Magno Chano Tartarorum ſuas ditiones diſcrimiminantem, cum turribus & propugnaculis extruxit; quem centum etiam & viginti millia præſidiariorum cuſtodiunt. Prout olim quoq; Angli à Scotis iuſſu Romanorum, muro ſeſe per totam Inſulam diuiſerant: & ſimiliter Conſtantinopolitani Cæſares à Bulgaris, per multa milliaria muro extenſo, perpetuiſque præſidijs collocatis, fines ſuos tuebantur.

Quia igitur ſæpe ſępius inquieta ingenia locorum opportunitas ad res nouas inuitat, ideo prudens Imperator in locis munitis, quę in acquiſita bello prouincia reperientur, pręſidia collocet: ſed non faciat Pręfectos indigenas, verum ex militibus ſuis ſelectos, quos virtus & doctrina, & fidelitas, nullis in eo loco opibus, nullaq; affinitate ſubnixos Regi, & Reipub. approbauit, Militaris enim pręfectura, & locus ſic munitus, vt ex eo quis facilè expelli non poſſit, arces ad defectionem ſtimuli ſunt, qui & modeſtos ſępè animos agitant, & ab inſtituto vitę tenore cogunt deflectere. Poſt aciem autem, melius eſt plura

ſeruare pręſidia, quàm deſerere omnino prouinciam, aut latius militem ſpargere, ac facere munitiones in quibus miles collocetur, & teneat à ſi ęno populatas ciuitates, nec villanos permittat conuenticula facere. Sic enim & rebellionem ſubditorum opprimentur, & aduenientem ab extra hoſtem retinebũt, donec maiores copias conſcribas. Quinimò & pacis tempore, vel induciarũ, cuſtodias Imperator prouidus minimè eſſe negligendas ſciat: & vrbes hoſtili agro adiacentes, quã munitiſſimo pręſidio firmet. Quamuis enim eum minimè deceat pacta atque fœdera violare, ſed pietatem ac fidem ſacroſanctè colere, mores tamen hoſtium noſſe, & à ſubdolis eorum fraudibus diſcauere maximè oportet. Conſtantinus Magnus pace toto imperio conſtituta ratus omnia in tuto eſſe, milites pręſidiarios vrbibus dimiſerat, quę paulo poſt in acerbam ſui hoſtis redactę fuerunt ſeruitutem. Quod probè noſtra ętate Albertus Auſtriacus conſiderans, pactis cũ Battauis inducijs, munitiſſimo pręſidio vrbes Hollandię adiacentes firmauerat, ne eum videlicet aliquando credulitatis pœniteret: quapropter & neceſſaria ad defenſionem, ſi quidpiam interueniſſet, tempeſtiuè prouidebat.

CA-

CAPVT III.

De prouidendo neceſſaria ad defenſionem.

DVo potiſſimum in defenſione vrbis ſpectanda ſunt. *Primum*, vt tibi maturè de rebus neceſſarijs proſpicias. *Alterum*, vt hoſtem iiſdem fruſtres. Eam ob rem ea quę in tutū recipere nequeas vt pote ſtramenta, frumētū, ligna, pecora, & his ſimilia, vel igne, vel alio modo corrūpenda ſunt Vrbiautē quam defendēdam aliquis ſuſcipit, inprimis de annona & aquatione ſecura prouideat, tū de machinis atq; armis ad defenſionem pertinentibus. Inter commeatū prouideat ſollicitè de frumento, molis, ſale, lardo, lignis, aceto, butyro, caſeo, pultibus, carnibuſq; fumatis. Et aquæ ſufficientiā puræ & ſanæ habens, ſi propter infirmos poterit habere vinum, hydromel, aquauitam, aut ceruiſiam tum facilius ægrotos vulneratoſq; iuuabit. Inter arma verò bōbardos æneas, ſclopos, colubrinas, cōtos, lāceas, gladios, globos, puluerem nitratum, canabim, funes, trabes, aſſeres, timpana, tubas, tū medicos, chirurgos, pharmocopolas; foſſores, ligones, ferramenta, machinatores & tacticos. Tum arma diuerſa, & armorum artifices; adq; arma facienda aut reparanda,

randa, ferrum vtriuſq; temperaturæ, & carbones, lignaq; tàm ad focum faciendum, quam ad inſtrumenta fabricanda. Quia obſeſſi & muris incluſi, omnes ſpecies prouiſionis pro defenſione murorũ tempeſtiuè procurare tenentur, ſi hoſtẽ ludificare & virtute ac conſtantia ſua, repellere cupiunt. Ideò exurimenta, in primis, bitumen, ſulphur, picem liquidam, oleum quod incendiarium vocant, ignemq; Grecanicum, ad exurendas hoſtium machinas cõuenit præparari. Tum trunci, Cylindri, ſeu trabes læuigatę, & ſaxa rotunda in propugnaculis ſunt collocanda, vt demiſſa per præceps, nonſolùm hoſtes obruant ſubeuntes, ſed etiam machinamenta confringant aduerſariorum: qua in re maximè prouidi ſunt Moſcouitę, & in propugnando etiam ad obſtinationem ſtrenui, vt nulla gens in Orbe libentius pericula pro conſeruatione munitionum ſuarum ſubeat, famemq; ac frigus cum aſſidua vigilantia perpetiatur.

Itidem trabes crudę & tabulata, ac diuerſę magnitudinis clauos ferreos eſſe oportet in promptu; pręcipuè cum ſubitis operibus addenda ſit muris vel propugnaculis altitudo aut craſſicies, ne globi tormentorũ tranſeát parietem aut offendát propugnatores. Vel ſi vallum diruerit hoſtis, vt extemporaneo

labore,

labore, nouum excites, & vel ſaltim a ſclopetorum grandine tuos protegas, vti fecerat in defenſione Smolenſci contra Seinium, ſtrenuus ille vir VoieuodzKi, cum Germanus miles vrbis munitionē violenta impugnatione occupaſſet, quē hac arte facillimè deiecit & fortiter profligauit.

Quod ſi vrbs, vel arx in colle ſita fuerit, habeant defenſores pondera ad deuoluendum in aduerſarios, ſi aſſaltum facere voluerint, lapides videlicet rotūdos (quales in arce Cracouienſi conſpiciuntur, antiquitus facti) columnas, rotas, verticulos, quibus rebus dextrè vtūtur Bulgari. Item currus quatuor rotarum ponderibus oneratos, vaſa textilia, ſeu dolia calculis aut terra madefacta plena, qualia deuoluebant in Germanos Turcæ, cum ſub Rudolpho Imp. Suarcembergius Budam in Hungaria oppugnaret.

Illud quoque vſus inuenit, vt acerrimos ac ſagaciſſimos canes in turribus nutriant, qui aduentum hoſtium odore præſentiant latratuq; teſtentur. Frequēter enim obſidētes, cum in ciuitate negligentiam vident, aſtu ſe à prælio & ab obſidione ſubtrahunt, vt aduerſariorū negligentiæ licentiam tribuant. Quæ, ipſa impunitate cum creuerit repente admotis machinis, vel appoſitis ſcalis occu-

occupant ciuitatem. Et ideo in muris, vti præmonuimus, ſaxa cæteraq; tormẽta ponuntur in promptu, ſiue arx in colle ſita ſit ſiue in plano, vt cognitis inſidijs occurrẽtes ad manus habeant, quod ſupra capita hoſtium euoluant, atque iaculentur.

Similiter reparatio murorum, tormentorumq; omnium ante curanda eſt quam hoſtis obſederit, qui ſi ſemel præuenerit occupatos, metu vniuerſa occupantur, & quæ ex alijs vrbibus petẽda ſunt, interclusis itineribus denegantur, vt accidit Smolenſco à Moſchis obſeſſo, poſt obitum Regis Sigiſmundi III. & ni maturè Rex Vladislaus IV. ſubueniſſet, actum omnino de tam inſigni vrbe fuiſſet, ob rerum omnium penuriam.

Magna quoque vrbis vtilitas eſt, cum perennes fontes murus includit, vt habet munitio Mediolanenſis arx Buczacia in Podolia. Quod ſi natura non præſtat, cuiuslibet altitudinis effodiendi ſunt putei, aquarumq; hauſtus funibus extrahendi, vt habet arx Græcenſis in Styria; Olſtinenſis, Rabſtinenſiſque in Polonia, in rupibus altiſſimis ſitæ. Præterea in omnibus publicis ædificijs, multiſque priuatis, ciſternæ ſunt diligentiſſimè ſubſtituendæ, vt receptacula aquis pluuialibus, quæ de tectis effluũt

præ

prҽſtent, vti habent Hiſpani in arce Neapolitana.

Auxilia maturè introducantur, ne vrbs ob defectum defenſenſorum facilè ab hoſte capiatur, cum ciues ipſi non ſuffecerint ad propugnandum: aliter enim difficulter, aut magno aſtu miles introduci poterit, prout bello ciuili feliciter euenit, cũ Ategua vrbs in Hiſpania, Pompeianarum partium obſideretur. Igitur Maurus interrex, tanquã Cҽſarianus Tribuni cornicularius, vigiles quoſdam excitauit, è quibus aliquos euitans; conſtantia fallaciҽ ſuҽ, per medias Cҽſaris copias prҽſidium Pompei tranſduxit, & vrbem periclitantem adiuuit. Bello autem Pruſſico cũ Crucigeris, Iacobus Secignouius, non tam aſtu, quam animi fortitudine munitus, periclitanti Helsbergҽ auxilio adfuit, & hoſtem repulit. Cũ enim Albertus Marchio magnam muri partem tormentis noctu deieciſſet, & aſſaltum moliens ſuos in turmas diſpoſuiſſet, ille inopinatus prima luce cũ mille equitibus Polonis è vicina ſylua cõparuit, & medias Crucigerorum acies à tergo perrumpens, incolumis cum ſuis in oppidum penetrauit, recta pergens vbi mœnia vaſto hiatu ſtrata vidit. Diſpoſitiſq; mox per ruinam propugnatoribus & tormẽtis, miſit caduceatorem ad Magiſtrum,

inui-

inuitãdo eum ad aſſaltum, & certamen pro mœnijs. Cęterum Magiſter conſiderato ſuorum periculo, rem tentare noluit, obſidionemq; continuò ſoluit. In qua ſi dies aliquot perſeueraſſet, procul dubio ob annonę defectum vrbem deditione accepiſſet. Licet enim ea ante Secigniouij aduentum parciſſimè diſpẽſabatur, tamen in longum durare non poterat, tanto pręſidio inopinatè cum equis introducto. Iam autem ſero parſimonia adhibetur in fundo, cum deficiunt omnia.

Igitur commeatus ante omnia pręparetur, & deficientibus opportunè ſuggeratur, quia fame tot iam inexpugnabiles munitiones & arces ſunt ad deditionem adactæ; quin & noſtra ętate celebris illa in Gallia Rupella, non aliam ob cauſam in manibus Chriſtianiſs. Regis Ludouici XIII. deuenit, niſi quod famẽ amplius ferre non potuerit. Nam ea, quę caſu aliquo obſeſſis ſubmittuntur, non poſſunt in tanta quantitate eſſe, vt omnium inediam exſatiare valeãt. Ita Annibale obſidente Caſilinum, Romani farinam dolijs ſecunda aqua Vulturi fluminis demittebant, vt ab obſeſſis exciperetur, quibus cum obiecta per medium amnem cathena Annibal obſtitiſſet, nuces ſparſere, quę cũ aqua ferente oppidum defluerent; cęterum tali

com.

commeatu ſociorum neceſſitatem non diu ſuſtentauerunt. Ioannes quoque Demetrius Viſniouecius, à Tartaris in arce ſua obſeſſus cũ omnia coria ephippiorum & currum comediſſet, tandem in manus barbarorum peruenit, dum incenſo caſtello, ad reſiſtendum potentiæ eorum, cum famelicis ſuis impar fuiſſet.

Pręparent nihilominus ſibi obſeſſi Pharmacum Epimeniendum tempeſtiue, quo in defectu annonę veſcantur more veterum Gręcorum aut Romanorum. Eſt enim Epimenideum quoddam medicamentum valde nutriens ſitimq; prohibens, quo antiquitus veſcebantur cùm ij, qui ciuitates obſidebant, tum ij qui in ciuitatibus obſidebantur, ſumendo vnum bolum mane, & alterũ veſperi: atque ita abſque omni alia cómeſtione poterant per longum tempus famem commodiſſime tolerare. Pollicebatur ſe facturum, ingenioſiſſimus vir Iurgieuicius Lituanus, Sigiſmundo III. in expeditionem Moſcouiticum pergéti; cęterum neſcio qua de cauſa ab aulicis ſpretus, & Sigiſmundi milites cum in vrbe Metropoli Moſcouia extremam famem pertuliſſent, & mures, feles, coria, calceos, & quęquę obſcena ac mortuorum cadauera deuoraſſent, tandem ad extremum deditionem facere fuerunt

runt coacti. Non igitur ſunt contemnenda ingenia quę veterum artes valde vtiles nobis excitare poſſunt. Sed iam obſidionem diligenter conſideremus.

CAPVT IV.

De Facienda obſidione.

QVi ciuitates expugnaturi ſunt, aut obſeſſuri, prius earum ſitus, ambitus, mœnium altitudines foſſarum latitudines, ac profũditates, tàm ex relatione peritorum atque prudentum hominum, quàm ſecndum Geodęſię pręcepta ac regulas ex tabulis Geographicis, tum ipſimet Dioptricę cognoſcere debent; vt machinas, & terrea caſtra, iuxta recentiorum vſum, ad earum expugnationem proportionaliter, commenſurabiliterq; pręſtruere poſſint.

Deinde conſiderandum, vtrum talis obſidio perfici & continuari poſſit, ne videlicet temere ſuſpicatur, & cum pudore deinde atq; damno ingenti relinquatur, vt plurimis accidit, pręſertim in ſeptentrionalibus partibus, vbi hyemis rigorem miles ſępius ferre non poterat. Ideò Scipio Romanus apud Suidam, hoc conſilium dabat. *Aut tentare n oportet, aut ſic tentare, vt omnibus viribus quod inſtituiſti, coneris perficere, nam*

bis

bis ad eundem lapidem offendere, ſimul periculoſum eſt & contemptui obnoxium. Quo ſanè conſilio Stephanus Polonię Rex permotus, obſeſſa Polotia ſub tempus autumni, cum propter imbres continuos, qui vias laxauerant, & fluuios auxerant; & aſſiduas Moſcorum circũquaque excurſiones annonę penuria in caſtris prętmeretur, nullo modo obſidionem deſerere voluit, ſed potius honeſtè mori. Atque ita facta corona oppugnationem generalem inſtituit, & maximo labore tandem expugnauit, inuẽtoq; in vrbe commeatu infinito pene, exercitum ſuum refecit.

Sciendum itaque *obſidendi duas eſſe ſpecies. Vnam* cum aduerſarius opportunis locis pręſidijs ordinatis, continuis inſultibus impugnat obſeſſos. *Alteram* cũ vel aqua prohibet incluſos; vel deditionem ſperat à fame, quando omnes prohibuerit commeatus. Hoc enim conſilio, ipſe ocioſus ac tutus fatigat inimicũ. Nam quando violenta impugnatio caſtellis, vel ciuitatibus pręparatur, tum mutuo fit vtrinque periculo, interdum autem, vel vt verius dicam ſępius, maiore oppugnantium ſanguine exercentur luctuoſa certamina. Illi enim qui muros inuadere cupiunt, terrifico apparatu expoſitis copijs, in ſpem deditionis formidinem geminant, tubarũ ſtrepitu homi-

hominumq; permixto. Tūc,quia timor magis frangit inſuetos, primo impetu ſtupentibus oppidanis, ſi diſcriminum experimenta non norunt,dum in coronam inuaditur ciuitas, reſiſtere debent omni virtute. Quodſi à fidentibus ſiue militaribus viris repellatur prima congreſſio, ſtatim clauſis creſcit audacia, & iam non terrore, ſed viribus & arte cūfligitur;ſubeunteſq; mœnia grauius iā læduntur tanquam nudi,quam incluſi, qui ſuis munitionibus tegūtur, vt videre erat in oppugnatione Conſtantiæ, cū ab Guſtauo Horno de die & de nocte, aſſaliretur, licet habuerit exercitatiſſimum militem, & apparatum ferè ſtupendum, à ciuibus attamen bello non aſſuetis,paucorum nobilium, cū ingenti clade ſuorum fuit repulſus. Et hanc planè ob cauſam Cæſar dicere ſolebat, *idem eſſe ſibi conſilium aduerſus hoſtem, quod pleriſq; Medicis contra vitia corporum, fame potius quam ferro ſuperandi*. Eapropter qui obſidet, conſtanter in obſidione permaneat, vti Marchio Spinola ad Bredam fecit,& Ludouicus XIII. ad Rupellam, nuperrimeq; Hiſpani ad Vercellam. Sed & omnes alij veteres Duces facere, Federicus Ducis Albani F. obſideret Harlemum in Hollandia, nec quidquā per octo menſes ob hoſtium fortiludinem & pertinaciam proficeret: & iam

deſperato ſucceſſu adornaret in Brabantiam reditum, Albanus increpita filij inconſtantia, ita per literas in eum monuit. *Si locum deſereret ei in animo eſſet, ſe quamuis lecto decumbentem in caſtra venturum: aut (ſi morbo in horas ingraueſcente impediretur) accerſiturum denique ab Hiſpania eius matrem, quæ bello impoſita, filij partes abeuntis expleret.* Simili conſtantia, & Zamoſcius fuit quem cum monerét amici, vt ab obſidione Pleſcouiæ diſcederet & ipſe, Rege ad celebranda comitia in Poloniam redeunte, ſciens ſi res ſecus ceſſiſſet, magna cum inuidia eius, ſuperiorum rerum gloriam omnem corruptam eſſe. Reſpondit, *Bonum Imperatorem, eundemq; bonum ciuem, non ſuæ, ſed publecæ dignitati ſtudere debere. Si re infecta ab obſidione abſcedendum ſit, è re nata commodius futurum ad ſe peccati eius opinionem recidere, quàm ad Regem, aut Remp. vniuerſam.*

Perſæpè etiam vrbes celeritate expugnantur, (præter aſſaltum præmeditatum, & longam obſidionem, quæ fame obſeſſos domat) ſi eas ſubitò præterque expectationem adgrediaris vti Suarcẽbergius occupauit in Hungaria Rabam ChodKieuicius in Liuonia Pernauiam Hluſcius in Moſcouia Aſtrachanum. Et hoc quidem facilè fieri poteſt, ſi exercitu tuo tam lõge abſis, vt eas vel nolle,

vel non poſſe obſidere, antequam fima eò perueniat, credaris. Quod ſi ergo celeriter atque ſúbito eiuſmodi vrbes obſidione cingas, vix non ſemper victoriã inde reportabis. Ita Cæſar Borgia in Italia cum Nuceriæ exercitum ſuum haberet, in Camerinates ſe mouere ſimulauit, at in itinere ad Ducatum Vrbinatem deflexit, illumq; vnica die in poteſtatem redegit, quod quidem alij niſi magna cum temporis reiq; iactura vix licuiſſet. Similiter Nicolaus III. Radiuillus Lituanicarum Copiarum Imperator, fingens ſe in Polocenſem agrum excurrere velle, inopinatò per ſyluas & paludes eluctatus ad Vlam apparuit, aggreſſuſq; ſubitò, caſtra Moſcorum triginta millia in eis hoſtium occidit, & fugientibus in arcem immixtus, ipſam munitionem occupauit, quam obſidione cingere, nequaquam alias tentaſſet.

Vrbem igitur inuaſurus Imperator, hæc præcipuè præcepta obſeruet.

I. *Præmittat equites leuioris armaturæ, qui obuios quoſque intercipiant, ne quis ſe ad vrbem curſu proripiat, hoſteſq. aduentare ſignificet, ſed incautis improuiſus immineat exercitus, etſi non per prodicionem victoriã ſubrepturus.* Nam repentini impetus, quique præter opinioné ſubito ingruũt, aduerſariorum copias etiam præſtantiores potioreſq; percellunt. Sæpiuſque

accidit, vt ſic vrbes abſque vlla obſidione intercipiantur, aut perterritæ in deditionem accipiantur, vti accidit in Pomerania compluribus in locis Guſtauo Sueciæ Rege inopinato ad mœnia vrbium comparente, ſed præcipuè Stetinij, quæ eſt caput Prouinciæ, & vbi Princeps cum ſuo præſidio incluſus fuerat; non quidem vt Cæſari faueret, ſed vt in neutralitate manere potuiſſet. Perterritus autem inopinatò Guſtaui aduentu, maluit portas vrbis aperire, quam vim, cum trepidantibus ſuis experiri.

2. *Aditus hoſtilibus auxilijs obſtruat, ne in ſubſidium venire poſſint, aut per aquam, aut per terram, vel ſi quid fuerit ingreſſum, ne egredi inde valeat.* Ita Spinola cepit Oſtendam, Farneſius Antuerpiam, Naſſouius Traiectum & Syluam ducis, alijq; alia infinita loca.

3. *Quæ hoſtibus vſui eſſe poſſint, inutilia reddat, aut corrumpat ſeu perdat, ſine ea ſint eſculenta, ſiue poculenta, aut fruges fructuſue qui in agris reperiuntur.* Ita Machometes II. oppugnando Albam Regalem in Hungaria, Segetes circum circa longiſſimo tractu vaſtauerat, hortos ſuburbanos, vnde obſeſſi olera habebant, reſtagnatione aquarum corrupit, aggerem per quem in obſidentes excurrebant, perfodit, lignorum ſtrues qui in locis paludoſis in vſum defenſorum propè

mœni-

mœnibus aſſeruabantur, oleo ignito ſuccendit; & ita obſeſſos vndique affixerat, vt niſi precibus Diui Capiſtrani opem è cœlo obtinuiſſent, humano cõſilio & viribus prorſus interiſſent.

4. *Non minus ſua conſilia occultare ſciat, quàm qui obſidione vrgentur: nam aliter aut cladem ſubibit, aut ab obſidione re infecta recedere debebit.* Sic in Pruſſia Rege Iagellone Mariæburgum obſidente, poſtquam incluſi Cruciferi intellexiſſent, nobilitatem Polonam à Rege miſſionẽ petere, nec vllo modo in caſtris velle brumam pati, qui iam arcem dedere fuerant parati, mutato conſilio, conſtãtiam induerunt, & Rege obſedionem nobilitatis ab obſidione recedente, qui iam omnino exſtincturi erant, crudeliſſimum Polonis bellum, iterum æſtate appetente, appararunt.

5. *Quos obſidet quantum poteſt fallat.* Ita Annibal in Italia multas vrbes cepit, cũ Romanorum habitu, quoſdam ſuorum ex longo belli vſu Latine quoq; loquẽtes præmitteret. Sed A Marcus Naſſouius ſimili aſtu vſus, miſerat qui Antuerpiam interciperent cum Spinola Bredam obſideret, ſed ea fato ſuo ſeruata eſt, cum iam hoſtis vallum caſtelli nocte intempeſta conſcendiſſet.

6. *Ad proditionem ſollicitet.* Marcellus cum Syracuſanum quendam Soſiſtratũ

ad proditionem ſolicitaſſet, ex eo cognouit remiſſores cuſtodias fore die feſto, quo Epicides præbiturus eſſet vini epularumq; copiam. Inſidiatus igitur hilaritati, & quæ eam ſequebatur ſocordiæ, munimenta conſcendit, vigilibuſq; cæſis, aperuit exercitui Romano vrbē, nobilibus victorijs claram. Simili ferè modo Dembinius in Liuonia Volmariam occupauit, cum Moſchi vino aduſto, quod perſubordinatas perſonas ipſemet ad propinandum ſubmiſerat, de more feſto die Sancti Nicolai inebriati, negligentius vigilias agerent.

7. *Aſtu excogitato ipſe ad mænia impetu repentino aduolet.* Ita Philippus oppido Samiorum excluſus, Apollonide præfecto eorum, ad proditionem corrupto perſuaſit, vt plauſtrum lapide quadrato oneratum, in ipſo aditu portæ poneret: confeſtim deinde ſigno dato inſequutus oppidanos, circa impedita portæ clauſtra oppreſſit trepidantes. Nicolaus verò Firlei, bellum in Pruſſia cum Crucigeris gerens, currum fœno plenum in oppidum immiſit, quaſi pabulum obſeſſis ſubminiſtraret. Qui autem currum gerebat cum in porta ſtetiſſet, rotā vnam conſulto ante ſucciſſam cum axe fregit: & dum vigiles curru ſubducto portam ſerare niterētur, equites leuioris armaturè quos vulgò Coſachos nū-

cupamus,

cupamus, cum Secignouio viro ſtrenuiſſimo aduolarunt, quo tempore etiã armati de illo fœno proſilierunt, & ſic portam occuparunt, & oppidum Mariæuedra dictum cæperunt.

8. *Trans fugas qui deciperent, aut opprimerent ſubmittat.* Ita Lyſimachus Rex Macedonum, cum Epheſios oppugnaret, & illi in auxilio haberent Mandronem Archipiratam, qui plerumque onerata præda naues Epheſum appellabat, corrupto ei ad proditionem iunxit fortiſſimos Macedonum, quos ille reſtrictis manibus pro captiuis Epheſum introduceret, qui poſtea raptis ex arce armis, vrbem Lyſimacho tradiderunt.

9. *Hoſtes ad inopiam omnium rerum redigat.* Vt Fabius Maximus fecit, qui vaſtatis Campanorum agris, ne quid eis ad fiduciam obſidionis ſupereſſet, receſſit ſementis tempore, vt frumentum quod reliquum habebant, in ſationes conferrent: reuerſus deinde renata protriuit, & ad famam redactis potitus eſt. Idem fecit aduerſus Athenienſes, Antigonus. Aduerſus Morauos, Boleſlaus Criuouſtus: aduerſus Pomeranos & Brãdeburgenſes Seciechus Palatinus Cracouienſis.

10. *Obſidionem diuturnam fore perſuadeat.* Vnde Tyberius Gracchus Luſitanis dicentibus, in decem annos cibaria

ſe habere, & ideo obſidionem non expaueſcere. Vndecimo, inquit, anno vos capiam. Qua voce perterriti Luſitani, quamquã inſtructi commeatibus, ſtatim ſe tradiderunt. Similiter Gedanenſes cum in ſeptennium ſe habere ſufficientem prouiſionem iactarẽt, Rex Stephanus etiam ſeptuaginta annis ſe velle obſidere eos reſpondit. Igitur ſupplices certa ſumma pecuniæ exſoluta ad bellum Moſcouiticum properantem, haud leuiter adiuuerunt. Hiſce quoque annis auxilia Guſtauo in Pruſſiam venientia, cum ad oppidũ Amerſtinum diuertiſſent, Koniecpolſcius die eadem ad deditionem coegit, ſimulans ſe velle eos diuturna obſidione domare; qui tunc nullum penes ſe peditem, nullaſq; ad obſidendum machinas habebat.

11. *Præſidia deſtruat obſeſſorum.* P. Cornelius Scipio, intellecta difficultate expugnandi Delminum, quia omnium concurſu defendebatur, aggredi alia oppida cæpit, & euocatis ad ſua defendenda ſingulis, vacuatum auxilijs Delminum cepit. Nicolaus Firlei itidem munitiſſimam tunc Pruſſiæ ciuitatem Bronsbergam, in ſuam poteſtatem redigere volens, vicina oppida petere cæpit: conſecutuſq; eſt, vt Cruciferi fiducia velut ſatis munitæ vrbis eius, ad tutelã

aliorum oppidorum dilaberentur. Quo facto ipſe rurſus reuocatis omnibus ſuis vacuam eam ferè defenſoribus cepit.

12. *Seditionem inteſtinam apud obſeſſos faciat, admotoq; exercitu potiatur ciuitate.* Vti fecerat Veſpeſianus Iudęis, Hieroſolyma circumuallata, vbi tot millia bello inteſtino in tẽplo Salomonis occiſa fuerunt.

13. *Fluminum deriuatione, & vitatione aquarum, ad deditionem cogat.* Ita Publius Seruilius Iſauram oppidum flumine (ex quo hoſtes aquabantur) auerſo, ad deditionem ſiti compulit. Sed & C. Cæſar in Gallia Gaduceorum ciuitatem amne cinctam, & fontibus abnndantem, ad inopiam aquæ redegit, cum fontes cuniculis auertiſſet, & fluminis vſum per ſagittarios arcuiſſet.

14. *Aquarum inundatione obruat.* Ita Iuſtinianus Imperator ciuitates Meſopotaniæ ad Tygrim ſitas, aquarum impetu in eas conuerſo, abſque machinis diruit. Ita L. Metellus in Hiſpania citeriore, caſtra hoſtiũ in humili loco poſita, licet benè munita inundauit, fluuio ex ſuperiore parte immiſſo: ſubitaque inundatione turbatos, per diſpoſitos in hoc ipſum inſidiatores cecidit. Idem tentarunt Hungari apud Caſſouiam in Turcas. Idem Antuerpienſes in Alexãdrum Farneſium, etſi parum proſpero

ſucceſſu: turbarunt attamen & non nihil pauoris de nocte intulerunt.

15. *Pauorem obſeſſis inijciat.* Philippus cum Triuaſſum caſtellum nulla vi capere poſſet, terram ante ipſos muros aggeſſit, ſimulauitq; agi cuniculum oppidani, quia ſubruptos ſe exiſtimarant, dediderunt. Hoc aſtu ſæpius nũc Guſtauus in Germania, eiuſq; Duces vſi, cõplures ciuitates ad deditionem coegerunt.

16. *Obſeſſos per inſidias eliciat.* Cato in cõſpectu Lacetanorum quos obſidebat, reliquis ſuorum ſubmotis, Sueſſanos quoſdam ex auxiliaribus, maximè imbelles, aggredi mœnia iuſſit; hos cum facta eruptione Lacetani facilè auertiſſent, & fugientes auide inſecuti eſſent, illis quas occultauerat cohortibus oppidum cepit. Comes de Donna Sileſius, cum iuſſu Imperatoris Ferdinandi II. Cloſcum in Sileſia obſidione cingeret, ſæpiuſq; ab erumpentibus ſuos profligari cerneret, locatis in ſylua vicina, qui recenter è Polonia venerant Coſachis, leuioris equitatus; cum ſuis Germanis grauiter armatis, ſolito more elicere cupiens ſuburbia intrauit, & ignem domibus iniecit, quod Comes Turnius, qui incluſus fuerat, è turri conſpicatus, mox in vaſtantes cum fortiſſimis quibuſuis, tum peditibus, tum equitibus erupit,

erupit,fugienteſq; conſulto Cæſarianos, paulò longiùs inſecutus. Cum interim Coſachi pernicitate equorum ſuorum vſi, parte ab alia, eadem ſuburbia occuparunt, & reſtinguentes ignem oppidanos, præſidiarioſq; cum Turnio erumpentes à tergo aggreſſi omnes ferè deleuerunt, ita vt vix Turnius ipſemet euaderet, qui deinceps ad deditionem coactus fuerat.

17. *Regreſſum ſimulet.* Alcibiades aduerſus Bizantios, qui ſe mœnibus continebant,inſidias diſpoſuit, & ſimulato regreſſu, incautos eos oppreſſit. Eadem arte Sigiſ.III. Smolenſcum expugnauit & Stroinouius Coſachorum in Germania ductor, Vormachiam deuaſtauit, premiſſis qui pecora ciuium abigerent, in hos cum tota vrbs cum præſidiarijs erupiſſet,ille ex inſidijs prorumpens ad vrbis portas cucurrit, & ſic omnibus reditum interclusit, & ad vnum cecidit. Idem fecit & adud FrancKetalum.

18. *Opera ad oppugnandum præparet, licet parum proficua i terdum.* Ita Alezãder Farneſius Limburgum in edita rupe ſitum, & prærupta circum valle inacceſſum ad deditionem coegit,per ſaxa, & cotes aggerem ad vrbem producendo, muniendoq; viam crebris virgultorum, ac ramalium faſcibus,ac ceſpite aliunde comportato, contra pilarũ iactus è mœ-

nibus. Cum dein vrbem ingreſſus animaduertiſſet nouas munitiones ferè inexpugnabiles, defenſionumq; receptacula, & tumulos veluti caſtella ex herbido itidem ceſpite, & ſudibus firmatos ab ingenioſo loci machinatore fabrefacta: apparatumq; belli atque annonæ immenſum, quod in longum tempus obſidionem protraxiſſet, & ſine ingenti militum iactura fieri non potuiſſet, Mirabatur magnopere cur operas ſuas extimuiſſet, quæ ijs nihil nociture fuerant.

19. *Cum vrbem aliquam obſidet aut arcē, videat ne obſideatur ipſe à ſuperuenientibus à tergo copijs.* Proinde exercitum ſuum foſſa, vallo, propugnaculis cuſtodijſque muniat, ne ab obſidione repellatur. Ita Spinola vndique caſtra ſua, cum Brædā obſideret, munitionibus cinxerat, vt ſuperuenienti Mauritio numeroſiſſimo cum exercitu, nequaquam turbaretur aut loco cederet. Eodem quoque modo Henricus Naſſouius ad eādem Bredam nuperrime fecerat, prout & antè paulò ad Syluam Ducis & Traiectum, vbi à duplici exercitu inuaſus, reijci ab obſidione haud poterat.

20. *Habeat vias ſecuras ad conducendum commeatum:* quod maximè prouidebat Zamoſcius, cum Pleſcouiam, Lucos, Vſuiatam aliaſque vrbes in Moſcuiam obſide

obſideret, quas numeroſiſſimo exercitu huc atque illuc tranſuolante Moſchus defendebat, maximè curans ne annonā noſtri in caſtra ſubducere poſſent. Nam qui in hoc eſt negligens, inglorius ab obſidione neceſſario recedet. Et Carolus V. cum Metenſes obſideret, famæ magis, quàm hoſtium, qui vias omnes inſederant, vi repulſus fuit Carolumq; Audacem cum Nanceium cinxiſſet nō tàm hoſtilis gladius, quàm commeatū defectus ſuperauit.

21. *Vrbem quam minimè obſidere vult, velle ſe obſidere ſimulet; vt quam obſidere deſiderat, præſidio aut neceſſarijs nudatam obtineat facilius*, Albertus, vt Hulſtum munitum Flandriæ oppidum occupare poſſet, vniuerſum exercitum in vlteriorem Brabātiam iuſſit proficiſci, quaſi ibi aliquid tentaturus; vt euocatis paſſim præſidijs, vicina, vt exiſtimabant, periculo loca firmarent ordines, neglectis ijs quæ peti non credebant Reſtabat interim in VVaſia legio, qua ob nō præſentata ſtipendia tumultuari falſa vt apparuit fama ſpargebat, illa enim vacuū penè militibus Hulſtum prima circumuallauit, & occupatis vbique acceſſibus, ne ſubueniri illi poſſet, effecit. Vnde ne tunc quidem ſecuris eſſe licet, cum omnē obſidendi voluntatem depoſuiſſe videtur hoſtis. Nam eadem iterū arte

Spinola

Spinola obſederat Bredam, & fame domauerat.

22. *Eruptiones prohibeat, foſſis ante portas factis, & tormentis diſpoſitis.* Ita Machometes II. ad Albam Regalem in Hungaria fecerat, omnemq; Chriſtianis excurrendi viam præcluſerat. Ita Zamoſcius cum in Liuonia BialoKamineium obſideret. Et ſanè prudenter quia obſidentium militum molitiones ab hoſtibus è mutuo facilè conſpici poterunt; obſeſſi verò obiectis mœnibus tecto improuiſa ſæpenumero eruptione per portas effuſi, vel machinis ignem ſubijcient, vel militum ſtrages edent, vel denique quidquid tumultus ſuadebit, audeunt. Quapropter diligentiſſimè cauendum eſt, ne ab oppidanis patiare detrimentum, vti aſſolebat fieri Moſcouitis Smolenſcum obſidentibus, quos Voieuodſcius aſſiduis excurſionibus ita fatigabat, vt ſiue cibo, ſiue ſomno fuerunt occupati, ſiue ocio, aut ali, qua neceſſitate diſperſi, ſemper eos perimerent & intra mœnia ſecum abduceret.

Curet itaque Imperator vt quàm maximè eruptiones prohibeat; ſitq; in omnibus cautus, inſidijs obſidentes, & obſeſſi ſubiacent, cum negligentia interuenerit. Ideo imitetur veteres, ac præcipuè Romanos, inter quos Iulium

Cæſa-

Cæſarem nemo vnquam in obſidionibus faciendis, prudentia, ſolertia, perſeuerantia, atque diligentia ſuperauit. Qui, in obſidione Aleſſiæ Vercingentorigem Ducem Gallorum ita intercluſerat cum octuaginta millibus armatorum lectiſſimorum ex omnibus Galliarum prouincijs, vt cum venirent ducenta quadraginta millia in ſuccurſum ei, non potuerint Romanos loco pellere, aut fame domare, qui obſeſſi obſidebant Vercingentorigem, & pulſis illis, qui ad ſuccurrendum ei venernat, ad deditionem adegerunt, totamq; ſimul Galliam poteſtati ſuæ ſubiecerũt. Vnde Velleius Paterculus dicit. *Circa Alexiã tantæ res geſtæ, quantas audere vix hominis, perficere penè nullius, niſi Dei fuerit.* Ex recentioribus verò ad obſidẽdas vrbes, nemo aptior fuiſſe legitur, quam Marchio Peſcaræ, & Caſtruccius Caſtracanis, qui dicitur renouaſſe diſciplinam militarem in Italia, cum obſideret Piſtoiam, exemplo Iulij Cæſaris, qui vno vallo cinxerat Piſtoienſes, altero ſeſe defendebat à Philippo Sanguinetto, qui triginta eum millibus ad ſuccurrendũ venerat nec receſſit ab vrbe; donec eã in ſuam poteſtatem redigeret. Quod nunc iam aliquoties factitatum vidimus in Germania vtraq; Gallis, & Italia, præſertim apud Caſale, Vercellas, Verucam, & Turinum. CA-

CAPVT V.

De Machinis ad oppugnationem.

VRbium oppugnatio, obſidioq; Imperatoriam virtutem prudentiaq; vnà cum machinarum apparatu deſiderat, nam aliter expugnari haud poterũt. Et quia machinæ pro diuerſitate temporum ac ingeniorũ diuerſę in vſu habentur, aut excogitantur, modernæque longiſſimè differunt ab antiquis; ideo non inconueniens eſſe putarem, ſi prudens Imperator, & illas adhibere vellet, pro varijs bellorum caſibus immutatas, aut accomodatas ad modernum vſum, præſertim Helopoles, Sambucas, Catapultas, Turres ambulatorias, Teſtudines aggeſtitias, Pontes penſiles, aliaq; veterum inſtrumenta ad tranſiliendas foſſas & conſcendendos aut ſubruẽdos muros excogitata, quæ magis ad fabrorum mechanicorum induſtriam ſolertiamq; pertinent. Ad Imperatoriam verò prudentiam ſolummodò id ſpectat, vt eas pro opibus & facultatibus paratas habeat; ſciatq; ſeligere loci partem vbi illis commodè vti milites poſſint.

Machinarum autem quibus veteres ad defendendas vrbes vtebantur, varia erant genera, inter quæ numerantur

Baliſtæ,

Baliſtæ, Angones, Monangones, Onagri, Scorpiones, Crcubaliſtæ, Fundæ, cæteraq; miſſilia & conti, præter ſupra nominatas catapultas. Nec oppugnantibus ſuæ deerant, vtpote, Arietes, Lubdarei, Turres Murices ignem ferentes, Muſculi, lutei, vincę, Falces, Teſtudines, & alia quorum omnium vicem hoc ſæculo tormenta præſtant, & tam offenſionibus, quàm defenſionibus adhibentur, adeò vt non aliter milites nunc, quàm ſolis ſclopetis armentur.

De obſidionalibus verò machinis, ſcripſit ad Adrianum Imperatorem, Apollodorus Philoſophus, & conſtruxerat eas, quas longè ante eum fecerant, Philon Athenienſis, Philon Byzantinus, Aſcreus Cteſibius, Hieron Alexādrinus & alij. Nam & Alexander Magnus habuit in militia ſecum duos mechanicos longè celeberrimos Diadem, & Chariā, Polydis Thetali diſcipulos, qui primi ad inuenerunt Terrebras, Scalas nauticas, & Turres ligneas, quæ rotis feruntur. Athenæus quoque ad Marcellū ex Angiſſtrati, & aliorum ſapientū compoſitionibus ad obſidionem pertinentes machinas commentarij expoſuit; tum denique a Bitone ad Attalum de conſtructione bellicorum inſtrumentorum, collecta fuerunt præcepta. Vltimus ex omnibus antiquioribus machinis

fuit

fuit Hiero, qui de Machinis bellicis, deq; Geodæſia ſcripſit. Ex Neotericis autẽ infiniti planè de Architectura militari, & Geometria, ſcripſerunt, quos inter poſtremus, at non poſtremo loco habẽdus Adamus Freta gus Boruſſus, patricius Torunenſis.

Priuſquam igitur ad obſidendam vrbẽ Imperator proceſſerit, præparet machinas & inſtrumenta belli, ne & tempus inaniter & ſumptum in militem exſpendat: habeatq; penes ſe viros ingenio & ſagacitate præſtantes quorum opera finem propoſitum, facilius aſſequatur. Ita Albanus cum Belgium adminiſtraret, ſemper habebat ſecum in caſtris Bartholomæum Campiũ Piſaurenſem Italum, operum bellicorum præſentiſſimum machinatorem, cuius ingenium, cùm alias ſæpè, tùm præcipuè in expugnatione Rhotomagi experta eſt Gallia. Rexq; Stephanus expeditione Moſcouitica proclamata, non prius cum exercitu Vilna mouit, quàm quæ vſui bellico eſſent neceſſaria ipſe præparaſſet, tormentaq; bellica ad modum quendam, quem ipſe vſu atque experientia accomodatiſſimum cognouerat, fundi iuſſiſſet, conquiſiuiſſetque viros ad inſtrumenta bellica conficienda, peritiſſimos.

Sed iam nunc Aſiatici, Americaniq; hac

hac in arte plurimum valent, & Calecutenſes poſtquam à Portugallis didicerunt ſclopos & machinas æneas conficere ex metallo, ita conficiunt in perfectione, vt ſecundum relationem eorũ. qui in partibus illis fuerunt & arma tractarunt. nullibi terrarum perfectius fabricari videantur: puluiſq; pyropius in ſumma bonitate ab illis præparatur, vt ſimilis in Europa nondum fuerit viſus.

Et quia machis admotis muros vndique cingere non facile eſt; præſertim cum vrbs ampla aliqua obſidetur, ideò Imperator exercitum in corona ponat, & machinas in circuitum multifariam diuidat, quia ſic obſeſſos ad conſiliorũ inopiam deſperationemq; citius rediget. Qui ſi cæteris murorum partibus derelictis ad machinarum impetus obtundendos omnes concurrent, vbi minimè periculum timebunt, ibi facilè nemine aut paucis prohibentibus murus capi poterit vel per ſcalas, vel per aliquem alium modum. Aut ſi in varios tributi ordines, opem operamq; ſinguli ſeparatim ferre velint, qui machinarum viribus reſiſtere conabũtur, à vehemẽtiore illorum impetu diſcutientur, pugnamq; ſuſtinere non poterunt, vt accidit Magdeburgenſibus à Tyllio expugnatis. Imperator igitur ſtrenuum ſe athletá præbeat, ſeſeq; in ſpecies varias

confor-

conformet, huc illucq; aduerſarios diſtrahendo fallendoque vnum interea præcipuè moliatur, vt totum vrbis corpus valida vi compræhenſum, euertere tandem ac ſupplātare poſſit. Quod præſtituit Ludouicus XIII. in euerſione Rupellæ, & portu maris occulſo, & ſuppetijs Anglicanis profligatis, & mœnibus dirutis, & obſeſſis per famem, perq; continuas exploſiones tormentorum ita diminutis, vt amplitudinem propugnaculorum, iam amplius defendere non valerent.

CAPVT VI.

De Faciendis cuniculis.

EST etiam certum quoddam genus oppugnationis ſubterraneum atque ſecretum, quod Cuniculum vocant. Adhibita enim multitudine, ad ſpeciem metallorum, in quipus auri argentique venas beſſorum rimatur induſtria, magno labore terra defoditur, cauatoque ſpecu in exitium ciuitatis, inferna quæritur via. Quæ fraus duplicibus operatur inſidijs. Aut enim penetrant vrbem, & noctu non ſentientibus oppidanis eggrediuntur per cuniculum, reſeratiſq; portis ſuorum agmen inducunt, hoſteſq; in ipſis domibus

bus perimunt ignorantes, vti fecit Attila cum Aquileiam ſubuertiſſet, exciſaq; tam opulenta vrbe, viam ſibi in Italiam aperuiſſet. Aut certè cum ad murorum fundamenta peruenerint, ſuffodiunt eorũ aliquam partem, ſuppoſitoq; puluere pyrio, benè occludũt foramen, quo maiori cum impetu, murus in altum eijciatur, & irruptioni aditus reſeretur.] Hinc inualuit hodie militare prouerbium, LIGONEM PALAMQ; eſſe quæ arces exſtruãt, deſtruantq; Et quidem veteres frequentiſſimo in vſu hũc oppugnationis modum habebant cũ nondum bombardæ excogitatæ fuiſſent, nunc non itẽ iam, ſed prius alij modi cum machinarum violentia adhibentur, qui vbi non proceſſerint facilè, tum demum ad fodendum & ſubruendos muros proceditur, Ioanneſq; Auſtriacus ad gubernandũ Belgiũ miſſus, videns tot vrbes mœnibus per quam altis, terraq; ad eludendas pilarum emiſſiones, latè oppletis, ac prælargis circumfoſſis communitas, omiſſa oppugnatione alia, ſolitus erat hoſtem adoriri ligone muris admoto, Hãnoniorumq; vrbem Philippopolim hoc telo expugnauit, immiſſis foſſoribus in vrbis foſſam, qui ligonibus atque dolabris murorum ima ſubruerunt, tecti de ſuper oblongis craſſiſque tabulis, inteſtudinis modum conformatis, crudo

corio contra ignes copertis. Vineas olim ac porticus Romani vocabant, de quo vide Cæſarem, Liuium, Polybium, maximè autem Lipſium, qui & iconibus adhibitis omnia veterum bellica instrumenta ac machinas expreſſit, quas nec hodie deberent omittere prudentes bellorum Duces. Et cuniculis quidem veluti vetere ac fido expugnandis arcibus tormento, etiamnũ vtuntur vineis adhibitis, certiſſimamque mœnibus ruinam parare ſolent, ſed iam alio diuerſoque à veteribus modo, non ſemper ſub terra, ſed ſæpius ſub dio foſſas apertas faciendo, quas in dextrum ac ſiniſtrum obliquando ac quaſi contorquendo, perueniunt tecti terra eggeſta vſque ad ipſa murorum propugnacula in foſſas. Quo ſanè modò quaſuis fortiſſimas vrbes nunc Henricus Naſouius in Brabantia, & Guſtauus in Germania expugnarunt.

Contraminas deinde faciunt obſeſſi, ſed ſub terra occulti, vt fallant aſtum obſidẽtium; aut etiam ſuppoſito puluere Ducem eorum interimant, vt tentarunt Moſcouitæ cum Sigiſmundus III. Smolenſcum obſideret; ſed deprehenſi à noſtris, cautionem Regi obſidenti dederunt, vt ſæpius deinceps locum ſtationis ſuæ mutaret.

Fueruntolim qui ex humida materia igne

igne ſuccenſo, fumo obſeſſos in cuniculis laborantes ſuffocabant, Alij qui veſpis atque apibus in cuniculum immiſſis magno ibi hoſtes incommodo affecerũt atque varij varijs modis ſuos aduerſarios repulerunt, vti & Aquileigenſes contra Attilam tentarunt, factaq; contramina, in ipſum eggreſſi inciderunt, ſed vultus ipſius maieſtate perterriti, diffugerunt retro, Deo ſic caſtigare ſuos volente, Tyrannuſq; conatu obſeſſorum perſpecto, cautior in poſterum.

CAPVT VII.

De Faciendo aſſaltu.

QVi præter cuniculos vrbem obſeſſã etiam aſſaltu euertere conantur, in primis hoc faciant, vti ſupra in obſidione monuimus, diſpoſiti in coronam; quia ſic diſtracti defenſores minus potẽtes erunt ad reſiſtendum, præſertim cum munitio eſt ampla & vaſta. Nimia etenim vrbium magnitudo, vt obſidendi aſſalendiq; in coronam difficultatem generat, ſic etiam defendendi. Ideo ſicut in quocunque exercitu non nimis, ſed ſatis multos milites deſiderio, ita in vrbibus non nimiam, ſed quæ ſufficiat magnitudinem exopto. Si enim nimis illę exiguæ ſint, operibus ac munitio-
nibus

nibus excitandis, quæ, ſi mœnia fortaſſe aut priora munimenta vi deijciantur, hoſtem arceant, locus eſſe non poteſt. At ſi æquo ſint maiores, maiori egent præſidio, cui alendo vix multa ſufficiũt; nec tam facilè ſibi inuicem ſuccurrere poſſunt milites, tam diſſitas ſortiti ſtationes, vt eſt Patauium, Mediolanum, Verona, aliæq; ciuitates vaſtæ in Italia. Norimberga, Francofurtum, Moguntia, Colonia, atq; Hamburgum in Germania: Nouogardia, Pleſcouia, Moſcouia metropolis in Ruſſia; Louanium in Brabantia, Regimontum in Pruſſia, aliæq; infinitæ ciuitates in Europa munitionibus ad præſcriptum modernum factæ. Frequenter ſiquidem legimus alteram vrbis partem ab aduerſarijs occupatã fuiſſe, neſcientibus & ideo quietis præſidiarijs ac ciuibus, qui agebant in alia vt accidit Neapolitanæ vrbi, cũ eam cepiſſet Alphonſus Magnus, & Bizantio, cum eſſet a Latinis occupata. Euenitq; id olim nobiliſſimæ Aegypti vrbi Memphi, quam hodie Cayrum appellant: illam enim à Selymo expugnatam eſſe poſt tres demum dies incolæ omnes ſciuerunt.

Præterea oppugnationem Imperator de nocte faciat, exemplo, Guſtaui Hornani, qui Conſtantiam vrbem per aliquot dies & noctes ſine intermiſſione

aſſalie-

aſſaliebat; inutiliter quidem, ob preces deuotas piorum qui intus fuere, ſed re- uera ex arte militari, & maximo cum diſcrimine obſeſſorum; qui ea quæ ab hoſtibus parantur, in tenebris cernere nequeunt, ideoq; grauiora & periculo- ſiora eſſe, quàm reipſa ſint, exiſtimant. Vnde & tumultus excitátur, quũ nemo quid in ijs rebus prudentis conſilij det, habeat. Et damnum infectum, iam fa- ctum eſſe pleriq; putãt, nec ſcire poſsũt, quomodo hoſtis vrgeat, aut vbi machi- nis ſcaliſq; admotis inſtet. Quare & ſedi- tiones paſſim clamoreſq; ac trepidatio- nes cum panicis terroribus excitantur, vti fuit Famaguſtæ in Cypro cũ à Tur- cis caperetur, & Smolenſci in Moſco- uia, cũ itidem de nocte expugnaretur à Po onis, quos ferè quadruplo præſidia- rij Moſcorum, numero ſuperabant, ſed tenebris & eiulatu fœminarum cõſter- nati, reſiſtere prorſus non audebant.

Oppugnationem itaque aggreſſurus Imperator, ne milites ſuos vires deficiát, & hoſtis quietem ob oppugnatione non habeat, diuidat in tres aut quatuor par- tes exercitum ſuum, & ſic alijs per vi- ces quieſcentibus, continuo de die & de noctu oppugnet abſq; vlla intermiſſio- ne, vti fecerũt Croatæ & Poloni ad Lo- uanium, cum Gallorum exercitum in ſuis caſtris, vt fame domarent, detinere

voluerunt. Nam obſeſſi etſi ſimili modo per vices, muros, aut vallum caſtrēſe defendent, quieſcere tamen & ſomno vti haud poterũt ob metum in quo verſantur, cogenturque vigilare continuò mentis cogitatione anxij: atque ita curis & vigilijs attriti, res ſuas præ infirmitate defendere non poterunt, adigēturq; facilè ad deditionem. Ita Appium Claudium feciſſe in obſidione Veiorũ, Liuius laudat, qui dicere ad milites ſuos ſolebat. *Per intermiſſiones & interualla, lētiores ſpes noſtras facimus*; quod notatum in illa memorabili obſidione Oſtendæ, vbi, cum Iberorum exercitus tædio ac torpore officeretur, Hollandi adſuſtinēdam obſidionem lenitudine nimia obfirmabantur. Idem accidit & ad Strigonium, & ad Sinderouiam deinde, cum Archidux Matthias, lentè in oppugnatione cum ſuis Germanis procederet, Turcæ autem interim totam prouinciã occuparunt. Prudenter itaque Romani, circumſpectis difficultatibus vrbis obſeſſæ potiundæ, ne fruſtra tempus tererent, celeriter obſiſtebant incepto, aut omnino non oppugnabant.

Quod ſi ciuitas in alto colle poſita eſt, qui eam vi expugnare cupiunt, habeant Labdares ligneos paratos, ne in ſuccedentes deuoluantur lapides rotundi, trabes ſeu columnæ, dolia, verticuli,

rotæ,

rotæ, aut currus ponderibus onerati ſicuti communiſſimè faciunt Moſcouitæ, & omnes Slauones. Vel foſſas latétes ab ipſo montis pede, vſque in iugum montis ducant, vt & pondera proiecta in eas deuoluantur: & aggredientes aſſaltum à ſclopetorum ictu, atque machinarum tonitru, commodè protegantur. Non abſurdum quoque fuiſſet, ad euitãdum grandinem globorum ſclopetis eiaculatorum, vt aſcendentes habeant Parmas, vel teſtudines roſtratas, quibus veteres Romani in oppugnationibus vtebantur: quia multum profectò conducerent tam in plano, quàm in aſcenſu montis abrupti. Item habeant murices ignem artificioſum ferentes, quo vel manu proiecti inhæreãt perietibus, vel tectis, ignémq; concipiant; vel iaculati de longè, quicquid attigerint comburant.

Magnopere quoque profuerit, ſi tubicines vna cum militibus qui primi murum aſcenderint attrahantur. Hoſtili enim tuba noctu de mœnibus exaudita, obſeſſorum animi inſanum percellũtur, quaſi iam vi penitus expugnata ſit ciuitas: & ſæpè portas ac propugnacula deſerentes diffugiunt, vti accidit in capto Smolenſco, vbi dum Regis Sigiſmundi III. labarum Moſcouitæ conſpexere ad ignem, ſonitumque tubarum

in mœnibus à quatuor partibus exaudiuere, ſtatim cæperunt à prælio diffugere: inq; Monaſterium quoddam, loco editiore in media vrbe ſitum, cum liberis & vxoribus concurrere, vbi puluere pyrio ſuppoſito, ne hoſtibus in ludibriũ venirent, igni ſuppoſito, omnes ſimul perierunt.

Etiam curet, qui oppugnat vrbem, per inuia, & paucis cognita loca, eam occupare. Ita obſeſſam à Mauritio Grollam, Spinola liberauit, cum per paludem, quam pertranſiri non poſſe omnes perſuaſum haberent, cum exercitu penetraſſet. Et nouiſſimè Lahsbergam, munitum & magni momenti in Pomerania oppidum, facile cepit Guſtauus, per notas paucis vias, militem ſuum & tormenta deducens. Apud Saluſtiũ quoq; Marius montem ſaxeum, arduũ omnino & acceſſu difficilem, imò, vt fama erat, nullo humano ingenio aut viribus ſuperandum, Liguris vnius, gregarij militis, opera & ductu, per neglectum à vigilibus, ob aſperitatem locum, inuaſit ſimul & occupauit.

Facta denique in vrbem irruptione, portas vrbis obſeſſis ad liberiorem fugã aperiat, tum proclamari iubeat inermibus veniam impetratam; aut armatis nullam ſupereſſe: quibus quidem modis permultæ vrbes æquiorem victoriá hoſti

hoſti præbuere: præcipuè nuper Francoſortum ad Oderam, Guſtauo;cum obuij in aſſaltu, deditionem facerent, remotiores,per auerſam portam effugerent. Alias multoties occidiſſe compertum eſt iſtius modi copias, iam victoriam in manibus habentes, aut repreſſas aut extinctas eſſe; præſertim vbi, vel præſidia veteranorum ſunt, vel vrbis Gubernator gnarus rerum bellicarum, virq; fortis habetur.

CAPVT VIII.

De Propugnatione ſeu Defenſione incluſorum.

QVi ciuitates defendunt. Imprimis caueant ne propugnacula extra vrbem, quæ mœnia non contingunt extruant; ſemper enim ea expugnari continget, quòd loca nimirum capacitatè iuſta deſtituta, ſi tormentorum vim experiri neceſſe habeant, tueri defendique nequeant: interim amiſſa initium & præſagium exitij tui fuerint. Ita Genuenſes per vicinos colles quædam propugnacula diſpoſuerant, cum à Ludouico Galliæ Rege deſeciſſent, quæ poſtmodum expugnata, vrbi ipſæ exitioſæ fuerunt. Similiter cum Syluaducis ab Hollandis obſideretur,

tur,primo propugnaculum Iſabellæ nomine celebre, quod procul à mœnibus eſſet expugnatum fuerat; ex quo deinde tormenta, in ipſam vrbem librabantur, apeò proſpero ſucceſſu, vt ad deditionem vel hanc ob cauſam maximè, ciues fuerint adacti. Pari quoque ratione Magdeburgum à Tyllio fuerat expugnatum cum circumiacentia propugnacula, quæ mœnijs coniuncta non erant,ab ipſo prius expugnata, pro munitione ei aduerſus obſeſſos eſſent.Idem accidit & vercellis nuperrimè cum Hiſpani occupatis munitionibus à mœnijs vrbis remotis, Callos deinde cum ipſa vrbe ad deditionem coegiſſent.

2. *Item arcium propugnatoribus hæc ſit regula, ne intra muros aliud propugnaculum habeant, quod veteres communiſſimè in vſu habebant*: nam prima propugnacula deſerunt defenſores ſpe ad ſalutem in interioribus propugnaculis poſita,vt paſſim in Hungaria atque Moſcouia factitatũ, & vidimus & legimus. Iam autem amiſſa prima propugnacula ſemper arcem ipſam perfundant, cum in ijs propter loci anguſtiam, nulla omnino propugnacula tempore neceſſitatis, extrui valeant; neque commodus ſanè excurſioni locus datur, aut propugnationi cum in coronam ſitaſſaltus ab hoſte.

3. *Et quia frequenter dolum excogitant obſidentes, ac ſimulata deſperatione longius abeunt*. Sed vbi poſt metum, murorum vigilijs derelictis, requieuerit incauta ſecuritas, tenebrarum ac noctis occaſione captata, cum ſcalis clanculum veniunt, muroſq; conſcendunt. Ita Moſcouitis Smolēſcum defendentibus Rex Sigiſmundus III. fecit, cumq; per biennium ferè variè oppugnando, nihil proficeret, notata vna ſentina, per quam feces vrbis in Boryſthenem defluebant, ſimulauit deſperationem, & caſtris conuaſatis verſus Lituaniam proceſſit: nocte autem illuni & obſcura, à quatuor partibus vrbis exercitum admouit, puluere in illa ſentina accenſo, qui murum adeò aperuerat vt integrè cohortes penetrauerint per ruinam. *Quapropter maior ſemper adhibenda eſt cuſtodia, cum hoſtis naſceſſerit, quam cum verſamur ad muros*: & in ipſis moris ac turribus tuguriola locanda, in quibus vigiles, hybdrnis mēſibus, ab imbribus & niue; æſtiuis, deſēdantur à ſole.

4. *Non plures in vrbe præſidiarios habeāt, quam ad eam protegendam ſunt neceſſarij*: citius enim ob multitudinē commeatus conſumitur. Nunquam itaq; Vercingentorigem laudabo, qui in Gallæ vrbe Alexia, cum octoginta millibus obſideri ſe à Cæſare paſſus fuit. Nec pro-

babo Moſcuuitarum factum, qui cum quinquaginta & ſeptem millibus, præter vrbicam plebem, incluſerant ſeſe Pleſcouiæ, à Zamoſcio obſeſſi. Iidem præter ciues, quadraginta millia præſidiarorum habuerunt Smolenſci: & tandem in longum obſidione protracta, decem hominum millia, ſimul expulerunt, media confectos, ad hoſtem. Quos Rex Sigiſmundus III. benignè refocillatos poſtquam in ſua dimiſiſſet, magno commodo deinceps obſidentibus fuerunt, partim annonam comportãdo partim monſtrando inſidias, partim ſollicitando reliquos ad deditionem. Cauenda igitur multitudo in munitione, nam vbi in longum tempus trahitur obſidio, multa deeſſe ſolent obſeſſis, ſi præſertim militũ numero ſunt nimium grauati.

5. *Caueant obſeſſi, ne primo mane portæ inconſideranter aperiantur, verum aliquanto ſerius;* quia facilè luce dubia ex inſidijs ſolent accurrere hoſtes & vrbem intercipere, vti fecerat in Moſcouia Chodkieuicius, qui per dies aliquot in proxima ſylua deliteſcens obſeruabat portas vrbis munitiſſimo loco ſitę, Pieczaria dictæ, quo non erat aditus niſi per vnicum aggerem ad ingreſſum à ciuibus extructum, cum vrbs eſſet ſita in inſula ingentis lacus. Cũ itaque aliquot

cohor-

cohortes mane ex vrbe fuiſſent egreſſæ quæ ChodKieuicij caſtra ſpeculatum ibant, vt paulò longius receſſerunt, ille ex inſidijs conſurgens, luce adhuc dubia ad portam acceſſit, lingua Moſcouitica clamitans vt aperiretur, quod non audentes quaſi reſiſtere multitudini Polonorum, reuerterétur confeſtim, ne ab aggere aliquo modo excluderentur. Vigiles non potentes diſcernere habitum, qui ſimulatus fuit, iuſſerunt expectare mandatum Præfecti vrbis. Interim ChodKieuicius appoſitis inſtrumentis, & puluere, portam effregit & vrbem cũ ſuis intrauit.

6. *Nemo prius emittatur, niſi exploratis locis circa vrbem.* Hac enim via communiſſimè Hungari intercipiunt oppida Turcarum, inſidijs de nocte loco cõmodo poſitis: vnde porta bene orto ſole aperta, ſolent Turcæ equis conſcenſis prius vrbem circumire, notantes veſtigia hominum, licet remoti ſint à confinijs Hungarorum, quod ſi aliqua depræhenderint, cautè ſcrutantur inſidiatores, vrbe tunc benè obſerata.

7. *Vt is, qui vrbi præeſt, portarum cuſtodes conſtituat, qui omnia, quæ in vrbem inferuntur curioſè inſpiciant.* Ne vaſis armati includantur, aut fœno, aut annonæ, quòd ſæpius accidit; & nunc cũ piſces ac olera in munitionẽ Treuiris im-

portarentur, milites occultati ſubtus introducti fuerunt, & vrbs ab Hiſpanis atque Princeps, Elector hoc ſtratagemmate captus eſt. & Breda olim ab Hollādis, & Ambianum ab Hiſpanis intercepta fuere.

8. Imprimis autem vitetur negligētia vigilum; quia ſic maximè capiuntur vrbes, cum per aliquot ſtratagema vigiles ad ſocordiam fuerint deducti Ideo Iphicrates Dux Athenienſium cum præſidio Corinthum teneret, & ſub aduentum hoſtium ipſe vigilias circumiret, vigilem quem dormientem viderat transfixit cuſpide: quod factum quibuſdam tanquam ſæuum increpantibus. Qualem inueni, inquit, talem reliqui. Idē feciſſe dicitur & Epaminundas Thebanus. Domitius verò Caluinus, vrbē quam obſidione cinxerat, indies cum aliqua exercitus parte ambire conſueuerat: obſeſſi igitur perſuaſi id exercitij cauſa fieri, vigilijs neglectis, præter exſpectationem inuaſi atque expugnati fuere.

9. *Vt non ſemper ijdem milites vigilent: aut ijſdem ducibus vigiles vtantur, ſed vt quā frequentiſſimè, rationes vniuerſæ, quæ ad vrbis cuſtodiam pertinent, mutentur.* Hoc nāque pacto, minimè poterit aliquis vrbē exteris prodere, aut ſignificare eis aliquid, aut ab illis quidquam accipere, qui

quidem

quidem neſcient, in qua murorũ parte, nec quibuſcũ ea nocte proditores erunt. Hac ratione Ingolſtadium à Suecis ſeruatum, qui illud acerrimè in ſpem proditionis oppugnabant Hac quoque ratione Rupella à Chriſtianiſſimo Rege Ludouico XIII. expugnata: cùm nemo è caſtris, eius conſilia obſeſſis prodere potuiſſet, ob aſſiduam mutationem vigilum, qnamuis plurimi fauerent incluſis.

10. *Nemo vigilum norit, neque vbi ſtationem habebit, neque in qua vrbis parte vigilabit.* Sic Antuerpienſes faciunt; perq; ſortes à Prætore miſſas, ſtationes in propugnaculis mutant.

11. *Quam plurimos per noctem vigiles collocent, vbi aliquod imminet periculum.* Habeántq; paratas cohortes ante vrbis Præfecti domum, vt ſi quid accideret perturbationis, ſtatim in ſubſidium ſubmitti poſſint. Hoc perpetuò ijdem Antuerpienſes faciunt, licet periculum belli ſit longiùs ab ipſis, & ante Curiam vrbis ſtationes ciues ipſi quam diligentiſſimè peragunt.

12. *In ſingulis ſpecularum locis tres minimum ſtationem agant*, ſed non quos caſus fortuitus obtulerit, verùm ciues benè poſſeſſionati, & rerum bellicarum benè periti; qui eminentiori aliquo loco poſiti ſpeculentur, & è longinquo inter-

uallo igne vel panno aliquo nuncium deferant in vrbem ſic cuſtoditur perpetuò quaſi, tota ferè Italia, ab incurſionibus pyratarum turribus ad littora maris in circuitum diſpoſitis, in quibus tres ordinarie homines vigilant, & dum adnatantes littus barbaros vident, ſignum de nocte igne accenſo, de die verò hædera exporrecta, dant vniuerſis, vt hoſtē aduenire ſciant, & vel ad munitiora ſeſe loca recipiant, vel armis correptis ad littus accurrant, & exceſſionem prohibeant. Multò magis faciendum id eſt in vrbibus obſeſſis; & quemlibet eminentiorem locum tres probatæ fidei viri cuſtodiant, perq; vocem aut ſigna, omnibus incluſi imminens aliquod periculum denuncient.

13. *Maximè verò ad portas delectus cuſtodū habeatur;* vt viri prudentes, ſolertes, benè de re domeſtica conſtituti, quique liberos domi habeant, huic curæ præficiantur; ij non admittendi, qui ob inopiam nomina militiæ dederūt, aut propter aleam, aliudue intemperantiæ genus, æs alienum contraxerunt, quia parum fidei tales habent, & præmijs facilè corrumpuntur: alterius præſertim nationis, religionis, atque linguę.

14. *In primis autem illud inquiratur, an ſit inter ciues concordia:* Quoniam obſidij tempore, ſummum id eſt bonum, ho-
neſto

neſto quodam prætextu emittere velut ad legationem obeundam, aut alia ciuitatis negocia geréda, qui diſcordias miſcet.

15. *Curare quoque debet periclitantis loci gubernator, ne ob cauſam quamcunque vllus iniuſſu ſuo, ex aſſignata ſibi ſtatione decedat.* Cumque obſeſſa eſſet à Roſſenio Antuerpia, edicto conſulari aliquot deſignati fuerunt, qui ad exſtinguenda, ſi quæ fortè orirentur incendia, excubarent: cæteri omnes prohibiti ex loco quem defendendum ſuſceperant, ſe mouere. Et proculdubio actum fuiſſet de vrbe, ſi ciues excitatum à Gallis incendium, reſtinguere ante maluiſſent, quã aſſalientes mœnia milites repellere.

16. *Loca illa curioſius cuſtodienda ſciant obſeſſi, quæ minùs occupari poſſe arbitrantur.* Siquidem multæ vrbes periere, quod ea parte expugnarentur, quæ extra fortunam poſita videbatur. Ita Alexander Magnus rupem occupauit ab ea parte, quæ præcipitio ſuo impoſſibilis ad aſcédendum videbatur. Scipio etiam in expugnanda Hiſpanica Carthagine, Gubernatoris negligentia vſus fuit pro occaſione; dum is qua ſtagnum vrbem alluebat, nihil inde ſibi metuens, nullas excubias, nullos diſpoſuerat deſenſores.

17. *Preterea curet is cui vrbs tuẽda venit*

ne

ne quidquam tumultuariè aut præter inſtitutum fiat, ſed cuique in omnibus actionibus functio ſua certo conſtet. Ergo fœminæ, ſenes, ætate minores, debiliores, infirmi, domi ſeſe contineant, atque robuſtioribus locum cedant, quorũ pars in muros, pars ad portas, pars denique ad loca vrbis præcipua armata ideo diſtribuatur, vt ſi quid præter exſpectationem intra mænia occurrat, harum opera ad id præſto ſit. Pars etiam nulli loco adſtricta ad opem omnibus ferendam, paratam ſeſe exhibeat, quibus ad hunc modum conſtitutis, tumultibus atque perturbationibus vix locus eſſe queat.

18. Vtij apud quos pauoris, nocturno præſertim tempore, initium fuerit exortum, quieti in loco ſe contineant, ne cæteri metu panico conſternati totum iam exercitum hoſtilem, vrbem inuaſiſſe exiſtiment vrbemq; & murorũ propugnacula deſerentes, aufugiant.

19. *Nullos transfugas è caſtris hoſtilibus recipiant*: Nam vel noua ſolent adferre, quibus obſeſſi conſternantur, cum hoſtẽ vel inſigni aliqua victoria, vel nouis auxilij auctum eſſe audiunt. Vel teſſeram excubiarum, modumq; inuigilãdi inueſtigãt, & per ſigna aliqua ad ſuos deferunt; vel militem pręſidiarium, aut Duces eorum corrumpunt, vel deditionem ſuadent; vel aliqua opera ciuitatem

tatem occupant, de quibus rebus infinita exempla in hiſtorijs, ſed & in bellis prҽſentibus, cum obſidione prҽmeretur Hanouia, Briſgoia, Benfeldia, Arx Cóſluentiarum, & reliquҽ vrbes munitҽ, variҽ artes ad occupandum ab obſeſſis fuerunt adhibitҽ.

20. *Vt omnes vrbis portæ, ſint clauſæ, vna dumtaxat aperta, qua difficilimè vrbs aditur, & vnde videri è ſpacio quam longiſſimo poterunt, qui appropinquauerint.* In hac porta, eſto portula ſectitia, vt corpora dumtaxat hominum & quidem ſingula per eam ingrediantur, atque egrediantur. Nam hoc pacto, (adſit modo cuſtos prudens) minimè fallet aliquis, ſiue transfuga exeat, ſiue explorator introeat. Totam verò portam aperiri iumentorum, & plauſtrorum cauſa, maximè eorũ quҽ fœnum afferunt, periculoſum.

21. *Fraudem omnem caueant, nec egrediantur extra mœnia.* Ita enim Cimon Athenienſis, nocte concubia in fanum quoddam extra mҽnia ignem immiſit, & cum ciues ad incendium reſtinguendum vrbem negligerent, eam ſubitò occupauit. Alij prҽſidiarijs, qui frumentatum exierant circumuentis, ſuoq; milite horũ veſtibus coperto, prҽſidiarios mentiti ar cibus potiti ſunt.

22. *Eruptiones cautè faciant.* Romani qui in prҽſidio Panormitanorum erant,

venien-

veniente ad obſidionem Haſdrubale, raros ex induſtria in muris poſuerunt defenſores; quorum paucitate contempta, cum incautus muris ſuccederet Haſdrubal, eruptione facta ceciderunt eum. E contra Turcæ à Germanis Budæ in Hungaria obſeſſi, cum incautius in Germanos de nocte erupiſſent, à Polonis leuioris armaturæ in id conſultò excubantibus, omnes ferè intercluſi & cæſi, vix poſtea mœnia tutati ſunt.

23. Auxilia ad ſuccurrendum ſubmiſſa, caute recipiant. Multi enim Ducũ auxilia obſeſſis appropinquare compertum habentes, militem ſuum ementita auxiliorum facie, & ſignis eorum in locum ſubmiſerunt, ijſq; ex errore intra mœnia receptis vrbe potiti ſunt. Ita olim Chiouienſium Dux Vlodimirus, Dreulanos occupauerat in Alba Ruſſia. Et nuper in Italia, Mantuam, Colaltus Comes, quæ vrbs ferè inexpugnabilis videbatur: ementito itaque Venetorum auxiliorum nomine, cum teſſeram eorum proclamaſſent, noctu in vrbem fuerunt intromiſſi Cæſarei milites, qui eam ſtatim occuparunt.

24. *Præſidia ſua in ſubſidium alijs non dimittant, licet hoſtis abſceſſerit à mœnibus.* Ita enim Pyrrhus vrbem quandam populoſiſſimam in Dalmaiia occupauerat: ſimulauerat etenim ſe ad expugnáda ea deſpe-

deſperaſſe, & conuerſus fuerat ad alia loca occupanda; id autem eo animo fecerat, vt oppidani his auxilia ſubmitterent, atque ea ratione diſtractis hinc inde præſidiarijs ipſi occuparentur. Idem fecit & Scipio cum Hiſpanias exercitū duceret & quaſdam arces præſidijs Carthaginenſium nudare cuperet. Simulauit itaque aliquoties ſe illas oppugnatas quidem velle, ſed metu non ſolum ab obſidione abſtinere, ſed etiam propterea exercitum inde ſe abducere. Hannibal ergo illum vere metuere arbitratus, quo maioribus cum copijs inſequeretur, præſidia illa ad ſe euocauit: qua re cognita Scipio per Maſiniſſam arces illas haud difficulter occupauit.

25. *Cautè emittant & recipiant nuncios,* ne vel nunciorum nomine decipiantur, vel hoſtis cognoſcere poſſit quid vlterius cogitent obſeſſi. Iagello Rex Poloniæ, obtenta de Crucigeris victoria Grunenaldenſi, cum Mariæburgum lenta obſidione teneret, dedit licentiā ſeni cuidam ſacrificulo ab obſeſſis diſcedere ob infirmitatis cauſam. At hic inter ſuppellectilem ſuam, ſexaginta millia aureorum exportauit, militem in ſubſidia conſcripſit, & frumentatum eūtibus Polonis, valde moleſtus fuit, vt pœniteret eos aliquando ſacerdotio aut

ſenili

ſenili ætati honorem habuiſſe. Nonnulli vt cautè litteras ſuas tranſmitterent, ſiquidem eis homines emittere non liceret, per columbas epiſtolas ſuas, vti ſupra ſcripſimus emittebant. Hirciuſq; Conſul Romanus, dum Brutum de omnibus certiorem redderet, aſſuetis certis in locis cibo columbis, epiſtolas ſeta ad collum religabat, eaſq; à propinquo inquantum poterat mœnibus loco emittebat, illę lucis cibiq; auidę (nam eas incluſas ante tenebris & fame affecerat) altiſſima ędificiorum petentes excipiebantur à Bruto.

27. *Monſtrent ſe abundare ijs rebus, quæ eis deſunt.* Romanis cum à Gallis Capitolium obſideretur, in extrema iam fame panem in hoſtem iactauerunt: conſecutiq; vt abundare comeatibus viderentur, obſidionem donec Camillus ſubueniret tolerauerunt. Idem feciſſe dicuntur Pomerani aduerſus Polonos in obſidione Naclenſi, lardum in ſubeuntes proijciendo & caſeos. Hi verò qui Caſilini ab Annibale obſidebantur, ad extremam famem perueniſſe crediti, cũ etiam herbas alimentis eorum Annibal ſępè arato loco, qui erat inter caſtra ipſius & mœnia, pręriperet, ſemina in pręparatum locum iecerunt; conſecuti vt habere viderentur, quo victum ſuſtẽtarent, vſque ad ſatorum prouentum.

Eodem

Eodem deinceps ſtratagemate, à diuerſis vndique Regibus obſeſſi Gandenſes, ſalutem & pacem obtinuiſſe feruntur.

27. *Obſidionem conſtanter ferant.* Vti fecerunt Romani, qui pacis mentionem quantumuis fortuna iniquiſſima ſæpiùs pugnaſſent, nunquam admiſerunt; imò agrum in quo caſtra Annibal habebat, defuncto ſortè domino, venalem ad id precium licendo perduxerunt, quo is ager ante bellum venierat. Atq; adeo obſtinato vbiuis animo conſpiciebãtur, vt ad defendendam vrbem ſuam, ne illum quidem militem, quem in agro Campano habebant, ſauocari paterêtur. Nam eodem tẽpore, quo Roma ab Annibale premebatur, Romani Capuanos obſidebant. Eodemq; tempore ſupplementum exercitibus quos in Hiſpania habebãt, diuerſa porta miſerũt ex vrbe, oſtentandæ fiduciæ gratia, cum Annibal mœnibus aſſideret. Non minore obſtinatione & Hollandi vrbes ſuas defendebant patrum noſtrum memoria: cumq; Hiſpani Harlemum & ſtrictiſſimè obſiderent & pertinaciſſimè oppugnarent, Kennaua militaris animi fæmina quinquagenaria, mulierũ propugnantiũ manipulum ipſa collegit & regebat, & cum ijs auſa pro mẹnibus munia militum obire, interq; ſclopetarios caſtra Hiſpanorum laceſſere, quamuis ſupremis duobus

bus menſibus adeo fame premerentur, vt mures, feles, coria, calceos, & quæuis obſcena deuorare fuerint coacti, nullo tamen modo ferociam deponere voluerunt, certi in confertos hoſtes irruere, pugnanteſq; mori potiùs, quam tradita in vrbe pecorum more iugulari. Eadem obſtinatio & ferocia fuit Sancerranæ ciuitatis in Biturigibus, & eodé ferè tempore, vbi triennis puella, vt teſtatur Thuanus, paulò ante mortua atque humata, à parentibus ipſis, deteſtabili exemplo, refoſſa deuorataq; fuit. Lugdunenſes verò Batavi, condicionibus ad deditionem ab Hiſpanis prouocati, priuſquam fame domarentur, reſponderunt. Alimenta ſibi non defutura, donec læuum brachium reſtaret: hoc eſuros, dextro ad libertatem reſeruato.

25. *Cauendum quoque ne litteris fictis nomine ſui Principis decipiantur ab hoſte:* vti accidit Georgio Fronsbergio, Bredam pro Hiſpano defendenti, qui dum gliſcente indies, ob ſtipendia non exſoluta, militum in vrbe diſſidio, fidũ hominem ad Ioannem Auſtriacum Belgij gubernatorem miſiſſet. Feſtinaret opem: ſuos implacabili ſeditione diſcordes, obſidionem non vltra laturos. Fæderatorum duces capto nuncio cũ literis, eius loco ſubmiſerũt alium, excuſato prioris nuncij

nuncij morbo, reſpõſum quaſi Auſtriaca manu compoſitum ferentem': dederet honeſtis conditionibus vrbem quod ſubſidia expedire & nummos in præſẽtia promptum non eſſet. Fides literis adhibita, & Fronsbergius contra fidem captus, à proprijs militibus, in poteſtatem hoſtium traditus fuit.

29. Porrò & hoc defenſorem vrbis ſcire velim, *nihil hoſti animum ad occupãdam vrbem tantopere addere; quam ſi nouerit, obſeſſos bello non aſſuetos, animoque inde alieno eſſe*. Nihil ergo intermittat, quod ad terrorẽ iſtiuſmodi hominibus incutiẽdum facere poſſit. Contra obſeſſi, ijs partibus quæ ab hoſte oppugnantur, fortiſſimum quemque præficiant, quorum animus non terriculamentis, ſed vi armiſq; expugnari queat. Nam ſi primus hoſtium conatus irritus fuerit, inde non parum animi obſeſſis accedet, quos poſtmodum, tam virtute, quam exiſtimatione ſuperare neceſſum erit. Quodſi verò primo aſſaltu repulſus hoſtis obſidionem ſtatim ſoluit, attẽtiſſimi obſeſſi ſint in omnia, de nocte pręſertim, ne reuerſo illo fortè ob negligentiam vigilum intercipiantur, vt accidit Moſcouitis Starodubũ defendentibus, quos cũ Tarnouius primo aſſaltu expugnare nõ potuiſſet, ſimulauit ſe ſtatim à mœnibus eorum recedere. Moſcouitæ, vti gens eſt in ebrie-

ebrietatem prona, pulſatis tota die ob lætitiam campanis tandem Baccho indulgerunt, Tarnouius verò qui Poloniam verſus retroceſſerat, de nocte cum toto exercitu reuerſus Vrbem vi magna oppugnauit, ignem iniecit, atque intra horas aliquot expugnauit.

CAPVT IX.

De Defenſiode oppidanorum cum hoſtis irruperit ciuitatem.

QVid facere debeant oppidani, ſi hoſtis irruperit ciuitatem, multi rerum bellicarum periti, diſquirunt, cum omnium tunc metu perturbentur animi, nec eſt qui conſilium dare, aut capere poſſit. Innumerabilibus attamen declaratur exemplis, ſæpè cæſos ad internecionem hoſtes, qui inuaſerant ciuitatem. Quod ſine dubio euenit, ſi opidani muros ac turres obtinuerint, vel altiora loca occupauerint. Tunc enim de feneſtris ac tectis omnis, ætas ac ſexus irrumpentes obruūt ſaxis, alijſque generibus telorum. Quod ne ſuſtineant, obſidentes portas ciuitatis aperire conſueuerunt, vt reſiſtere deſināt, fugiendi poteſtate conceſſa. Neceſſitas enim quædam virtutis eſt, deſperatio in hoc caſu. Senenſes, ciuilibus olim diſcordijs

ſcordijs inglorij; tot turres priuatis in ædibus ædificabant vt inuaſores deſuper ſaxis deuolutis, atque baliſtis emiſſis obruere potuiſſent. Moſcouitæ, quod caſas ligneas inhabitent, ſolent plateas vrbis, cum hoſtis eas occupare cæperit, domibus tranſuerſim poſitis ſubitò occludere, hoſtemq; ſic incluſum de feneſtris varijs miſſilibus interficere. Atque ita ChodKieuicium Pieczarijs intercluſerant, cum inopinato ſuperuentu, pauciscum cohortibus occupaſſet: vnde pluribus amiſſis, vix ipſe eluctatus eſt. Germani autem catenis ferreis, quas in id ſemper paratas habent, occludunt vicos omnes, foſſaſq; extemporaneas faciũt aut trabibus in id paratis ante, vias obſæpiunt, quod eſt omnium vtiliſſimum. Arabes & Mauri propter hoc ſolùm, vt quam facillimè ſerari poſſint, vias in ſuis ciuitatibus ſtrictiſſimas faciunt, vt ſi hoſtis vrbem caperet, ſtatim eum miſſilibus & contis è feneſtris opprimere queát. Expertus hoc malũ Alphonſus Magnus in Africa, cum Gerbim expugnaſſet & Ioannes Tarnouius Polonus, cum à Rege Luſitano Emanuele, contra barbaros in Africam miſſus Arzilam cepiſſet. Aegyptij verò abſque tectis domus habent (eo quod nullæ ibi pluuiæ decidant) ſe à tabulatis ita inſternunt, vt per domorũ cacumina, tanquam per vias patentes

incedere

incedere poſſint. Quapropter ſaxis, & trabibus deſuper hoſtem plateas vrbis occupantem opprimunt, Turcaſq; cum Cairum cæpiſſent per duas ſeptimanas ita aſſiduè interimebant, vt Selimus ex vno vico in alium die noctuq; bellum promouendo, vix non fuerit eiectus de quadringētis millibus ſuorum militum parte longè maiore amiſſa. Et paulò ante in eadem Eegypto in ciuitate Maſtura ſexcenti Galli fuerunt occiſi ſaxis de tectis, qui ad liberandam terram Sāctam ducebātur à Roberto fratre S. Ludouici Regis. Paucoſq; ante annos idem infortuniū expertus eſt Sabaudiæ Dux, Geneuæ: cuius milites licet vrbis iam bona parte potiti eſſent, ſic tamen ab oppidanis, & præſertim ruſticanis, qui ciuica in domo excubabant, oppugnati fuere, vt quotquot ſcalis in vrbem penetrarant, ad internecionem vſq; fuerint deleti. Adeo verum eſt, quod Dionyſius Halicarnaſſeus ſcribit. *Vehemens res eſt neceſſitas & extremum periculum ſatis eſt ad induendam audaciam, ſi cui non eſt innata.*

Proinde, licet hoſtem mœnia aliquādo ſuperare contingat, nondum tamen obſeſſis omnis ad ſalutem via, modò ne ipſi ſibi deſint, intercluſa eſt: ſiquidem multoties accidiſſe compertū eſt, iſtiuſmodi copias, iam victoriā in manibus habētes, aut repreſſas, aut extinctas fuiſſe

Cui

Cuj quidem rei non parum confert, vt obſeſſi altiora petant, vti ſupra innuimus, atque è turribus & domibus ſtrenuè pugnent, prout ante paucos annos fecerunt Poloni, Smolenſci à Moſcouitis obſeſſi, è quorum caſtris cum Galli ac Germani turrim vnam occupauiſſent vallumque deinceps ac muros expanſis ad terrorem obſeſſorũ vexillis ſuis conſcendiſſent omnes ad deditioné voluntariá inuitando, alias armatis & reſiſtere conantibus nullam ſupereſſe ſalutẽ: ita ab obſeſſis excepti fuerunt: vt non tantùm de muris eos detruſerint, verùm turrim etiam, quam occupauerant, exploſis in eam omnibus tormentis, in vno inſtanti cum hoſtibus proſtrauerint: factaq; excurſione per portas, quingentos ferè captiuos ſecum in vrbem abduxerint. Sed qu a non ſemper vi vrbes capiuntnr, verùm proditione quoque interdum; ideo de proditoribus etiam aliquid adſcribamus, qui in rem tuam fideliter agunt, & ad victoriam conferunt.

CAPVT X.

De Proditoribus Vrbium.

PRoditoribus fides & promiſſa ab Imperatore ſeruanda ſunt: quia

leuiſſimi atque inconſtantis imò perfidi hominis eſt, facto non implere, quod iam ante pronunciaſti. Non ſunt imitandi Turcæ, quorum Tyrannus Solimanus I. cum Rhodum capere nequiuiſſet, filiam ſuam proditori in vxorē, & certas in Aſia prouincias, in dotem promiſerat: eumq; opera cuiuſdã, maximo cum damno totius Chriſtianitatis vrbe potitus eſſet, & ille præmium promiſſum audentius poſceret, reſpondit, ſe libentiſſimè præſtiturum, ſed cum lege, quod filia ſua Machometana, & ille Chriſtianus eſſet, irritum per leges Machometi matrimonium foret; ſed ſi ea vult potiri, exuat primo cutem baptizatam; poſtea ſuccreſcente noua, circūcidat ſeſe ritu Machometano, tum demum nuptias parabit; Atque ſic infelicem hominem, & tot animarum proditorem, excoriari iuſſit. Reliquos verò omnes proditores, quorum opera in Hungaria vrbes intercipiebant Turcæ, interimerunt, tametſi ſui incolumitatē pepigiſſent.

Tu autem Imperator Catholice, qui tua ſponſione eiuſmodi farinæ hominibus aligatus es, proditori fidem ſerua, & quæ promiſiſti præmia exſolue, ſic enim plures habebis, & faciliori negocio per eos, vrbes ac prouincias lucraberis, vti nuperrimè faciebat Guſtauus. Poſtquã

etenim

etenim ſibi hoſtium partes amplectentibus, gratiam haberi perſpexerint animos ad ea beneficia conuerterent ſuos; conterraneiſq; ſuis perſuadebunt, vt in tuam poteſtatem ſeſe vltrò dedant. Vndequiſquis proditori dat, munus accipit potiùs, quam confert, & prompta hac ſua liberalitate, ciuitates emit atque ciues. Et hinc ferunt Hiſpanos, plura in ſtipendia, quibus proditores in omnibus penè ſtatibus alunt, quàm in milites impendere. Lucrum enim ſe exiſtimant facere, ſi ſecuritatem ſuam, quocumque tandem modo obtineant, ab ijs, qui ſunt ſibi infeſti: & quibus vel patria minus eſt cordi, vel naturalis ingenij torpor intentionem ipſorum & artes penetrare non ſinit. Non igitur ij prœmia ſoluunt, quòd dignos exiſtimet, ſed vt aliorum animos hoc lenocynio ſe ducant. Proditionem amant, non proditores, quos cum amplius eorum opera non egeant, communiſſimè contemnunt.

Quod ſi verò tu, in exercitu tuo, quędam conſilia tua hoſtibus prodere noueris, operepretium feceris, ſi ea, quæ facere minimè cogites, tanquam facturus ipſi concredideris, quod quidem hoſtem ad ea tentanda pelliciet, quæ tibi ad victoriam multum conferre poſſint. Caueãt ergo ſibi obſeſſi, ab hominibus,

quorum fides inter ſuos ſuſpecta ſit; quos quidem tam præmijs, quàm pęna in officio continere ſolemus. Sic Marcellus, Lucium Baucium Nolanum, Hannibalis partibus fauentem, tam liberaliter ac comiter habuit, vt eum ex inimico ſibi amiciſſimum redderet. Hannibal è cõtra, quo caſtrum quondam Romanorum occuparet, hac ratione rem adgreſſus eſt: ſolebat quidam præſidiariorum venationibus vacare, hũc itaque ſubornauit, vt metu hoſtium ſimulato noctu potiùs, à venatione, quàm interdiu reuerti vellet; atque ſic milites ſuos ſecum introduceret, qui interfectis excubijs, portá occuparent.

Vt igitur concludam, Solemne eſt vbique proditionem amare, odiſſe proditores ob exemplum. Sic eos qui Luſitaniam prodiderunt, nullo, quamuis promiſſo præmio, dignatus eſt Hiſpanus, ſic alij alios: Melius tamen facies, ſi eis fidem ſeruabis, quia plura lucraberis, pluresq; eorum opera ad te trahes.

CRPVT XI.

De Ciuitbtibus ſubactis.

Svbactæ prouincię, aut vrbes, ne fidem fallant, dent obſides victori. Ita faciebant Græci; ita & Romani, qui

Friſijs,

Friſijs, Cattis, Parthis, innumeriſq; alijs populis obſides iniunxere. Sciebant quippe non facile quempiam aliquid contra eos auſurum, in quorum poteſtate chariſſima ſua, & Patriæ pignora sũt. Nec deuictis tantùm Regibus, aut gentibus, neceſſitatem illam impoſuerunt Cæſares, ſed etiam amicis, quorum opera ſeruiente iam Repub. in bello, aut alibi ijs erat vtendum. Intellexerat hoc benè Guſtauus, & bellum contra Polonos exorſus, cum Metropolim Liuoniæ Rigam in partes traxiſſet; ab Elbingenſibuſq; deinceps in Pruſſiam euocatus fuiſſet, ab vtriſque, obſides ſexus vtriuſque, liberos ciuium in Sueciam miſit, & ſic fideliore opera harum duarum vrbium toto bello vſus erat. Sciebat enim ex Hiſtorijs, quòd vſitata veterum Principum hæc praxis eſſet, non belli tempore tantùm, ſed & pacis. Et in Macedonia adulti Procerum liberi, Regi tradebantur, ad munia, haud multum ſeruilibus miniſterijs differentia: quo inſtituto Alexander domita Thracia Aſiam petens, ne fortaſſis occaſione abſentiæ ſuæ, deuicti nuper Principes ad ingeniũ redirent, & procul ſe agente rebellione res ibi turbarent, omnes conſpectioris ingenij, quos animus vel auctoritas ſuſpectos fecerant, vel occidit, vel per ſpeciem honoris ad commilitium ſecum traxit:

ſegniores, à quibus periculum nõ timebat ad tutelam Regni reliquit, relictiſq; plebeis præfecit. Ita in Germania quoque idem Rex Guſtauus fecit, Saxoné, Luneburgenſem, Vaimarienſem, Haſſium, alioſq; conſpectiores Principes, ne facti eos pœniteret, per ſpeciem honoris ad commilitium ſecũ traxit: ſegniores, fœdere implicauit & loca munitiora ab eis pignoris loco extorſit. Stetinũ, Berlinum, Torgauiam, & reliqua. Ciuitatibus verò liberis, quaſi defendere ſeſe, aut parum ſcirent, aut omnino non potuiſſent, valida præſidia impoſuit, & nonnullis caſtella ad coercendam inſolentiam plebis, firmiſſima erexit: futurus dominus omnium ad libitum, niſi Fato ſuo præreptus fuiſſet. Idé & Gallia fecit; & legationis ſpecie è ciuibus nonnullos reliquit, nonnullos militiæ munere extra patriam detinuit; quoſdã ſimpliciter exulare iuſſit, quoſdam perduellionis cauſa punitos pronunciauit; reliquos amicitiæ ſpecie, & communis periculi reſpectu, in bellum traxit, firmioraq; vicinorum loca ſuis præſidijs muniuit, Suſam, Pinarolam, Caſaliam, Mantuam, ac reliqua. Hoc ipſum fecere & alij Principes, faciuntq; perpetuò Hiſpani, quo melius res ſuas ſtabilire valeant. Et ex eis Federicus Albani Ducis filius, ſeueritatem patris imitatus,

tatus, cum Harlemum in Hollandia fame domitam cepiſſet, omnes qui ſuperer ant præſidiarios, cum opidanis, qui fame nondum perierant, continuato multorum dierum ferali ſpectaculo, aut ferro, aut laqueo, aut demum aquis enecabat, vt ſubactam ciuitatẽ eò facilius ac ſecurius retineret. Sed peſſimo exẽplo. Melius Zamoſcius, qui poſt expugnationem VieliKoluKorum, habebat inter alios captiuos, matronas quoque Moſcorum aliquas honeſtas, quas capta Neuelia dedititijs donauit, vt eas ſecũ in Moſcouiam abducerent; quod pudicitia earum in tanta itineris longinquitate, ac militum multitudine, magna cuſtodia & ſumptu indigeret. Mirabãtur Moſci, ac vltrò fatebantur, ſe eius ætatis atq; formæ matronas noſtris redituros non fuiſſe. Quod autem hoc Zamoſcius fecerit, honore ipſarum, & pudicitia in integro conſeruata, non mirari ſe, quod etiam fortunam vbique proſperam haberet. Idem Derpato in Liuonia recepto, cum in arcem regiam diuertiſſet, & interea puluis in aula Epiſcopali ſuppoſitus à Moſchis, qui eũ recta eò diuertere, putarunt, ignem concepiſſet, hoſtibus vrbe decedentibus fidem ſeruauit nec fraudem in ſe commiſſam vllo modo Vlciſci voluit.

Si quæ ciuitates igitur Imperatori ſeſe

dediderint, comiter ac ciuiliter regendę ſunt. Sic enim & aliæ fortaſſis ad deditionem adducentur, vt ſcribit de Alexādro Magno Curtius. *Saccæ, inquit, miſere legatos, qui poll cerentur gentem mandata facturam. Mouerat eos Regis non virtus magis, quàm clementia in deuictos Scythas: quippe captiuos omnes ſine pretio remiſerat, vt fidem faceret ſibi cum ferociſſimis gentium de fortitudine, non de ira fuiſſe certamen.* Qui verò cum primum vrbe aliqua potitus eſt, ſeſe illi acerbum ac moleſtum exhibet, aut ciuium facultates diripiendo, aut ciues ipſos interficiendo, pulſandoue, aliarum quoque ciuitatum animos ita ab alienat, vt & bellum per difficile, & victoriæ ſpem deſperandam præparent. Ita dum Machometes II. Albam Regalem in Hungaria expugnaſſet ciueſque omnes crudeliter necare iuſſiſſet, omnes poſtea ciuitates & arces Hungarorum in ſubſequentibus bellis ad extremum vſque ſpiritum ſeſe defendebāt, nec amplius volebant ſeſe clemētiæ Tyranni committere. Nihil enim magis generoſas mentes erigit ad fortiter ſe ſuaq; defendēdum, quàm malorum impendentium metus, & ſimilis alienæ miſeriæ perferenda calamitas. Semperq; malorum poſt deditionem exſpectatio, obſtinatum ac perpugnacem in periculis animum efficere ſolet.

Et

Et quia toties ciues effuſos per vrbem hoſtes exegerunt, aut in arcem munitiſſimam ſeſe receperunt, rurſuſque nouos labores, ac nouam oppugnationem facere, victorem exercitum coegerunt. Idcirco Imperator curet, ſi vrbem aliquam florentem ceperit, per preconem edici. Non occiſum iri inermes. Et ſic plurimi arma deponent, qui ſoſpites eſſe volent, & ſupplices obuiam vltrò procedent clementia prouocati.

Quod ſi tibi in ciuitatibus aut prouincijs ſubactis, fides quorumdam ſuſpecta ſit, quos in officio continere velis, nihil ſalubrius erit, ſi ſunt potentes quam apud ipſos conſilia tua, ſed à mente tua quàm alieniſſima deponere, atque auxilia eorum tanquam longè aliud acturus, petere: omiſſa enim defenſionis ſuæ cura, quòd nimirum de tuo in ipſos animo nihil videant, quod ſuſpicentur, facilè tibi viam aperient, qua deſiderio tuo ſatisfacere poteris. Et dum paratiores ex ipſis ad reſiſtendum abibunt, tu aut arcem extrues in vrbe ipſorum, aut præſidium tuum collocabis, quod vel inuitos deinceps in officio continebit. Similiter ſi velis, vt muros demoliantur, aut maior ipſorum numerus exulet, curandum eſt vt ij à te primùm circumueniantur, qui reſiſtere poſſent & ita, ne perſentiſcant detrimentum iſtud ad

ſingulos pertinere; quia ſic concitarent totam plebem, quæ in deſperationem verſa, potiùs mortem oppetere vellet, quam patriam ſuam, vel deformari vel ſpoliari viris illuſtribus. Vnde Guſtauus frænum vrbi Francfortenſi, quam commodiſſimnm eſſe putabat, ad retinendũ Imperium, inijcere cupiens, arcem in illa aperte extruere non audens, ne vel plebs pro libertate tumultum faceret, vel aliæ Imperij liberæ ciuitates, hoc exemplo territæ, eum intra muros ſuos recipere recuſarent, petijt locum ſibi aſſignari ad extruendum palatium Reginæ, quam fidei ſuæ pignus apud illos manere perpetuò vellet. Poſtmodum palatium illud inſtar caſtelli Antuerpiẽſis communiri intendebat, vt vrbi dominaretur, ſed præmaturus ſuus obitus, omnia infecta reliquit.

Quapropter, ſi id quod exequi cupias vno eodemque momẽto conficiendum ſingulis imperetur, multo melius ſuccedet, quo dum ſinguli arbitrantur pœnam iſtam ad ipſos ſolos pertingere, ſpe auxiliorum abiecta, promptus imperio obtemperent, atque adeo abſque ſeditione voluntati tuæ pareant. Turcæ hac in re deſpoticè procedunt, ex ſubactis ciuitatibus & prouincijs alio ciues trãſferunt; mercatores præſertim & Principes inſigniores. Idem faciunt & Moſchi

niſi

niſi quod Turcæ nobilitaté totã penitus exſtirpant, ne ad rebellionem alios concitent, Moſcouitæ verò pauperiores in in ſuis agris relinquunt, ditiores verò in meditullium transferunt. Tu aliter qui verè Chriſtianus es, benigne omnes excipe, & promptiores, ad ſubleuationem comiter in alia loca, Europæorum Principum more, transfer: vel ſub prætextu officij & adminiſtrationis alicuius, vel ſub prætextu militiæ, & dignitatis eminentioris, remotius à ſuis patriotis colloca. Ita Alexander Magnus fecit, & præſtantiſſimos Thracum Græcorumq; ſecum militatum ire in Aſiam pręmijs adduxit, homines verò nullius pretij, reliquis prepoſuit: atque ea ratione, tam principum animos muneribus deuicit, quàm plebem in officio continuit, vtpote cui Duces ſeceſſionis deeſſent. Publius verò Valerius fidem Epidamnenſium intutam arbitratus, publicam omnium præteritorum veniam ad certum extra mœnia fanum edixit: pupulo itaque eò vndique confluente, ille portis obſeſſis, neminem eorum, niſi cuius integritaté perluſtraſſet, in vrbem deinceps admiſit. Sed hoc cum iniuria dedititiorum. Tu fac omnia clementer, & omnes fideles tibi habebis. Sed iam dubia principaliora in re bellica examinemus.

INSTITVTORVM Rei Militaris.

LIBER OCTAVVS De Dubijs circa rem Militarem.

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum expediat ipſum Principem ire ad Bellum?

INtereſſe Principes pugnæ, an ſeponi melius foret, multi dubitauere: quia periculum illinc, hinc verò infamia & cõtemptus naſcitur. Quodque non debeat ire in perſona ſua, præcipuæ rationes ſunt.

Prima. Quia raro in Principibus reperiuntur qualitates optimi Ducis; vnde potiùs turbabit Præfectos copiarum præſentia ſua, quam iuuabit, in reſolutione præſertim pugnę, aut executione operum; quæ, ne appareat imbellis, & contemptibilis fiat, pro libitu ſuo diſpo-

nere volebit, non pro occaſione, aut ne-
ceſſitate. Ideo Iuſtinianus Imp. omnia
bella commiſerat Ducibus ſuis, Narſeti
videlicet, atque Beliſſario, ne ipſe impe-
dire videretur progreſſum tantorum vi-
rorum, per quos liberauit Italiam à Got-
tis, Africam à Vandalis, Orientem vni-
uerſum à Perſis. Scytaſq; ac Parthos te-
nuit ſemper à frœno, ipſe Conſtantino-
poli perpetuò manens. Similiter Caro-
lus Sapiens, vel ob id ipſum ita cogno-
minatus, quòd continuò Brugis reſidés,
per Duces ſuos tota Gallia Anglos eie-
cerit, curſumq; rerum ſuarum, temerita-
te & inſcitia rerum militarium non im-
pediuerit. Idem fecit Philippus Maria
Inſubrium Dux, qui domi ſuæ aſſiduè ſe-
dens, & Genuenſium Reinpub. florentiſ-
ſimam tunc, ſuo imperio ſubiecerat, &
Alphonſum Magnum, glorioſiſſimum
ea tempeſtate bellatorem in Europa, ca-
ptiuum cum quatuor eius fratribus ha-
bebat, & totius quaſi Italiæ arbiter, non
modo vicinis ſuis, ſed tranſalpinis etiam
populis terrori fuit. Quid de Ferdinan-
do II. dicam? qui Viennæ continuò ma-
nens, omnes ſuos aduerſarios deuicit.
Suecum, Anglum, Danum, Saxonem,
Brandeburgicum, Tranſyluanum, Gal-
lum, Mantuanum, Venetos, reliquoſ-
que omnes, qui arma contra ſe ſumpſe-
rant, aut facta rebellione ſanctiſſimum

Imperij ſui iugum excuſſerant. Quod ipſum & armatæ noſtri conſiderantes, duos in Regno ſupremos bellornm Duces crearunt, duos verò Campeſtres, ſeu eorum legatos; vt vterque poteſtate æqualis in caſtris præeſſet, in Polonia, alter, & alter in Lituania, Rege ipſo in Regni meditullio reſidente, & bellorũ neceſſaria tempeſtiue in partes omnes illis subminſtrante.

Secunda. Quia Principis id officium requirit, requirebatq; à prima ſua inſtitutione, vt in vrbe metropoli reſidens, ad omnes partes inuigilaret, omnia, prouideret, omnibus iuſtitiam adminiſtraret; pręſertim ſi regnum ei latius obueniret, aut cingeretur ab inquietis vndique vicinis. Quod obſeruabant veteres Romanorum Imperatores, qui perpetuò in vrbe manendo, per Duces ſuos bella adminiſtrabant, ſuppeditando eis per omnia loca maturè neceſſaria ad victoriam. Idem faciunt nunc Moſcorum Magni Duces. Idem Chinenſes Reges, atque Magnus Chan Tartarorum, qui nuſquam reſidentias ſuas, vel grauiſſimis bellis derepentè turbati, deſerere ſolent, niſi recreandi animi cauſa ſedibus ſuis egreſſi.

Tertia. Quia maieſtatem ſic ac venerationem apud omnes ſibi conciliat, dũ non turbatur motibus bellorum, nec

terrore

terrore vllo excitatur ad ſuſcipiendam expeditionem. Subditiſq; ſuis ſic immotus permanens animos addit, & mõſtrat ſe inuincibilem cunctis. Ita Ioannes Presbyter. Ita Rex Monomotapa, qui omnia cum vicinis bella per Duces ſuos gerunt, ipſi verò pro maieſtate in loco ſolitæ reſidentiæ ſuę perpetuò manent, cum opinione inuincibilis.

Quarta. Quia tutius videtur, vt Princeps dubijs pręliorum exemptus ſummę rerum & imperij ſeipſum reſeruet: nam in milite vnius ſors eſt, in Principe, Regni vniuerſi periculum eſt. Periculum itaque vitare debet, ne morte ſua totum deinde imperium in confuſionem det, vti acciderat duobus florentiſſimis Regnis ſimul, Poloniæ atque Hungarię, Vladiſlao Iagellonide à Turcis, ad Varnam in Thracia occiſo: præſertim quòd vtrumque Regnum iam tunc electiuum Regem haberet, & vicinos populos ſibi infenſos percircuitum Iam autem quanta cõfuſio, quanta animorum diſſenſio interregni tempore ſoleat eſſe, nimirum hoſte potentiſſimo cum victore exercitu imminẽte, nemo tam imprudens eſt qui non videat; & quem in ſimili caſu, non perturbet interitus prędictorum Hungarorum, qui paucis poſt annis Rege Ludouico ad Mohatziũ amiſſo, partim ab Auſtriacis, partim

partim à Turcis oppreſſi fuerunt; nec in hodiernum caput attollere poſſunt.

Incontrarium dicunt, qui maſculum animum gerunt, & maſculos Principes habere volunt: duces populorum, non Sardanapolos, aut fœminas delicatiſſimas.

Primo. Quia illo præſente diligentius omnia à Ducibus ſuis exequuntur. *Inſpirant enim* inquit Hiſtoricus, *Præſentia ſua robur & vires militi*. Vnde tritum illud. *Vrget præſentia Turni*. Et Antigonus olim trepidanti gubernatori (in naualiprælio contra Ptolomæi Duces) & multitudinem hoſtiliũ nauium cauſanti. *Me verò ipſum*, inquit, *præſentem cum quot comparas*? Et ſic ipſimet nunc vidimus ſub Ferdinando II. bella contra Suecos diligenter quidem geri à Ducibus, felicius tamen, à Filio Ferdinando II. cum à patre miſſus ad Norlingam conflixiſſet, peragi notauimus: quia multa in abſentes & dici, & ſtatui ſolent, quæ in præſentes nemo auderet. Auctoritas enim illa, quæ homines coram tuetur & commendat, ſi eos contingat abeſſe, minimo etiam aduerſariorum conatu plerumque ſubuertitur, maximè ſi recens adhuc ſit, & nondum ſatis confirmata. Ferdinandus autem III. cum Sereniſs. Infante Carolo Cardinale coniunctus, non robur modo Ducibus ſuis & ani-

animum, ſed viresetiam & audaciam, militibus præſentia ſua inſpirauit, obtinuitq; victoriam de aduerſarijs inopinatò, qui in Guſtauo Hornio, ipſum Guſtauum Regem Sueciæ, excitaturi videbãtur. Ideo plerique Galbæ Romanorum Imperatori ſuadebant, vt auctoritate ſua, & præſentia, deficientes ad Othonẽ milites ad officium reuocaret. Et ob hanc potiſſimum cauſam Ottomanidæ ſedem Imperij Conſtantinopolim tranſtulere, vt nuper acquiſitę Græciæ præſentes ſecuritatem inducerent, & pacifice ea potirentur. Potentiſſimuſque Chinæ Rex, ob vicinos Tartaros Zagataienſes, quorum vires maximè ſuſpectas habet, vt plurimum in proxima prouincia Nanquienſi agit, vt difficultatibus, ſi quæ fortè exoriantur, facilius occurrat.

Secundo. Quia ad bella procedens, maiorem apud exteros reputationem, apud ſubditos verò auctoritatem habet, cum omnes vident eum, non Sardanapalum eſſe; ſed virum fortem, & ſtrenuũ bellatorem Qualis habitus fuit Stephanus Rex Poloniæ, qui deſuetam quaſi, longa quiete ſub Auguſto nobilitatem, à bello, Moſcouiticis expeditionibus ita exercitauerat, vt nominis Poloni fama ab eo tempore, longè lateque propagari cæperit. Quod ipſum conſiderans, poſt

diutur-

diuturnam pacem Auguſti Imperatoris, nobiliſſimus ille Romanorum Germanicus, in omnibus ſuis expeditionibus, id quod arduum in bellis eſſet, ſibi deſumebat cum ſuis legionibus Romanis, cętera auxiliaribus copijs, atque legatis permittebat vt glorię poſſeſſio directè ad ipſum, & ciues Romanos ſpectaret.

Tertio. Quia minore ſumptu bella peragit. Subditi enim proprijs eum ſumptibus ſequuntur, vt eius gratiam ſibi eo magis aucupentur: exq; ſuis poſſeſſionibus commeatum militibus ſuppeditant. Illo inſpectante, alacrius pugnant: & per omnia diligentius procedendo, bellum citiùs conficiunt, quòd longo tempore protractum, ingentem conſumeret pecuniam per adminiſtros. Ita dum in Polonia Rex ipſe in perſona ad bellum procedit, medietatem exercitus communiſſimè è cohortibus Procerum habet, qui proprijs ſumptibus, vel ipſimet Regem in caſtris comitantur, vt gloriam quęrant; vel filios ſuos mittunt, vt meritum habeant. Quos ęmulantur ciuitates, & ditiores mercatores, vt nobilitatem aſſequantur, & prętogatiuas equeſtres. Atque ita dum omnes in commune conſulunt, & Principis perſonę ſecuritatem faciunt, & vniuerſę Reipub. commodant, dum tempore breuiſſimo, hoſtibus repulſis, bellū conficiunt.

Quarto.

Quarto. Quia ſic ſubditos ſuos ad gloriam excitat. Ita enim natura comparatum eſt, vt quo in populo, multi pręclari, virtuteq; & rerum geſtarum gloria inſignes Reges floruerint, ibi exemplo concitati & ſubditi eorum veſtigia, ſimili in materia, cupidiſſimè proſequãtur. Cum Principum ſiquidem moribus atque inſtitutis, priuatorum hominum ſenſus, & cuſtodia congruere, manifeſtiſſimum eſt: qui ſimili in materia, cupidiſſimè proſequantur. Cum Principum ſiquidem moribus atque inſtitutis, priuatorum hominum ſenſus & ſtudia congruere manifeſtiſſimum eſt; qui ſi bellicoſi, & glorię cupidi ſunt; ſubditi quoque haud imbelles & ſtupidi erunt; ſed ad famam & immortalitaté Regum ſuorum exemplo, quam maximè contẽdent. Re ipſa declararunt hoc Galli, ſub Franciſco I. Aragone ſub Alphonſo Magno. Cermani ſub Carolo V. Perſę ſub Iſmaele Sophio, alijq. diuerſi populi, ſub Regibus ſuis, à quibus velut à perenni quodam fonte, bonorum malorumque omnium torrens, in vniuerſos ſubditos prpmanat; vnde vel felices, vel miſeri omnium fiunt.

Pro deciſione igiturdu bitationis pręſentis dico per diſtinctionem, communiſſimam Politicorum opinionem ſequendo. *Cum ea ſit conditio Principis, vt*

præci-

præcipua rerum ad famam dirigere debeat, æquum eſt, non niſi tuta, & cum certa gloria coniuncta ſibi ſumere: ardua, periculoſa, ancipitia, legatis permittere: vt ſi cœpta non ſucceſſerint, non Principis infelicitas, ſed miniſtri imprudentia videatur. Quod per concluſiones ſic deduco.

Prima. Princeps ad bellum ipſe eat, ſed ad illud, quod de lege & conſuetudine patriæ, requirit pręſentiam illius. Quemadmodum ſit in Polonia, vt dum potentię aduerſarij non ſufficiunt copię ſtipendiarię, vniuerſalis, pro defenſione Regni, toti nobilitati indicitur expeditio, quę omnino requirit pręſentiam Regis: quia aliter nobilitas non tenetur ire in caſtra, quamuis agatur de ſalute totius imperij, ſed ſtipendiario milite repellitur periculum per Duces belli aut Palatinos illius Dynaſtiæ, in qua motus oboritur, vltrò ad defenſionem accurrente pręcipua nobilitate, vt accidit in Pruſſia, Guſtauo per mare adueniente: & in Alba Ruſſia, Moſcouita Smolenſcũ intercipere volente.

Secunda. Princeps ipſe ad bellum eat, ſi bellum graue eſt, & agitur de ſalute totius Imperij. Sic contra Crucigeros Vladiſlaus Iagello, ad Gruneualdum ipſe in acie ſtetit. Et contra eoſdem ad Choiniciam filius ipſius Cazimirus. Alterque filius eius Vladiſlaus, pro defen-

ſione

ſione Regni Hungarici, in Bulgaria ad montem Emum. Alijq; bellicoſi Reges alibi, pro regnorum ſuorum tuitione. Nam vbi minus periculi eſt, ibi per Duces ſuos, omnes ferè Principes bella peragunt.

Tertia. Si Rex qualitatibus boni Ducis præditus eſt, nec amiſit vigorem illum per ætatem, quem in iuuenta habebat, poterit ipſe ad quamuis expeditionem ire, licet minus indigeat perſona ſua, ſed vt gloriam quærat, quàm à teneris concupiuit. Ita Xabbas paucos ante annos defunctus Rex Perſarum, quamuis octogenarius iam eſſet, ipſe tamen omnes expeditiones bellicas in perſona ſua obibat, omneſq; caſtrenſes exercitationes, ad exemplum ſuis militibus peragebat. Et extrema iam ferè ætate Ormuſum Hiſpanis, Turcis Babyloniam ademit: cum antea Scythis Cataienſibus, & Magno Mogori, vicinis ſuis, diu armis grauis fuiſſet, & totam ferè ætatem in caſtris conſumpſiſſet. *Ibi*, inquit Tacitus de Germanis loquens, *cum ventum in aciem, turpe Principi virtute vinci: turpe comitatui virtutem Principis non adæquare. Iam verò infamem in omnem vitam ac probroſum ſuperſtitem Principi ſuo ex acie receſſiſſe; illum defendere, tueri, ſua quoque fortia facta gloriæ eius aſſignare, præcipuum ſacramentum eſt. Principes pro victo-*

victoria pugnant, comites pro Principe.

Quarta. Non eſt tamen neceſſarium, vt Rex ipſe prælio interſit; ſufficit vt acies diſpoſitas videat, & in loco munitiore conſiſtens, ſubſidia laborantibus ſubmittat. Ita faciunt Turcarum Tyranni ita omnes reliqui Principes, præter temerarios nonnullos, qui vltrò & volentes in prima acie ceciderũt: quemadmodum Sebaſtianus Rex Portugalliæ Seriphus II. Rex Feſſę: & nuper Guſtauus Rex Suecie. Quod ſi verò ſtatus imperij, aut ſalus totius exercitus in diſcrimine vertatur, debebit Princeps ſeſe aciebus pugnãtium immiſcere, vel cum periculo etiam ſuo, & animos laborantibus ſuis addere. Ita Franciſcus I. Rex Galliæ ad Ticinum in Italia vbi & capi ab hoſtibus maluit, quàm turpi er fugiẽdo ſuos deſerere. Ita Alphonſus Magnus in pugna nauali cum Genuenſibus, apud Capuam, vbi ſubueniendo ſuis, ipſe captus fuit. Ita Vladiſlaus Iagellonides in prælio cum Turcis apud Varnã, vbi ſubuenire laborantibus cupiens, ipſe in acie ſpiritum effudit. Cæterum minora ſuorum pericula; vt & minora bella, minoribus Ducibus deleganda cenſeo, præſertim vbi bellum longè extra Regni fines geritur.

Quinta. Rex non debet relinquere Regnum ſuum, vt aliud cum periculo acqui-

acquirat: ne fortè illo abſente, aut alius à tergo regnum inuadat, aut ſubditi ab aduerſario corrupti aduerſus eum tumultuentur, aut denique ſeditioſi bellum inter ſe ciuile excitent. Quod ſi relictus Regni gubernator ſolium ipſe inuadat? aut redire cupienti, hoſtis iter præcludat? maximè in mari. Quod Ottomani conſiderantes, nuſquam per maria nauigant, Galliarumq; Reges tot malis exerciti, extra Regni ſui fines nunc nõ progrediuntur, ſed per Duces ſuos bella maritima gerunt. Et veteres Perſæ, vt ſcribit Herodotus, Reges ſuos ad bellũ ire non permittebant, niſi conſtituto vicario, com titulo Regis.

Verumenimuero non continuò tamẽ ab expeditionibus Principem abeſſe volo, præſertim ſi bellum geritur in confinio, vel in metropoli ſuæ ditionis: ſi verò in longinquis oris, tum videndum eſt, an eo profligato locus eſſe poſſit, quò vel ſe recipere vel exercitum inſtaurare poſſit. Si enim eiuſmodi careat loco, ſatius eſt aliquem ſummæ rerum præficere, ipſo interea domi manente: maximè ſi ſucceſſore aliquo & hærede, qui ſuis & publicis rebus ſupereſſe poſſit, careat. Alias eat ipſe in expeditionem belli; ſed cum maior emolumenti ſpes, quàm damni metus oſtenditur, vt Cæſar Auguſtus inquiebat Nam quamuis laudem

dem meretur Imperator, qui fortunæ ſe non ſubtrahit, niſi planè afflictæ, nec ſe fugientium ducem, ſed pugnantium eſſe demonſtrat. Tamen aliud aliquando à Principe, aut illo, in cuius ſalute ſalus Reipub. ſita eſt, aut eſſe putatur, agi debere exiſtimo. Vti enim illum à pugnæ diſcrimine, ſi ſacra ancora ſoluenda, & ad incitas ſpes reliqua redacta ſit, nolo abeſſe: ſic ſi iſto forte prælio victus, non frangendus ſit omnino, ſed nouis ſe iterũ viribus inſtruere poſſit, ſuadeo vt neceſſitati pareat, & iniquitatem fortunæ declinare malit, quam prouocare; quod cum non feciſſet Ludouicus Hungariæ ad Mohatzium, ideo cum ipſo Regnum Hungariæ perijt.

QVAESTIO II.

Vtrum expediat ipſum Ducem belli immiſcere ſeſe pugnæ.

NEmini ſanè dubium eſt, exercitum quamuis inſtructiſſimum, ſi Duce careat, excœcato ab Vliſſe Polyphemo, ſimilem eſſe omnibus penè omnium iniurijs obnoxium. Proinde non immeritò militares doctores dubitant, debeatne exercitus Imperator fortunæ ſeſe committere, atque ipſe manus cum aduerſario conſerere, militibuſque ſuis exem-

explo fortitudinis præire. Qui negant, his maximè rationibus innituntur.

Prima. Quia ex caſu illius toti exercitui periculum imminet: vt enim ſublato gubernatore, nauis vniuerſa cum ipſis vectoribus in hoſtium poteſtatem venit; ſic occiſo, aut capto, aut demum incluſo in aliquo loco hoſtilium copiarũ Duce, non raro vniuerſum etiam exercitum in tuam redigis poteſtatem. Ita Ioannes Foxius oblenta de Hiſpanis apud Rauennam inſigni victoria, dum fugientes nonnullos inſequeodo à peditibus intercceptus occubuiſſet, omnia quæ poſſederat pro Rege ſuo in Italia, ſimul cum ſpiritu amiſit. Nam Iberi duce occiso ita ſtatim animos reſumpſerant, vt afflictis variè Gallis, tota illos Romania atque Aemilia, vix vno menſe exacto eijcerent. Ludouicuſque Naſſouius in Mochenſi pugna, dum fugam circumſpectantibus ſuis, ſelecto cum agmine aduolat, & prelium redintegrat, interceptus ab Hiſpanis occubuit, totumq; morte ſua exercitum perdidit ij

Secunda. Quia id munus & officium ſuum recuſat: *Ipſum nomen Imperatoris*, ait Quintilianus, *ſatis ſignificat non exigere manum ipſius, imperare enim debet, & præcipere.* Quod probè conſiderans Dux Albanus, nuſquam ſe immiſcuit pu-

gnæ, ſed à longè eminentiori è loco proſpiciens, ſubmittebat cohortes, vbi periclitari ſuos videbat. Nam licet præſtabilem fortitudinis operam nauare poſſet, præliando ipſe Imperator, non tamen tantùm ſuis pugnando proderit, quantũ occumbendo, aut negligendo munus ſuum oberit. Quemadmodum etenim nauem in periculo eſſe contingit, cum gubernator relicto gubernaculo, nauticis remigum operis ſeſe immiſcet: ita & in exercitu, rem vniuerſam in maximum adducit diſcrimen Imperator, cum conſilia ſuis & ſubſidia in periculis dare negligens, ad militaria munera ſe transfert; cum eius præcipuum munus ſit, ordines ſingulos obequitare, adeſſe periclitantibus, gnauos ſtrenuoſq; laudare, ignauos ac pauidos increpare, cunctantes excitare, imminutis ordinibus milites alios ſubſtituere; quoſdam etiam ſi opus ſit, traducere; ſuppetias ferre laborantibus, ac opportunitates, momenta, euentus, obſeruare. Igitur non qui manus in prælio conſerit, ſed qui multa conſulto prudenterque imperat, ſatis illuſtrem rebus benè geſtis adipiſcetur adoream.

Tertia. Quia perpetuò inglorius eſſet ſi non attendendo ad munus ſuum, & exercitum perderet morte ſua, & patriã, quam nihilominus, iniqua etiam fortu-

na

na preſſus, potuiſſet iuuare iterum & conſilio, & opera. Thæbanorum Reſpub, propterea perijt, quod Epaminondas Dux ipſorum, temere ſeſe pugnantibus immiſcuiſſet, & cecidiſſet in acie; qui licet exercitum tunc perdidiſſet, ſi tamen ſuperuixiſſet ipſe, facilè potuiſſet reſtaurare Rempublicam. *Etenim Dux illæſo*, inquit Polybius, *ac ſaluo, etiamſi aliquando reliqua cuncta cadant, multas tamen occaſiones fortuna ſubminiſtrat, quibus detrimenta ex calamitoſis euentibus accepta reſarciri poſſunt: ſi ille verò, perinde ac in naui gubernator ceciderit, etiamſi reliquæ multitudini fortuna victoriam aduerſus hoſtes largiatur, nihil tamen inde commodi prouenit, propterea quod omnis omnium ſpes à Ducibus pendet.*

Quod autem debeat ipſe manus cum hoſte conſerere, rationes ſunt. *Prima*, Omnium cordatorum Imperatorum conſuetudo, Alexandri Magni, Iulij Cæſaris, Hannibalis, Scipionis, Alfõſi Magni. Et apud nos, Boleslai Chrobrij, Criuouſti, Audacis: atque ex recentioribus Oſtrogij, Tarnouij, ChodKieuicij, Koniecpolſcij, Potocij.

Secunda. Immortalis gloria apud poſteros: nam qui prudenti ratione adminiſtrarunt bella, fuerunt penè infiniti; qui autem per ſe auderent ſubire pericula, & cum alijs militibus æqualiter in

aciem deſcendere, omnino pauciſſimi. Hinc Cicero dicit, *A viro virtus appellata eſt: viri autem propria maxime eſt fortitudo, cuius muneris duo maxima ſunt, mortis, dolorisque contemptus.* Mortem autem quotuſquiſque eſt, qui non extimeat? etiamſi ſibi honores, laudes, famam; & gloriam neſcioqualem in mundo, animo proponat?

Tertia. Exemplum militibus datũ; Animoſiores enim efficiuntur in pugna, cum Ducem ipſum præire vident; & vt ipſum conſeruare poſſint, mortem ſubeunt alacrius, & in quæque pericula ruunt. Hinc ChodKieuicius ætate noſtra periculoſiſſima quæque ſolus aggrediebatur: & vbi confertiſſimos hoſtes acerrime pugnare conſpexiſſet, eò ſe audaciſſimè immergebat, periculaq; ſua eſſe, non militum volebat. Quinimo prius ad Chotimiam cum Turcis ipſe ante cohortem ſuam in prælium deſcendit, cum totis viribus caſtra noſtra oppugnarent, & ita exemplo ſuo omnes accendit, vt non expectato iuſſu ipſius vltrò in barbaros ruerent, & volentes pro eo ipſi in acie caderent, Ioannes quoque Auſtriacus olim, dum ſubrueret muros vrbis Philippopolis in Hannonia, & vrbis defenſores excurſionem in ſubruẽtes acerrimã feciſſent, ipſe in foſſam deſcendens, nullam aut Ducis aut militis

partem

partem omiſit, tàm in pugnando, quàm in opere faciendo. Item Alexander Farneſius, vti ſub Duce Auſtriaco militás immiſcere ſeſe pugnæ aſſueuerat, (nam & in nauali prælio primus Triremim Turcicam, cum gladio ancipiti aſcendit, & ferociter pugnauit; & in prælio Gemblacenſi primus ipſe cum hoſte manum conſeruit, & cum ſua cohorte inuectus erat) ita ſupremus Belgij Gubernator conſtitutus, nuſquam cum hoſte congreſſus eſt, vt non & ipſe quoque rem manu cum eo ageret, aut ad oppugnandas vrbes primus procederet, licet prohibitus toties à ſuis militibus: atque ita ſemper, & ductu & exemplo ſuo, vbiq; victorias acquirebat.

Conclusio. Omnium opinione determinata, Imperatorem non debere ipsũ manus cum hoſte in prælio conſerere, niſi exercitus planè periclitetur, & res ſuas Imperator in periculum venire viderit: tum enim adeſſe debet periclitantibus, & nullum conſtantis Ducis, aut fortiſſimi militis officium omittere. Aliter periculum ſequeretur ingens vniuerſo exercitui, quia vti ſublato gubernatore nauis plerumque vnà cum vectoribus in hoſtium poteſtatem incidit: ita ſummi Ducis cædes, vel fuga, vel omiſſum officium, vniuerſum ſæpè exercitum calamitati exponit. Exemplorum plenę

ſunt Hiſtoriæ. Sed vnicum hic addam. Pugnante cum Perſis ad Arbella Alexã dro, non pugna, inquit Curtius, ſed cædes erat, cum Darius currum ſuum in fugam vertiſſet, & Maſæus feliciter ante cum Parmenione, qui læuum Macedonũ cornu tuebatur, confligens, ſtatim eo nũcio accepto animum abiecit, & perculſis iam Macedonibus languidius cæpit inſtare, donec dato fugæ ſpacio ipſe ſe quoque eriperet. Ita cadente quoque Duce, aut non prouidente ſubſidia, aut denique non attendere quid vbique & in omnibus locis agatur, etiam fortiſſimè pugnantes diffugiunt, cum diligentiam Imperatoris non vident. Ideo Caſtriotus, quem Scanderbegum Turcæ vocabant, in quocumque conflictu partis aduerſæ Imperatorem maximè petebat, affirmare ſolitus, non dubitare ſe, quin, ſi caput tolleretur, cætera etiam membra ſua ſponte corruere, & in vno facilè poſſe vinci milites vniuerſos.

QVAESTIO III.

Vtrum expediat Ducem eſſe perpetuum?

DIu olim continuata imperia, diu mandata vni munera ac publicas dignitates fuiſſe tradit Ariſtoteles, ſed id olim. Poſt, & ab illo repræhenſum, & ab

ab illo repræhenſum, & à multis id emẽ datum fuit, Nunc quid ſentiendum ſit, quærunt politici: præſertim in poteſtate belli, cum eo prorſus ingenio homines eſſe videant, vt poſtquam multum temporis in poteſtate tranſegerint patrijs moribus haud quaquam ſibi viuendum ducant. Proinde qui perpetuos Duces eſſe volunt, has potiſſimum rationes adferunt.

Prima. Quod electus ſemel ad imperium caſtrenſe, ſciens ſe cito de gradu dignitatis deijci poſſe, turbas moueret ne poſſet deijci: quia qui ſemel imperandi dulcedinem deguſtarunt, priuatã vitam paullò magis plerunque quàm animæ à corpore ſeparationem horrent, & priuatæ domus anguſtias vt crudele patibulum abominantur. Ita Iulius Cæſar ſemel Dictator appellatus, nuſquam iam imperium deponere voluit. Et Coſmus Medices patriæ ſuę gubernator conſtitutus, Principatum fecit, & ſuis ſucceſſoribus in hæreditatem dedit. Melius itaque eſt, vt ſint ſecuri poteſtatis ſuę, & nullas turbas in patria, nullas ſeditiones in exercitibus faciant, ſed ſuo muneri intenti viuant.

Secundam. Quòd perpetuò regimine authoritatem ſibi apud omnes comparabit, nec facilè militem inſoleſcere ſinet, qui parui temporis pręfecturam

contemnere aſſueuit, & tam diu tumultuari in caſtris; donec nouus præficeretur Imperator. Si itaque bellica præfectura parui temporis fieret, non illis coaleſceret inueterata vis nec milites breuiſſimo defuncturos imperio præter fas amarent, aut timerent quos tantopere ſuſpiciunt dum æternos eſſe credunt; tã læto animo pericula ſubeunt, dum præmia ab ipſis & promotiones in dignitatibus bellicis ſperant, & ſecuri gratiæ ac fauoris, promptius omnia iuſſa exequuntur.

Tertiam. Quod aſſiduo vſu bellandi, maiorem rerum militarium peritiam aſſequantur, varijſque caſibus exerciti, diuinam quandam prudentiam obtineant, qua deinde & hoſtibus ſunt terribiles & Reipub. per quam vtiles. Quales hoc ſæculo fuerunt Naſſouij apud Hollandos, & Marchio Spinola apud Hiſpanos; qui ſi Ducem Albanum non amouiſſent à gubernatione Belgij; quis ſcit ſi non ille ſopiſſet tumultus iſtos qui hodiedum etiam durant?

Quartam. Demum rationem addunt, quòd nimirum apparatus bellicos & inſtrumenta militaria diuturno regimine affatim ſi comparaſſet: quod facere nequit, qui breuem militiæ Præfecturam habet; nec enim ſumptus illi ſufficere poterunt, ob exiguitatem ſtipendij:

nec

nec ille in res eiuſmodi expendere volet, quas breui deſerturum ſe credit. Et ſic dum omnes eodem honore potiri ſtudent, nullus ea curat, quæ illo aſſecuto, ad vſus bellicos ſunt neceſſaria. Quid ſi duo ſimul erunt electi? & ad vnùm bellum, quamuis diuerſis in prouincijs deputati? vti frequentiſſimè in Polonia accidit, vbi & ſummus militiæ præfectus creatur à Rege, & legatus illius, Dux Cãpeſtris vulgò appellatus. Similiter alij duo in Lituania qui ad vnũ bellùm Moſcouiticum ſimul conuerſi licet diuerſis à partibus miſſi cũ neceſſitate cogente in vnum conueniunt, & odia inter ſe exerceat communiſſimè, & nullus eorum procurat belli neceſſaria, cum quiſq; ſuum honorem exaugere ſtudet, & commodum priuatum quęrit. Libuit hic inſerere, quod Ariſtoteles ſcripſit apud Spartanos olim duos Reges fuiſſe, quo pacto ſumma quidem penes vtrũq; minor penes ſingulos poteſtas fuit, ſed perpetua vtrique, & ideo ſecura illis, ac ſalutaris Reipub. Quod ſi quis fortè in ciuilibus negotijs non repręhendat; in bello certè omnino damnandum eſt. Nec in Polonia ſemper Campeſtres Duces, etſi vicarij ſummorum Pręfectorum, vſquequaq; obedientes ipſis fuere, pręſertim opibus & claritudine generis illuſtriores, aut rebus per ſe geſtis Prin-

cipi ac populo gratiores. Adeo enim eiuſmodi viris nobilium ſtirpes apud nos accedunt, ſpe, conuictu, manſuetudine, comitate atque liberalitate captæ, vt deinde vel in Regem promiſſam fidē exerceant, non modo in ſummum militię Imperatorem. Hinc apud Liuium lego *Tres Tribuni poteſtate conſulari documēto fuere, quam plurium imperium bello inutile eſſet, tendendo ad ſua quique conſilia, cum alij aliud viderentur, aperuerunt ad occaſionē locum hoſti*. Et apud eundem. *Agrippa aduerſus Equos cum Quintio miſſus, illi omne imperium conceſſit, nihil in adminiſtratione magnarum rerum ſalubrius eſſe affirmans, quā ſummam imperij eſſe penes vnum*. Sed vtrū iſte debeat eſſe perpetuus, iam affirmātium rationes audiuimus, nunc negaatium attendamus.

Primum. Quòd vel ab vxore vel ab affinibus in longa adminiſtratione ſeduci poterit, vt opum aggregandarum, non militię curam habeat, ditandorumque ſuorum liberorum cauſa, vel cum hoſte etiam amicitiam ineat: vel quod ſæpius accidiſſe legimus, cum ciuibus ſeditiones, faciat, & Rempub. atque Principem opprimat. Exempla in vtroque, tam Romano, quam Græcanico Imperio. Sed & Mediolanenſibus idem à Franciſco Sfortia accidit, qui diuturno regimine, ciuibus non nullis in partes ſuas tractis,

Prin-

Principem ſe Inſubrię, ex Pręfectomi-litię fecit. Frequenterque optimè de ſtatu aliquo meriti, malè mereri aſſueſcunt, ab vxoribus aut conſanguineis ſeducti. Hinc ciuilis ſępè & militaris gloria quę in cælibe viguit, languet in marito, cũ liberorũ iá, nõ verò bellorũ curã agat: & igneus ille pro patria ardor, quaſi cum vxore quartana grauatus, aut friget, aut fauet inimico, cum ab auaritia internè exagitatur. Pluresque hoc ſeculo noſtro, coniugum blanditijs & amicorũ perſuaſionibus, vt rem ſuam domeſticã curarent, expugnati, minus hoſti nocuerunt, quam poterant, vt ſeſe ditarent; vel apertè tranſierunt in partes, vt deſideratum honorem adipiſci, commodumque maius aſſequi poſſent. Vnde grauiter Romani peccarunt, quod Cęſari de Gallijs triumphanti in quinquennium imperiũ prorogarunt, qui legionibus Reipub. non contẽtus, priuato ſumptu alias addidit, & pleno paſſu de S. P. Q. R. vecordia triumphans, ad exoptatam diu Monarchiàm contendit. Quapropter in nobiliſſima illa oratione, quam apud Dionem legimus, ſuadet Auguſto Mæcenas, vt magiſtratus non minus triennio, (niſi delinquant) nec vltra quinquénium munere fungi permittat, ne citò amoti ſpecimen eius quod didicerunt, reddere non poſſint; diutius verò re-

tenti, res nouas moliantur. Ob hanc cauſam Epidaurij quoque arcis ſuę præfectos diuturnos eſſe noluere, vt rerum nouarum auidos, imperij breuitas in officio contineret. Venetorum magiſtratus ſedecim menſium ſunt, Genuenſium Dux, tribus annis. Lucenſium vno menſe: ne de libertate periciltentur. Et Florentię aliquando cautum fuit, ne Reipublicę vexillifer in perpetuum crearetur, ſed annua eſſet illa dignitas. Regnum Aſſyrium ad mille annos ſtetit inconcuſſum, non aliam ob cauſam, quam quod militię Pręfecti quotannis mutarentur. Nec aliam ob rationem in Imperio Gręcanico, tot bella ciuilia inter ipſos Proceres, totque Ducum conſpirationes contra Imperatores exortę fuere, quàm quod ijdem ijſdem exercitibus, Romanorum Imperatorum exemplo, perpetuo preeſſent. Quod conſpicientes maiores noſtri Sarmatę, nuſquam bellorum Duces perpetuos habuerunt, Poloniæque coronati iam Reges, ad tempus Duces exercitibus præficiant. Primus Ioannes Tarnouius, à Sigiſmũdo I. perpetuus exercitutum Dux creatus fuit, in Lituania verò à Iagellone Rege ſtatim. Radiuillus Nicolaus I. perpetua militiæ præfectura donatus erat, alias omnes reliqui ante iſtos, ad tempus bel-

lis

lis præficiebantur. Etſi verè rationem ponimus, non aliam magis rem libertatem Romanorum euertiſſe inueniemus, quàm imperij, vti dixi, prorogationem. Quid enim aliud Sullas fecit & Marios, quàm tot mandata bella, totque Conſulatus exiguo interuallo? quid Decemuirorum inſaniam aluit, quàm perpetua contra mores patrios prorogata poteſtas; quid Cæſarem tyrannum, & patriæ libertatis inuaſorem fecit, quàm perpetua contra leges Dictatura, Hinc facilè inducatur ratio.

Secunda. Quòd perpetua belli Præfectura potens effectus tenuiores ciues opprimet, & tyrannidem in eos exercebit, ſi alias totam publicam rem occupare non poterit; præſertim ſi eius ambitioni in aſſequendis alijs in Repub. honoribus non fauebunt, aut poſtulatis in conuentibus ſuis prouincialibus non parebunt, vti in Polonia ſæpius euenire aſſolet. Hinc Romani habentes Pompei potentiam ſuſpectam ob diuturnum Imperium, quòd rebus vbique proſpere geſtis, Reges ac gentes varijs ſibi priuilegijs obligaſſet, ne priuata ſorte non contentus altiora ſpiraret, eorumq; fauore, & clientũ auxilio, quos beneficijs ſibi deuinxerat Répub. inuaderet, noluit Senatus illius acta confirmare; iuſſitque priuatum è caſtris in vrbem redire: vt cum beneficio fruſtratos, & potentiam

exercitum à Pompeio abalienaſſet, ipſe intra Optimatum conditionem, & priuatæ vitæ ſpatia, nitentis ad alta animi curſum & vires cohiberet. Eorum exẽplo nunc Veneti, cum Archithalaſſum, claſſi ſuæ pręficiunt, ad tempus tantùm modo, & quamdiu Senatui viſum fuerit, authoritatem illi concedunt. Cum autẽ diſplicuerit, vnica ſolùm triremi redire in vrbem iubent, ſub pæna capitis, & cõfiſcationis bonorum, in tergiuerſantes, Præclarè itaque apud Senecam latro pronunciat. *Nihil tam vtile, quam breuem poteſtatem eſſe, quæ magna ſit, non enim tàm facilè nocere poſſunt, qui paruo tempore regũt, quàm qui magno*: Iam verò hominum ea conditio eſt, vt raro ſua ſorte contenti ſint: multiq; ideo nihil noui audent, quia viribus deſtituti aliquid ſe obtinere poſſe deſperant. Vires autem, & ſequaces, dat diuturnum imperium.

Tertia. Quod vno ſupremum belli regimen poſſidente, reliqui in deſperationem verſi, militare exercitium negligent, & caſtra deſerent: qui alias ſpe cõcepta, ſe quoque aliquando in ſimili dignitate futuros, arma & inſtrumenta bellica maturè ſibi pararent, clientes cõquirerent, militem iuſtruerent, ſeſeque ipſos rebus in omnibus quàm diligentiſſimè informarent.

Quarta. Quod perpetuum magiſtratũ

gerens

gerens amoueri non poterit, ſi aut negligens, aut imperitus, aut deniq; infortunatus erit; quare illius cauſa tota Reſpub periclitabitur, quæ Duce mutato, poſſet & fortunam ſuam mutare, prout tot exẽpla Carthaginenſium, Græcorum, Romanorum nos docent. Breuis autem Præfectura poterit facilè omnium excitare induſtriam, corrigere ignauiam, aut detegere inertiam; qui aut naturę vitio minus ſubtiles, & loco quem ſuſtinebant impares, aut ad faſtum tantũ & turpiſſimam ſui oſtentationem facti, vel nihil in rebus bellicis intelligere poterant, vel Principis temeritate prouecti impoſitum ſibi impar onus, recuſare non audebant.

Quinta. Quod ætate & curis confectus lecto potius adhærebit, quam bellis ac periculis inuigilabit; interim verò patria militem indiſciplinatum habebit, & per legatos illius parum rerum militarium guaros cladem patietur, & amiſſionem vrbium, aut prouinciæ alicuius, vti nobis Sarmatis ante annos aliquot accidit. Quia in viris etiam bellicoſiſſimis ſpiritus cum ſenio exſtinguntur & viuacitas illa ignita, emoritur in heroibus cum ætate, quod fidem facit in Lu ullo, Pompeio. C. Mario, alijſq; infinitis Ducibus antea glorioſis, in quibus vigor ille animi & vehementia, qua in iuuenili ætate flore-

florebant, euanuerat cum progreſſu tẽporis. Iam autem qui caret animoſitate, bella gerere cum efficacia non poterit, quia impoſſibile eſt, vt duce ceruo, milites fiant leones.

Vltim, & omnium fere veriſſima. Quòd ſecurus potentiæ ſuæ ad vitam, licet neſcio quo ſacramento obſtrictus, & Principis mandatis circumſcriptus, leges patrias contemnet, militem ſcribet, bellã vicinis inferet, hyberna diſtribuet, annonam imperabit; quibus iraſcetur per eorum poſſeſſiones caſtra mouebit, & cunctis obmurmurantibus metuendum ſe faciet. Quid ſi vulpinam pellem leoninæ aſſuet? tum ciuibus & Repub. inconſulta militi donatiua diſtribuet: cum quibus nobis pax aut fœdus, per emiſſarios ſuos ad arma laceſſendo prouocabit: cauſandoq; pericula ab hoſte, huc atque illuc exercitum mouebit, militum animos ſibi conciliando, atque hoc ipſum in primis curando, vt ciues diſſenſionibus ob aſſiduas contributiones in militẽ, occupati, ſeruitutem ſuam nunqnam planè videant, aut ſeriò pernicioſam eius ambitionem penetrent, ac deſpoticum regimen cognoſcant, Exempla in promptu, ſed quę ſileo.

Concluſio. Quamuis hoc ſit verum, quod manuſtrenuus ille Marchio Sauoranus aiebat, periculum adire Principes

cum

cum crebro Duces mutarent: cum inter traditionem Imperij nouitatemq; ſucceſſoris, qui noſcendis priuſquam agendis rebus imbuendus eſt, ſæpè benè rei gerendæ occaſio intercidat. Quo conſilio apud Romanos, Scipioni in Hiſpania & Africa; T. Flaminio in Macedonia: C. Mario in Cimbrica: Iulio Cæſari in Gallia: alijſq; alibi, prorogatum imperiũ fuerat. Et patrum memoria, ex Gallis Annas Momorantius Regni Comeſtabilis: ex Hiſpanis Ferdinandus Toletanus Albæ Dux, vterque à pueritia, ad vltimam vſque ſenectutem, continenti militia gloriam extendentes floruerunt. Ille quidem sub quatuor Galliæ Regibus, ſummo cum imperio exercitibus præfuit. Hic verò Imperatoris Caroli V. eiuſque filij Philippi II. auſpicijs in Germania, Hungaria, Africa, Italia, Belgio, Luſitania, maximis exercitibus præfuit. Tum Mauritius Naſſouius apud Hollandos. Et omnes ferè copiarum Præfecti in Regno Poloniæ, ad extremum vitæ ſuo munere funguntur. Quos inter Zomoſcius ſexagenarius ferè Liuonicam expeditionem feliciter peregit, & cæterorum Heroum exemplo, ad mortem vſque ad viuaciter & ſtrenuè in adminiſtrandis copijs Regni Poloniæ, munére ſuo functus eſt. Nihilominus tamen prorogandum imperium Ducis;

cum

cum felix & neceſſarius eſt, quam perpetuo dandum putarem; quia ſæpiſſimè ſolet continuum in eoſdem homines imperium, eam animorum coniunctionem parturire quæ facilè in damnum Principis, aut Reipub. euadere queat. Exempla vetera & recentia infinita in Hiſtorijs ac memoria hominum, quæ nolo hic refricare, ſufficit pro omnibus ſolùm Imperium Romanorum, quod felix ſtetit ſub Conſulibus, quorum alter vrbi, alter exercitui annua adminiſtratione præerat. Regimine autem ad Imperatores deuoluto, tot bella inteſtina inter ipſos exercituum Duces, totq; conſpirationes ab ipſis Ducibus, in ſuos Imperatores exortæ fuerunt, non aliam ob cauſam, quàm quod capita iſta perpetuò iiſdem militibus præeſſent.

QVAESTIO IV.

Virum externum, an terrigenam Ducem creare oporteat.

TYrannos peregrinorum maximè opera poteſtatem ſuam tueri, alio loco notauimus: ideoq; ingratũ paſſim eſt, ſummas dignitates exteris committere.

Primo. Quia Ciues negligi ſe credũt, & ægre ferunt Rempub. ijs committi, qui

qui tam aactè Principi non obligantur. Ea propter etiam hodie Exteros à Magiſtratibus arcent multæ nationes, ſed Polonia præcipuè, quæ cum Viris idoneis ſatis inſtructa ſit, non niſi tales, ac ſtatus præſentis ſtudioſos ſecundum leges antiquas, ad clauum Patriæ vocat. Nemo enim libenter contemnilur & ſi vlla occaſio ſeſe contempto offerat, ad vindictā ſtatim eſt procliuis. *Multiq;* inquit Tacitus, *iniuncta Imperij munera, impigrè obeunt, ſi iniuriæ abſint; has ægre tolerant; iam domiti vt pareant, nondum vt ſeruiant.*

Secundò. Quia externi curant ex ſeruis fieri Domini; Franciſcus Sfortia ex milite Mediolanenſium, Dux factus, ipſorū libertatem atque vna vrbem occupauit. Actiolinus Dux exercitus Treuiſanorū, ſe fecit Tyrannum ipſorum a liarumque plurimarum Ciuitatum Italię. Similiter Marſilius Carrara, à Patauinis ad bellum accerſitus, ſe fecerat Dominū vrbis illius. Braccius occupauerat Perufium, cum in militiam eſſet vocatus. Caſtructius Caſtracanis, Lucam & Piſas cum eſſet Imperator illarū Rerumpub. creatus. Et infinitialij.

Tertio. Quia ad proditionem facilè declinabit; vel etiam tempore neceſſitatis relinquet cauſam tuam, & officium ſuū; ſicuti fecit Malateſta Balionus Florentinorum Imperator cum Clemens VII. &

Caro-

Carolus V. Alexandrum Medices liberæ vrbi Principem imponeret.

Cæterum vti Imperator parum ſine exercitu valeat, ita nihil exercitus ſinè Imperatore: ideo tam diligenter allaborandum eſt, vt is eligatur idoneus, ne ſi muneri ſuo impar ſit, ſuas ipſe partes affligat. Hæc ratio vt quocunque tandem modo optimos quærant, inducit nũc Venetos, Batauos, Hiſpanos, & Imperatorem. Carthaginenſeſq; olim, cum nullum interſe idoneum haberent. Xantippum Ducem Lacedæmoniorum militiæ peritiſſimum contra Romanos euocarunt. Et hinc, pro extraneo Duce rationes ſunt.

Prima. Quia melius habere extraneũ peritum belſicarum rerum, quàm indigenam idiotam. Eamque ob cauſam Gadanenſes ſub tempus inaugurationis Stephani Regis, armis contra Polonos ſumptis, quia idoneum interſe nullum Ducem habebant, Ioannem Colonienſem mercede euocauerant. Conſilio meliori, quàm Gandauenſes, licet exitu pari, qui rebellione contra Carolum V. ſuſcepta, potius voluerat vnum è medio ſui Chyrurgum Ducem belli conſtituere, quàm principem aliquem militię peritũ mercede euocare, qui ſaluaſſet Publicam rem ipſorum.

Secundo. Quia fidelior ſemper indigena

gena putatur eſſe, & militibus acceptior, tum quia alienigenam Dominum nemo patitur lubens, tum quia iucundius eſt ſuis parere. Quid ſi electus externus aut tardus nimis, aut minus obſequioſus ſit? quid ſi non ſatis fidelis? Veneti vtrumque in Vaudimontio, Carmignola, & alijs compluribus plus freudium, quàm felicitatis in rebus agendis ſæpius iam experti ſunt. Proſperitate autem externus inuidiam ſibi comparat, indigena verò amicorum & affinium numero ac opera repellere ſubinde & vitare poteſt. Magis autem infortunio externus oditur: nam ſi res egregiè geſtæ, & præclara facinora inuidiam & calumnias gignere conſueuernt, quid minus proſperè ſuccedentes.

Tertia. Quia ciuis militaribus copijs inſtructus plus audet & plus poteſt, quàm conditio ęqualitatis patitur. Ab extero autem minus libertati diſcrimen imminet, cum non habeat amicos qui eum iuuent.

Quarta. Quia multis in locis ſępè obſeruatum eſt alienigenas maiori fide & induſtria tractaſſe Rempub. quá aliquos ciues: nec tam facilè auaritia corruptos, peculatores factos eſſe, aut proditores. Cretenſes exteros non humaniter tantùm excepiſſe, ſed ad ſummos ſępè honores promouiſſe auctor eſt, Heraclides.

Ceſſit

Ceſſit benè Romanis pleroſque populos eodem die hoſtes & ciues habere, in quos & aduenæ regnauerunt, qui amore in Rempub. indigenis non conceſcere. Hinc Iulius Principatum adeptus, quoſdã è Semibarbaris Gallorũ recepit in curiã, atque illis in pace, illis in bello fideliter vſus. Et apud Chinenſes modo, nemo vrbi in qua natus eſt præficitur, ne conſanguineorum aliorumque quos familiarius nouere, aliquid fauori concedant. Et Imperator Romanus contra rebelles Bohemos Dampierium, Bucquoium, Coloredum, Sauelium, Gonzagam, Gallaſſium, atque Picolomineũ. Hiſpanus verò contra Batauos Alexãdrum Farneſium. Ambroſium Spinolam, atq; Principem Thomam Sabaudię caſtrorum Pręfectũ habuit.

Concluſio. Niſi fortè periculoſę inter Proceres æmulationes timeantur, malo indigenam Imperatorem deſignari, quã peti aliunde: ſpes enim eſt fideliorem eũ operam Patrię nauaturum, ſeu Principi militibuſque ac ciuibus fore acceptiorẽ, cum nihil prętendat, pręter gloriam. Iã verò illos ego ciues eſſe ſtatuto, qui ſumma fide Prouinciæ in qua agunt emolumentis ſtudent: cęteros qui aliud moliuntur, vbicumq; nati ſunt, barbaros eſſe & peregrinos exiſtimo Bernardus Pręticius è Sileſia veniens, in Podola vixit,

omneſq;

omneſq; optimi ciuis & Ducis, cũ barbaris aſſidua bella gerens, expleuit. Michael contra Glinſcius in Lituania natus, & honoribus auctus, ad Moſcum defecit, bellum contra Patriam geſſit,& quas inter ciues, victoria de Tartaris obtenta, laudes promeruerat, trãſitione ad hoſtes facta, penitus deleuerat. Iulius Cęſar, quia optime ſciebat, ſummo ſe in odio eſſe, & multos ſibi inſidiari, qui ad ereptę libertatis reſtitutionem, quotidianis votis & conſilijs anhelabant; ideo peregrinis non ciuibus ſalutem ſuam credere debebat: cum nunquam tutum ſit reconciliatio inimico nimium fidere; quippe vt gratię in odium deflexus facilis, ita odij ad gratiam difficilis eſſe tranſitus conſueuit; raroq; animus quem ſemel grauiter faſtidiuit ſyncerę fidei ſtipendijs excolit: aut cum quo vehementes primum inimicitias geſſit affectuoſe poſtmodum in gratiam redit.

QVAESTIO II.

Vtrum melius ſit, ſeuerum Ducem Ducem eſſe, an comem?

BEnignum ac mitem, an verò ſeuerum belli Ducem multi hac ætate dubitauere, cum Valſteinius in Germania, ChotKieuicius in Polonia exercitibus

buspræeſſent; quamuis antea ſæpius hęc quæſtio exagitata fuerit. Et qui benignum affabilem, facilem, & comem Ducem exercitus habere volunt, Guſtauum præcipuè nunc, Spinolam, Mauritium, atque Picolomineum in exemplū addunt, & dicunt.

Primo. Quia tales omnes libentes ſequuntur: vnde facilè exercitus conſcribit & maturè hoſti obuiat: atque ita Syllam cum in caſtra mari veniſſet, ob eius benignitatem, olim omnes obſeruare cæperunt, & quocunque ducere vellet, ſtatim comitabantur. *Sciebat enim*, vt inquit Salluſtius, *milites benignè appellare: multis rogantibus alijs per ſe ipſe dare beneficia inuitus accipere, ſed ea properantius quàm æs mutuū reddere, ipſe ab nullo repetere: magis id laborare vt illi quàm plurimi deberent ioca atq; ſeria cum humillimis agere; in operibus in agmine, atq; ad vigilias multus adeſſe: neque interim quod ambitio praua ſolet conſulis aut cuiuſquam boni famam lædere tantummodo neque conſilio neque manu, priorem alium pati, pleroſq. antevenire.*

Secundo. Quia pro ipſo omnia pericula ſubeunt: vt faciebant milites Alexādri, quod vidiſſent eum ſemel militem Gregarium algore propè mortuū & torpentem in ſede ſua ad ignem collocaſſe. Eademq; humanitas in Troiano Imperatore annorata. Qui milites in prælio vulne-

vulneratos tanta diligentia iuuabat, *vt dum faſciæ*, inquit Dio Caſſius, *& volumina deficerent, nec ſuæ quidem veſti pepercit, ſed eam totam in ligamenta & fomenta diſcidit*. Idem & de Tiberio Velleius ſcribit, & ſemetipſum quoq; inter alios expertum eſſe in bello Pannonico eius bonitatem dicit.

Tertio. Quia ſeuerum Ducẽ odio milites habent, benignis autem & clementibus in omnibus ſunt obedientes. Expertus hoc Ioannes Zamoſcius, cuius humanitas tantũ apud milites valuit, *vt quotidie mane & veſperi*, inquit Reinaldus Heldeſteinius, *circa ſuum verſarentur tabernaculũ, ſciſcitantes, quid dicẽdum, faciendumue eſſet*. Quapropter male plerumq; ſibi conſulunt, qui non acceptos militibus exercitui præficiunt Duces: quod in bello Vngarico, nõ ſine damno ſuo, expertus eſt Rudolphus II. Et Dux Albanus, quia ſeuerus erat, totum Belgium contra ſe concitauerat, peperitque Regi ſuo bellum, quod hodiè dum adhuc durat.

Contra qui ſeuerum Ducem belli habere volunt, hiſce rationibus nituntur.

Prima. Quia ſub ſeuero Duce melius diſciplina militaris conſeruatur. Oportet autem vt quemadmodum in ciuitate, ita & in caſtris benemeritis ſua

ſint præmia : & delinquentes pœnam non euadunt. Hinc Belliſſario exercitum ducente, ne poma quidem ex obuijs arboribus decerpere audebant milites : eo quod cum ſemel lac pauperculæ fæminæ vnus ex militibus comediſſet, toti decuriæ, cum factum negarent, ventres ſcindere iuſſiſſet, vt inueniret in ſtomacho, qui lac illud comediſſet. Mauritius Naſſouius, Nobilem, quamuis ſua ſponte ſine ſtipendio militantem, ob ereptum mulierculæ butyri pondo, patibulo addixit. Occupatā à Selymo Damaſcum nullus miles intrauit, nullus delicioſa quæ ad vrbem loca ſunt violauit; notam Imperatoris ſui ſeueritatem extimeſcens. Non commemorabo hic Gregorium atq; Carolum ChotKieuicios Lithuanicarum copiarum Præfectos: neque Georgium Baſtam Rudolphi II. Imperatoris in Hungaria copiarum Præfectum: neque Albertum Valſteinium, notæ ſeueritatis Duces. Quapropter non malè apud Valerium exercitus ſui auribus inculcat Lacedęmoniorum Dux Clearchus, *à militibus Imperatorem potius quam hoſtem metui debere.*

Secunda. Quia Seuerus Dux non tantum apud ſuos verum etiam apud hoſtes maioris æſtimatur. Vegetij monitum prudens, *Dux auctoritatem maximam ſeue-*

ſeueritate ſumat, omnes culpas militares legibus vindicet, nulli erantium credatur ignoſcere. Nam faciles profectò iſti & mites vileſcunt. Bene olim Scipio, *Ducum auſteros & rigidos, ſuis; at faciles & largitores hoſtibus eſſe vtiles.*

Tertia. Quia facilius militi ſtipendia & annonam prouidet: imparata enim tributa, & Commeatum Prouinciales celerius conferunt metu incitati, vti ſub Imperio Valſteinij videre erat, quem vti amabant ob conſeruationem diſciplinæ, ita timebant ob ſeueritatem.

Concluſio. Imperator bonus, benignus, affabilis, ac placidus ſit, ſed non ita tamen ſimplex aut mitis vt deſpiciatur, neque adeo tetricus & auſterus, vt in odium veniat: ne ſcilicet gratioſa nimis diſſimulatione, militum animi ſoluantur atque laſciuiant: neuè item nimio bellicæ diſciplinæ terrore abalienētur. *Abſit ergo ſuperbia,* inquit Plinius, *abſit aſperitas, nec timueris contemptum. An cōtemnitur qui Imperium, qui faſces habet? niſi qui humilis, qui ſordidus, & qui ſe primus contemnit. Malè vim ſuam poteſtas aliorum contumelijs experitur, longeq; valentior amor ad obtinendum quod velis, quam timor.* Etſi Iulius Cæſar non adeo retinens rigidæ & priſcæ diſciplinæ fuerit, vt ſit iactare ſolitus, *milites ſuos etiam vnguentatos benè pugnare poſſe*, attamen quomodo indul-

gentia ſit in caſtris pernicioſa, ipſe confeſſus eſt, cum dicit, *indulgentia & largitio ſpecioſum reddunt, præſentem exercitus amorem, paulatim tamen & ecculte militare diſciplinam, ſeueritatemque minuunt.* Vnde armati ſemper aſperè ſunt habendi. Et Doctor Militaris, ita ingerit. *Milites pœna, & timor in ſedibus corrigunt: in expeditionibus, ſpes & præmia faciunt meliores.* Ergo noſtro iudicio ſeueritas temperetur aliqua comitate, ne in odium veniat; cum non ſimus pares priſcæ diſciplinæ: ſiquidem *fauorem militum*, vt Tacitus inquit, *largitione & ambitu malè acquiras: ita is per bonas artes haud ſpernẽdus*, vti ſunt, exercitatio corporis inter ipſos, cultus habituſque paulum à priuato differens: itẽ vt quis inops aut ſaucius, veſtẽ & fomẽta dilargiri. Aliiſq; vel ingenij dotibus, vel animi artibus, vt pariter carus ac venerandus ſis efficere.

QVAESTIO VI.

Vtrum Dux locuples, an pauper ſit eligẽdus?

STetit olim res Romana, cum aratores Conſules, cũ inopes (ſed generoſos) Dictatores, antiquus ille rigor eſt geret. Sarmatæq; noſtri vicinis ſuis metuendi fuere, cum ex aurifice Princeps Præmiſlaus; & fabro lignario Rex Piaſtus,

ſtus, cum ex alijs opificibus Leſcones illi fortes, bellicoſiq; Boleſlai prognati imperatent: verùm vbi ambitus forum & campum occupauit, traxit ſecum ſeruitutem, quæ exiguo poſt tépore, apud Romanos libertatem inuaſit, apud nos triſtes prærogatiuas & licentiam induxit. Hinc dubitari cæptum, an ſtantibus ſic rebus modò, melius ſit diuité, an verò pauperem, militaribus copijs præficere. Et qui moderni temporis rationes & momenta perpendunt, dicunt quod locuples præſtet inopi.

Primo. Quia milites citius ad diuitẽ accurrunt, ſpe ſtipendiorum & prœmiorum; à paupere verò nihil ſibi lucri pollicentur. Iam verò ſæpiùs ex hiſtorijs diſcimus, milites ob non repræſentata ſtipendia ſeditiones feciſſe; à Ducibus ſuis diffugiſſe: & interdũ vinci maluiſſe, quã pugnare; quod paulò ſuperiore ſæculo Ioachimo Marchioni, Brandeburgenſi, Ludouico Naſſouio, & alijs euenit, vt hic Romanos, Carthaginenſes, Græcos, vetereſq; Gallos omittã.

Secundo. Quia ſemper diuites magiſtratibus præpoſiti, maiorem authoritatem, quam pauperes habent, licet iſti ſint virtuoſi, & ignaui illi. Sic cum Felicem Panieuium, generoſi animi virũ, ex ordine Equeſtri, copijs ſuis Rex Iagello, ad Niſauiam, contra Crucigeros,

præfeciſſet, imminente iam prælij hora, quidam Maioris Poloniæ Palatini, indignati cum ſuis cohortibus domos abierunt, ne priuati antea nobilis, & præterea inopis imperio ſubijcerentur. Eadem ex cauſa, apud Gruneualdum, Magnates contra eundem Regem murmurabant, quod Ducibus veteranis, & Palatinis Dynaſtiarum viris potentiſſimis omiſſis, totius belli regimen Zindramo Maſcouio, pauperi nobili tradidiſſet, ipſeque illius imperio tempore pugnæ pareret. Idem obſeruabat & filius eius Caſimirus Iagellonides qui ad Cholniciam Procerum conſilijs, & diuitum Ducum infelici regimine, prælio amiſſo, nuſquam poſtea niſi pauperi, ſed ſtrenuo alicui viro militare imperium committebat, puta Ianſenio, Dembinio, Zauiſſæ, alijſq; fortiſſimis equitibus. Tum & Sigiſmundus I. Leſniouio, Boratinio, Tuorouio, Zebridouio, ſtrennis militibus, quos non præfectura modò militari, ſed & opibus deinceps ornauerat, ob egregiam illorum virtutem.

Tertio. Quia publico ære deficiente, ſumptus ad retinendos milites in caſtris ſuppeditare poterit, atque ita patriam in neceſſitate liberali animo ſuo iuuabit, vt fecit Zamoſcius tempore Liuonici belli, & Chriſtophorus Radi-

uillus,

uillus, atque Leo Sapieha noſtra iam tempeſtate, Guſtauo Sueciæ in eandẽ Liuoniam irrumpente cum bello Turcico exhauſti eſſemus.

Quarto. Quia diues tentabit Remp. à vicinis rectè circumſeſſam dilatare, & gloriam gentis ſuæ propagare; quo ſcilicet & ſuum nomen poſteris tradere poſſit; quod nequaquam præſtare poterit pauper. Quinimo dicunt eum ob domeſticam neceſſitatem facilius corrumpi poſſe ab aduerſario, & non raro plus ſibi, quàm patriæ aut bonę famæ ſtudere.

E contra Ariſtoteles affirmare audet, diuitum cupiditates Rempublicam magis perdere, quam pauperum.

Primo. Quia opibus abundans, deſiderabit quoq; honorẽ habere præ alijs, atq; ita curabit patriam ſibi ſubiugare. Exemplo inter alios Hanno Dux Carthaginenſinm, qui cum opibus ſuis vires Reipub. ſuperaret, ad occupandã dominationem omnes animi ſui vires intenderat, cum exercitibus patriæ præpoſitus fuiſſet, & perfeciſſet quod deſiderabat, niſi à populo furente, cum tota progenie, & cngnatione ſua, in crucem actus fuiſſet: ne quiſquam aut ad imitandum ſcelus, aut ad mortem vlciſcendam ex tam nefaria domo ſupereſſet. Non detterriti attamen tam

crudeli pæna, à ſimili audentia atque ambitu, poſterioris ſæculi hominum animi, Inlijq; Cæſaris exemplo in ſola Italia complures fuere, qui in Imperatores belli electi, dominatum auide in patria appetiuere: atq; ita Pandulphus Petruccius Senas; Scaliger Veronam; Caſtruccius Lucam: Sfortia Mediolanum: Polentanus Rauennam: Coſmus Medices, Florentiam occupauit. Et hunc quidem vltimũ ob nimias opes, & prudentiam, omnibus acceptum, eiecerant ciues ſui, tanquam nouum Alcibiadem, primò, tandem poſtea inſanis quorundam ſtudijs reuocatũ, contra libertatem, animarũt. Nam qui multa poſſunt, & quorum in poteſtate ſunt arma, ex horum arbitrio ſalua eſt Reſpub. aut perit. Et *tantum quiſque poſſe poſtulat*, inquit Cicero, *quantum habet virium: non ratio, non modus, non lex, non mos, non officium valet.* Pauper autem facilè coercetur, cum inſoleſcit: & vltrò obedit, cũ innoteſcere orbi cupit. Quapropter non eſt improbandus, cum ſit virtute glorioſus; etſi nec origine generiſus, vt moris eſt apud Heluetios, Batauos, & Coſachos noſtros Zaporoſenſes.

Secundo. Quia vt plurimum inopes ingenio ac virtutibus nitũtur, vt inclareſcere poſsint: diuites verò ignaui atque imbelles ſunt, voluptatibus aſſueti à pue-

à puero & adulationi, quæ duæ res maximè exercitus perdunt; cum nec frugalitatem atque modeſtiam miles ab impcratore ſuo diſcat nec cõſiliarij belli, honeſta atque vtilia patriæ ſuadere ei poſsint. Antonius præ omnibus ſit exemplo, atque Darius, quorum vterque délicijs aſſuetus, plus ſuæ voluptati, quàm exercituum ſuorum incolumitati ſtudebat

Tertio. Quia diuites communiſsimè quæſtuarias artes exercét, ac propterea demiſſo abiectoq; animo eſſe ſelent; potius vt lucrentur & rem domeſticam exaugeant, quàm vt vincant & habeantur glorioſi, intendentes.

Quarto. Quia omnium Orientalium Principum conſuetudo eſt, pauperes & virtuoſos militiæ præficere, diuites verò tributis & exactionibus præponere; vt cum vel pecuniȩ deficerent, vel tributa tardè à prouincialibus exigerentur, priuatis eorum opibus, pro libitu vterentur & imperio. Hinc Turcarum Perſarumq; Purpurati, atque Chinéſiũ Satrapȩ, ad militaria munia hodiedũ, ex virtute, non ex opibus promouentur. Et quamuis olim apud Galchedonenſes, pauperes à muneribus tàm bellicis, quàm politicis arcebantur nihilominus tota ferè Grȩcia, inopes potiùs bellorũ tempore, rebus ſuis prȩficiebat.

quam opibus nimium affluentes.

Concluſio. Etſi diuitiarum inſolentior aliquando ſit faſtus, liceat tamen æquè diuitem quam pauperem aligere, modò ſint bello gerendo apti. Quia idem diſcrimen à nimia paupertate timendũ eſt, quòd à nimijs opibus, cum inſoleſcere voluerint. Hę enim ambitione, & innata diuitibus ſuperbia, qua regere & non ſubeſſe exoptant, eos ad res nouas incendunt. Illę animos deſperatione armatos excitant, vt turbent ac permiſceant omnia. Hinc Salluſtius. *Semper in ciuitate quibus opes nullæ ſunt, bonis inuident, vetera odere, noua expetunt, odio ſuarum rerum mutari omnia ſtudent, Quibus quies in ſeditionibus, in pace turbæ ſunt.* Nec tam periculoſa Romę fuit Manlij opulentia, quam extrema Catilinę paupertas. Galba occiſo, imperium inuaſit Otho, cum magnitudine æris alieni oppreſſus, ſciret niſi Principem, ſe ſtare non poſſe. Inopia enim ſeditionum & iniuriarum mater eſſe conſueuit. Diues autem virtutibus Imperatorijs prędítus tantum ab generoſo paupere differt, quantum argentea aureaq; arma, ab ęreis ferreiſq; diſparata ſunt: illa enim ornamento abũdè exſuperant, hęc ſola vtilitate ac neceſſitate cum illis certant. Sed videamus etiam, an ad opes & diuitias conferat.

ferat aliquid in prçfectura militari claritudo maiorum, & nobilitas familię.

QVAESTIO VII.

Vtrum Dux Belli, & Illuſtri ſemper, an verò obſcura aliqua familia eſſe debeat?

SOlet communiſſimè queri, an Nobiles in magiſtratibus & imperijs bellicis prçferendi ſint plebeijs? quod nimirum ea verę virtutis natura ſit, vt & primę, quam exuit, conditionis nũquam obliuiſcatur; & eam, quam induit non negligat: ſed habita loci ac temporis ratione, nec deprimat ſe nimium, nec extollat. Qui tamen claros genere belli Duces habere volunt, dicunt.

Primo. Quod humili orti genere, ſolent vt plurimum eſſe ignaui & meticuloſi, vtpote rerum inexpertes & inſueti alloquio, conuerſationique magnorum virorum, cum quibus potiſſimum tractandum eſt in bellis. Ita Ioãnes Colonienſis rebeliſantium Stephano Regi Dantiſcanorum Strategus; vt vidit, duo non ex toto millia Polonorum, cum Ioanne Zborouio, viro, & genere & rebus prçclare geſtis in patria noſtra illuſtri, audacter contra ſe ve-

 nire

nire, quamuis ſatis numeroſum & benè inſtructũ exercitum habuerit, conſcius ignauię ſuę, & ortus obſcuri, ſtatim trepidare cœpit; & vix primum congreſſum videre paſſus, cõfeſtim ex acie fugit, & tot millia ſuorum, ferè in vna hora amiſit.

Secundo. Quod ignobiles nullam habeant apud milites authoritatẽ, ob generis ſui obſcuritatem, quæ illis paſſim in omnibus conatibus generoſioribus, a nobilibus exprobratur: pręſertim cũ inceperint ſuperbire. Ludouicus Sfortia callidiſſimus alioqui Princeps in eo tamen turpiter lapſus eſt, quòd Galeacio Sanſeuerino, perito vtique equorũ domitori, ſed inexperto Duci, exercitus & bella coutra Gallię Regem curam commiſit. Queſi idem ſit, generoſum tractare equum, aut in ludicris certaminibus haſtam frangere & exercitibus præeſſe. Qui error etiam in Eugenio Papa notatur, quòd Balthaſſaris Oſidani opera; in maximis pace belloq; negotijs vteretur: hominis, nulla, neq; prudentiæ, neq; virtutis laude inſignis, quã quod quo tempore Eugenius vrbe profugerat, ipſe Hadriani molem cuſtodiuiſſet. Nec Gandauenſes multum faceſſiuerunt negotij Carolo V. ad occupandam vrbem ſuam cũ ei rebelaſſent, præpoſito exercitib. ſuis è medio ciuiũ

ſuo-

ſuorũ quodam chirurgo, qui ad cõſpectum ſtatim aquilæ Imperatoriæ trepidare cæpit, & tandem confuſis ſuorum ordinibus fugit. Brutus, verò ex illuſtri Romanorum familia oriundus, ne genio quidem malo, mortem ſibi & cladem vniuerſo exercitui, prædicẽti cedere voluit, ſed magno animo cõgreſſus, vſq; ad extremũ in acie dimicauit. Quapropter ignobilis Ducis imperium miles ægrè ferre ſolet, ſicut & populus dominatum ignobilis Principis & vix aliquis diues, aut in honore Reipub. poſitus eſt qui eius imperio in caſtris ſubijci velit. Vnde apud Dioné Aggrippa. *Si parui precij hominibus Rempub. committas, mox nobilium iram, propter contemptam eorum fidem in te prouocabi, & maximis in rebus clades patieris.* Quid enim præclari homo ignauus aut ignobilis gerat? quis eum non deſpiciet hoſtis? quis eĩ ſocius obtemperet? quis militum non dedignetur ſub ſignis eius eſſe? Exempla paſſim in hiſtorijs, & ferè omnium gentium, quæ nolo commemorare: cum etiam Democraticę populareſque Reſpub vt plurimum ſuis exercitibus Duces nobili genere ortos quęrant, & noſtri Zaporoſenſes Coſachi, & ſi omnes ruſtici ſint & nobilium ſubditi glebæ adſcriptitij, quos maximo odio perſequuntur communiſſimè tamé nobili

pro-

prognatos familia Duces inter ſe eligere ſolent; quamuis mutato eius cognomine; & ex albo nobilitatis iam ob ſcelus aliquod perpetratum eraſo, perpetuaq; infamia notato.

Tertio Quòd obſcuro genere nati, vt plurimum ſolent eſſe ſuperbi, vt primum deuenerint ad aliquas dignitates Qui ad militię Pręfecturam? vbi ſecuri potentię ſuę, & in contemptores imperatorum parati, & valentes vlciſci, etiam in alloqnendo ſunt nimium difficiles. Hinc Poeta. Aſperius nihil humili cum ſurgit in altum. Et Valſteinius nobili quamuis genere ortus, vt primum Ducis titulum & officium promouerit nolebat aliter niſi Sereniſſimus appellari; reliquoſq; omnes antiquiſſimarum familiarum Principes, ſe inferiores dici.

Quarto. Quod ignobilis natura ſeruiet auaritię, vt familiamſuam illuſtret atque ditet. Iam autem ęgerrimè ferunt viri egregij & illuſtres, ſi aut indignis, aut ob generis obſcuritatem ſuſpectis, conferantur honores, ſeu quęſtuoſa commendentur officia, quibus nobiles familię rem ſuam priuatam iuuant, & ſplendorem dignitatis alunt. Nec quiſquam, eam ob rem, ex plebe, à condita Sarmatia, Pręfecturam Militarem in Polonia geſſit, ſed Equeſtris Ordinis

dinis tantùm, & præcipuarum familia-
rum ſemper, virtute attamen & expe-
rientia rei militaris potiùs quàm ſan-
guine vetuſto, aut opibus inter ciues
conſpicui. Nam vt animalia, quorum
ſtrenua opera eſt, generoſa dicimus eſſe;
ſic & homines ipſos generoſos eſſe pu-
tamus ex ſua propria, non verò aliena.
aut adſcititia virtute. Quapropter il-
los illuſtres eſſe dicimus, qui ad Nobi-
litatem maiorum ſuorum, etiam pro-
prias animi dotes addidere. Alias a-
mentis eſt, quid præclare à maioribus
geſtum ſit inſpicere, nec quid ipſimet
eligendi præſtare poterunt, expendere:
quaſi vero qui olim ante nos vixerunt,
Rempub. nobis ſeruare valeant incolu-
mem? Vt igitur ij quibus pauperrimæ
tenueſq; ſunt reculæ, aparandis, agen-
diſque vitæ preſidijs, ac fortunæ dam-
nis ſarciẽdis promptiores diuitibus eſ-
ſe ſolent; ita qui nullos hæreditarios
honores cernere poſſunt, peculiari pro-
priaq; virtute gloriam, laudéq; magno-
pere ſibi adſerere ac vindicare conan-
tur. Et ne à militaribus quoq; præfectu-
ris arceantur: rationes in próptu ſunt.
Prima. Quòd humili familia ortus,
vt domum ſuam illuſtret, promptius
ad virtutem tendit, & proprijs meritis
gloriam aſſequi conatur. Ita Ioannes
Huniadus, ex Agaſone Princeps Tran-
ſyluaniæ,

ſyluaniæ,& exercituum Hungariæ prę-fectus, ſtrenuiſſimus fuit contra Turcas bellator, vt virtutis eius reſpectu Proceres Hũgarię filium quoq; ipſius Matthiam in Regem ſibi aſſumpſerint. Frãciſcus I. Sfortia ex opilione miles gregarius, ac deinceps Dux militũ creatus, propria virtute ſupremos in Regno Neapolitano honores adeptus, poſteris ſuis tantam claritudinem reliquit, vt etiam Regio eos ſanguini immiſceret, Ita etiam Lotrechius Dux Venetæ militiæ & Bartolomæus Sergomas & apud nos Oſtraphæus Daſcouicius Coſachorum Zaporoſenſium author, & alij infiniti.

Secunda. Quod humili ortus genere, humilia de ſe omnia ſentiat, frugalitatemq; in caſtris & modeſtiam. tam in victu, quam in amictu ſeruet; nec corrumpat luxu milites. Et ob id ad Turcarum Tyranno pręficiuntur copijs, nõ qui nobilitate generis alios ſuperant, ſed qui fortitudine, & experientia belli, maximè autem frugalitate pręſtant: cumq; ſint ad ſupremam dignitatem euecti nõ immutant rationem viuendi, nec cibis alijs quàm ſuetis & ordinarijs vtuntur; puta ariza, bubula & veruecina. Sed & Heluetij, Argontoratenſeſq; neminẽ nobilem, tàm domi, quàm in bello ad ſũmos magiſtratus admittũt, ſed eum tãtùm, qui ſe opificem eſſe probauerit.

Tertia.

Tertia. Quòd obſcuro loco natus, ſit Reipub.aut Principi obediens,gratuſq; beneficij collati, ac proinde expeditus ad iuſſa & prõptus ad pericula, æquus, benignus, affabilis, facilis, comis, ac placidus;& qui prorſus tumore calcato, æquè hilarem vultum omnibus exhibet, vt omnes ſibi conciliet, omnium fauores adipiſcatur. Ex illuſtri verò familia electus, omnes ſibi obligatos eſſe putat, omnes inferioris cõditionis ſpernit: & ſubnixus cliẽtum atque amicorũ potentia ad dominatum ipſe aſpirat. Ita apud Neapolitanos olim Braccius,apud Gallos nuper Momorantius; quorum alter eiecta Regina Ioanna Regnũ ipſe occupare conabatur,& niſi maturè profligatus atque ad Aquileam extinctus fuiſſet, id ex voto ipſi ceſſiſſet. Alter fratri Regis fauens, arma in Regem ipſum Ludouicum XIII. ſumpſit, à quo tot beneficijs ornatus fuit. Igitur captus in prelio, Toloſę ſupplicium ſubijt, & illuſtrem familiam ſuam perduellionis nota commaculatam, in ſe ipſo extinxit.

Quarta. Quod ez illuſtri familia Duces electi, tardi ſint ad expeditiones ob delicias ſuas,& minus alacres ad pugnã: nec enim ſemper verum eſt fortes fortibus creari; etiam degeneres aliquãdo filios Heroes habent, & viri ſapientes,

pro.

progeniem ſtultam. Exempla infinita; ſed quæ etiam inter infimæ ſortis homines reperiuntur, loquendo in ſuo genere, & qualitatibus vniuſcuiuſque. Neque enim Horutius atq; Hadrucius Iudæi fratres, apud Solimanum Architalaſſi, quorum alter Sinum Perſicum, alter verò Mediterraneum mare infeſtabat, ſimilis ſibi liberos progenerarũt, ſed ad fœnerandum, & aggregandas vſuras, more Hebræo aptos. Igitur ſit.

Concluſio. Vbi nobilibus & plebeis via ad dignitates promiſcuè patet, illi mihi meritò præferri debere videntur, etiam in militaribus Præfecturis, qui Reipub. maximè poſſunt & volũt prodeſſe. In cuiuſcunque enim animo virtus ineſt, ei plurimum eſt tribuendũ. Ita nobilitas noſtra Polona, plebeis alias nuſquam obedire aſſueta, Liuonici belli tempore, cum iuriſdictione ſuprema Tribunum militiæ ſibi elegerat Staniſlaum Kendzierſcium, Breſiniæ textore patre natũ, ſed doctrina & militaris rei peritia inter omnes conſpicuum; Ioannemq; Maluſcium, tempore confœderationis è Moſcouia reuertentis exercitus, inter alios pari dignitate Tribunum, Mſtouiæ patre ſutore progenitum, ſed varijs bellis, ſub Stephano Rege & Sigiſmundo III. in Hungaria, Turcia, Moſcouia atque Scythia exer-

citum.

citum. Quod ſi verò plures virtute & experientia pares ſint, illos commendo, quibus honeſtius eſt genus. Debetur id enim maiorum illorum in Rempub. meritis, quorum etiam domeſtico exemplo ad benè agendum hi magis excitabuntur. Et libentius plerumque à nobilioribus reguntur homines, quàm ab ijs, quos pares ſibi paulò ante fuiſſe meminerunt, non virtuti eorum dignitatem adſcribentes, ſed fauori & fortunæ.

Cæterum illuſtrem, natalibus, opibus & militiæ peritia, ſine virtute & bonitate innata, tutius eſt facere Imperatorem, in vno Regno ampliſſimo, quam in Repub. nam ſi quidpiam cõtra patriam molietur, Rex ſeſe illi cum nobilitate facilè opponet. Quodſi verò Rempub. aggredi voluerit, vbi multa ſunt capita, & nullus talis potentiæ, vt Reges ſolent eſſe, difficulter ipſi reſiſtere poterunt. Exemplo Iulius Cæſar & Octauianus Imperatores. Coſmus Medices apud Florẽtinos & Franciſcus II. Sfortia apud Mediolanenſes, alijque alibi, non opibus tantum & familiæ claritudine conſpicui: verùm etiam ętate viribus, & proceritate corporis, formęque florentes.

QVAESTIO VIII.

Vtrum Iuuenis Imperator ſit eligendus, an verò Senex?

AN ætas in conſiliarijs aut magiſtratibus deſignandis, præcipuè bellicis conſideranda ſit, diu diſputatũ fuit, & adhuc ſub iudice lis eſt: maximè cũ ad electionem ſummi exercituum Ducis deſcenditur. Quia iuuenis Imperator fide minus idoneus eſſe videtur, ſenis verò vires ad tantum onus parum ſunt firmę; ac propterea neuter ſecuritatem pręſtare poteſt Qui tamen virtutem non ætatem ſpectandam eſſe volunt, dicunt.

Primo. Quod infinitos iuuenes Imperatores rem feliciter geſſiſſe in Hiſtorijs legimus, ſed præcipuè Scipionẽ & Pompeium apud Romanos, Boleſlaũ Criuouſtum & Leſcum Album, apud Polonos, quorum vterque vix decennium egreſſus, & tamen victorioſiſſima bella geſſerunt. Sed & Honorium certè puerum adhuc Conſulem à principe creatũ fuiſſe diſcimus ex iure. Et Ruſinus puer Quæſtor à Proconſul Africã rexit. Multiq; alij in diuerſis mundi partibus Principes, & Duces bellorum in ætate iuuenili res glorioſè geſſerunt, quod

quod ſenes præſtare nequaquam potuerunt.

Secundo. Quod defectæ ætatis ſenex, naturali infirmitate vitio delinquet. Hinc Salluſtius. *In ſene vmbra nomenq; hominis relictum eſt, vires corporis effetæ, ſenſus oculorum atque aurium hebetes: memoria labata vigoe animi obtuſus:* denique ſenio confectus, parum animo valet, quo pollet iuuenis. Ideò Homericus ille Neſtor, *in conſilijs præcipuus, bello inutilis.* Et adagium. *Facta iuuenum, conſilia mediocrium, vota ſenum.* Non minorem quoq; ſeni Imperatori infamiam adfert timiditas, ad tentandam fortunam, audendumq; caſus incerti facinus tarda ſegniſq; Dum enim xncipites rerũ caſus anxia ſecum cogitatione verſat, ſuiſque atque aliorum docta periculis, dubiam fortunæ aleam extimeſcit, ad aggrediãdum magnæ rei negotium cunctanter accedit, mauultque ſecura tuto in otio acquieſcere, quàm pro magna gloria, commodoq; Reipub. magnum diſcrimen ſubire. Cautam diutu no fortunæ vſu experientiam frigidus corpori cõfecti ſanguis amplius refrœnat, generoſi pectoris calore, qui facem ſubdere virtuti ſolet, conſopito. Fabij cõſulta cũctatio rem Romanam fractam contuſamq; Punicis armis, reſtituit. At ſenilis eiuſdem timiditas, cohibito Scipionis

impetu,

impetu, redeuntem felicitatem penè à patrię luminibus arcuerat. Parmenionis clara erat atque exercitata Philippi armis virtus. At illius in ſenecta religioſa ſupra modum circũſpectio, ſuaſa cum Dario pace, Perſici regni ſceptrum & inclytas de barbaris victorias Alexãdro ferè præripuerat, Idem notabant in Zolkieuio Poloni, qui bellis diuerſis exercitus, ingens virtutis nomen habebat; at in ſenium vergens, cũ toties Scythis in Ruſſię prouincias incurrentibus, aciem opponere recuſaret, incõſultę temeritatis impetum in alijs damnis, maleuolorum in ſe linguas prouocauerat, quibus deinde retũdendis par non erat, donec in acie Cecorienſi glorioſè occumbens ſanguinem pro patria effunderet, atque ita inuidiam ſaciaret.

Tertio. Quòd communiſſimè ſenes fortuna deſerit, quę iunioribus fauit. Hinc Carolus V. tot victorijs, & triũphis in iuueniliori ętate illuſtris, ſub extremum ſenium, cum Methim à Gallis captam, exercitu cẽtum hominum millium ad vrbem admoto, fruſtra recuperare tentaſſet; & in Germania indecora ſanè fuga à Mauritio Saxonum Duce conſulere ſibi coactus fuiſſet, felicemque Imperatoris hactenus inuicti genium, in Henricum Gallię Regem

vt

(vt refert Famianus Strada) immigraſſe animaduertiſſet, non diſſimulanter dixiſſe fertur *Fortunam eſſe iuuenum amicā*. Quod ea faſtidio quodam ac ſatietate iam capta ab ipſo recedere incepiſſet. Quare vltrò Imperio ſeſe abdicauit, & regna omnia hęreditaria filio Philippo reſignauit.

Contra. quàm ſępè illa ſenum Imperatorem prouidentia publicis priuatiſq; rebus ſaluti fuit? Quoties cladem impendentem pręcauit? Quoties poſitā in extremo diſcrimine Rempub. ſeruauit? nemo eſt qui dubitet. Neque enim viribus, impetu, audacia, aut celeritate roboreque corporum, res magnę geruntur: Sed conſilio authoritate, ſententia; quę per ſenilem debilitatem inualeſcunt, animo corporis vinculis minus obligato. Quapropter pręſtat ſenem Imperatorem habere,

Primo. Quia conſilium ſenile ſalubre ſemper in bellis; & Dux varijs fortunę caſibus edoctus, patrię ſalutaria ſuggerit. Idem enim ſunt conſilia ſenum, quod haſtę iuuenum. Hi manu, curſu, velocitate, dexteritate; illi ratione, conſilio, mente, prudentia aduerſus hoſtes progredi & contendere ſolent. Et hanc ſolam ob cauſam pręfert ſenes Ariſtoteles, & Solon iuuenes etiam prudentiſſimos arcet]. Baldi quoque dictum

dictum celebre eſt. *vlus valet vmbra ſenis, quàm gladius iuuenis.*

Secundo. Quia iuuenis temerario & feroci impetu rē deperdet, vt fecit Ienliſius è Gallia in Hannoniam miſſus, vt Ludouico Naſſouio ab Hiſpanis in vrbe Montium obſeſſo ſuppetiaretur, qui iuuenta ſua ferox non expectato exercitu Orangij apud Sanctū Gislenium cum Federico Albani Ducis filio congreſſus, & magna ſuorum ſtrage profligatus eſt. Proinde Philippus II. moturus arma in Luſitanos, anceps quem tanto exercitui præficeret, poſthabitis multis in eam ſpem erectis, elegit Albanum octuagenarium euocatum ab exilio, & irritatum diuturno exilio in inſula Vzeda, ita vt ipſe Albanus gloriabundus reſpondiſſe fertur ei, qui ab exilio illum euocabat. *Admirari, ſe quod ad regnum ſubigendum, opus Regi fuerit cātenato Duce*: qui deinde totum bellum feliciter adminiſtrauit. Et Annas Momerantius ſeptagenario maior, maximis apud Carolum IX. Regem Galliæ expeditionibus præfuit.

Tertio. Quia iuuenis muliercularū amore captus, rem bellicam negliget. Vt fecit Valdeſius, qui ad extremum perducta obſidione Lugdunenſi, cum nutante ciuitale diſcordia, aggreſſionē in craſtinum indixiſſet, amore captus

illu-

illuſtri cuiuſdam fæminæ Hagę Comitis, in eius gratiam oppugnationem dimiſit; & biduo poſtea ſuperuenientibus Hollandis, qui cataractas aquarum aperuerant, non ſine clade ſuorum recedere ab obſidione debuit; & caſtra ſua, aquis ſuperuenientibus, atq; omnes belli machinas amiſit, ſerò demum damnans omiſſam potiundæ vrbis oportunitatẽ.

Concluſio. Dux igitur belli, cuius fidei atque virtuti, poſſeſſorum fortunæ, tutelæ vrbium, ſalus militum, Reique publicæ creditur gloria, temperatæ ac intermediæ ætatis eligatur: quia & robur inerit ſeni iuniori, & prudentia iuueni ſeniori. Optimumq; foret, ſi is pater filiorum eſſet; qui, ſi paruuli erunt, eos veluti potentiſſimas amoris illecebras, idoneos animi ſui obſides Reipub. relinquet. Vti nunc fecit Princeps Sabaudiæ Thomas, qui in Belgiũ à Rege Hiſpaniarum militatum euocatus, vxorem cum liberis in Inſubribus obſides reliquit. Si verò iã adultæ ætatis filios habebit; conſultores, duceſq; ac fidiſſimi ſecretarium cogitationum arbitri fient; Reiq;pub. ſtatum obfirmabunt, vti in Radiuillis obſeruauimus, è quorum familia ſeptimum iam nunc copiarum Ducem, nomine Chriſtophorũ, Magnus Ducatus Lituaniæ habet, quorũ ſinguli, digna ſua claritudine ſobole florentes,

in eam quam hodie videmus magnitudinem excreuerunt, vtiles Reipub. ciues. Addo, ſenex qui nuſquam in caſtris manſit, & nuſquam arma tractauit, etiamſi vegetiſſimus & in togata prudentia verſatiſſimus ſit, non eligatur in Imperatorem; niſi ille qui à puero militauit. Obſeruabant hoc perpetuo Romani, apud quos nemo honeſtiorum ad Rép ub. accedere, aut magiſtratus çapere poterat, niſi decē annos militaſſet. Quid Imperium in exercitus? Cumq; ſemel mortuo ad Rhegium Iubellio Imperatore, exercitus Senatu inſcio in locum eius ſcribam, alias virom prudentiſſimū in rebus politicis, elegiſſet, ſed quia rerū militarium ignarnm, nec à puero armis aſſuetum, tam acerbè Senatus poſtquam reſcierat id tulit, vt milites in vrbem reuocatos capitis damnauerit, & quotidie quinquagenos verberibus cæſos ſecur percuſſerit, tum etiam ſepeliri ac mortem lugeri vetuerit, vt Valerius Maximus teſtatur.

QVAESTIO IX.

Vtrum Dux dicendi peritus, an verò eloquentiæ ignarus eligi debeat

MVltorum opinio eſt, tantas naturali ingeaijs vires eſſe, vt in ſtudijs

eimen.

emendari non debeat. Vnde & in Duce exiſtimant naturalem eloquentiam in gubernando exercitu, aut gerendo bello ſufficere, artiſq; Rhetorices ſubſidio non egere Quorum ego errorem vt refellam, hanc quæſtionem conſulto inſerui, negantiumq; primo rationes ponendas eſſe cenſui, quæ potius ſuſpicione, quàm demonſtratione aut aliqua probabilitate nituntur.

Prima. Quia ad ſeditionem militem & prouinciales concitant, & in Principẽ ſuum freti eorum potentia & fauore conſurgunt, vti fecit Auraſiorum Princeps Gulielmus, qui omni ope & pecunia deſtitutus, ſola orationis vi, Hollandiæ, vicinaramq; prouinciarũ populos, in Regem hæreditarium armauit.

Secunda. Quia immani loquendi libidine inflammati, nec tacendi tempora diſtingnere, nec loquendi ſciunt obſeruare: atque ita vbique morbo non virtute facundi, ipſimet ſecreta ſua reuelãt, & vniuerſo exercitui perniniem parant.

Tertia. Quod loquaces iſti, qui nec benè loqui vllibi poſſunt nec tacere, tàm ab aduerſarijs facilè contemnuntur, quã à militibus proprijs, cum tamen valdè interſit Imperatorem habere quam maximam apud vtroſq; authoritatem.

In contrarium eſt Pyrrhi Epyrotarũ olim Regis eloquentia, eiuſq; Cancella-

rij Cineæ, vt Italicæ gentes Regis externi, quam populi Romani tam diu in ea terra imperium mallent. Quod nuper etiá in Germania fecerat Rex Sueciæ Guſtauus cum ſuo Cancellario Axelio Oxeiſternio, vt faciles ad credendum factariorum animi potius vellent ab vltimo ſeptentrione venienti Regi parere, quam inclytæ domui Auſtriacæ, ſupremum Romani Imperij apicé, tot ſæculis iam tenenti. Etſi igitur eloquétia quoſdam impetus à natura ſumit, tamen vt ſit prudens & efficax perfici ab arte debet; quia & quos in exemplum adduximus non niſi à doctrina tam potentes in ſermone fuerũt, & linguas externas, quas callebant non niſi maximo cum ſudore didicerunt. Quare optandũ omnino foret, vt qui in ſpem tàm militarium honorum, quam aliorum magiſtratuum politicorum educãtur, ijs ante ſtudijs aſſueſcerẽt, quæ ad munia obeũda maximè ſolent & poſſunt conferre.

Primo. Quia licet aliquis ſit ingenio igneo acri, & omnium capace, at nulla ſagacitate in eloquendo prædito, poterit quidé omnibus bellicis negotijs par eſſe, ſed quid cum ſeditio in caſtris orietur? cum de pace conditiones tractandæ erunt? cum ad prælium miles procedere noluerit? Ergo dulci ſuada & prudenti opus eſt, vt furentes ſeditione animi

animi

animi conquieſcant ad præſentiam, & ſermonem Ducis ſui; vt excitati eloquẽtia metum deponant, & ardua quæque atque formidoloſa deſpiciant, vt decertent fortiter contra numeroſam multitudinem & potius velint honeſte mori, quàm turpiter fugere. Ita ChodKieuicius contra quatuordecim Suecorũ millia, cum tribus Polonorum millibus progreſſus apud Kircholmiam ita ſuos prudenti exhortatione animauit vt cũ mori pro gloria gentis ad Ducis ſui perſuaſionem omnes deſtinaſſent, vix ſeptẽ perierint & vltra centum vulnerati eſſent, aduerſarios verò ad internecionẽ penè cum ſuis Ducibus deleuerint; pauciſſimis exceptis quos à furore Martis fuga ſaluauerat.

Secundo. Quia vehementi Imperatoris concione erecti, non tantum ad prælium animoſe procedunt, aut difficilem aliquam vrbis oppugnationem, ſed acie iam pulſi, & in turpiſſimam fugam cõiecti, efficaci Ducis ſui' exclamatione perſtricti, iterum ad prælium reuertũtur; & tacito quodam conſenſu in propoſitam, dulci eloquio Ducis, laudẽ victoriamq; acriter decertando cõſpirant, ac amiſſam recuperant aciem. Ita fugatis omnibus apud Lutzam Valſteinij copijs, ſolus Picolomineus ſuos in acie retinuit, monendo, hortando, & inci-

tando ad laudem; geſtibus, ſignis, voce. Quia non ita auribus percepti tubarum clangores animos ad pugnam acuunt aut irritant, vt hortatrix ad virtutem & gloriã oratio, intrepidas expeditæ aciei mentes ad oppoſita pericula erigit ſtabilitq; imo & metu conterritos, penèq; iacentes ſępè conſtanti roborat allocutione, vt fecit ZolKieuius in pugna Czeczorienſi cum Turcis, panico timore quodam noſtros poſt primam decertationem nocturno tempore occupante cum de ſeptem millibus ſuorum, complures deſiderari viderent, Turcis verò ſexaginta Scytarum millia ſuppetiatum veniſſe tempore prælij conſpicerent. Nã quemadmodum latentium morborum ſanatio difficilior, conſpicuorũ facilior: ſic etiam longè maioris prudentiæ eſt, cæca perniciè deficientes, fugienteſque animos ab interitu reuocare, & efficaci oratione, defeſſos conſternatoſq; milites ad priſtinum robur & virtutem animare. Teſtatum hoc fecit Iulius Cæſar, cũ verbis memoratu dignis milites ſuos in Theſſalia fuſos à Pompeianis caſtigaſſet. *Hac*, inquit lib. 3. Ciuil. *habita ratione, exercitui omni tantus inceſſit ex incommodo dolor, tantumq; ſtudium infamiæ ſarciendæ, vt nemo aut Tribuni, aut Centurionis imperiũ deſideraret, & ſibi quiſque etiam pœnæ loco, grauiores imponeret labores, ſimulq; omnes ardere cupiditate pugnandi e* *Ter-*

Tertio. Quia eloquentia inſtructus, ipſe aduerſariorum legatos expedit, cõditiones pacis ſtatuit fœdera præſcribit: & tàm hoſtes, quàm amicos in ſui admirationem rapit, conciliatq; ſibi apud omnes maximam authoritatem, vt in Ioanne Zamoſcio obſeruauimus, à cuius ore tanquam à Periclis alterius aurea catena procedebat, qua, non milites tantum, ſed omnes ciues Regni deuinciebat, omnes ducebat in amorem ſui, & admirationem. Hinc manifeſta ſequitur.

Concluſio. Nullus Princeps, nullaque Reſpub. aut exercitum ſine Imperatore, aut Imperatorem abſque eloquentia ad bellum mittat, ſi illud ex voto perfici cupit. Siquidem in omni conuentu, nihil prorſus obtinet prudẽs aliquis, qui ſaniorem ſententiam dicit, niſi perſuadeat. In militia verò ſiue pugnandum ſiue bellum trahendum, ſiue obſidionis difficultates tolerandæ, aut caſtra mouẽda ſint, quid mutus aut barbarus aget Imperator? Quis vnquam vtiliter Legatum miſit quem eloquentia non cõmederat? quis commiſſarios ad tractãdam pacem cũ hoſte elingues deputauit? Carolus V. Cæſar, grauius ſe Guilielmi Bellai Langæi eloquentia, cum is apud exteros pro Gallorum Rege Legati munere fungeretur, debilitatum

fuiſſe fatebatur, quam multorum robore, & animi magnitudine, Et Franciſcus I. cum Matthæi Cardinalis Sedunenſis meminiſſet, aſſeuerare ſolebat, aliquanto plus ſibi ſumptus atq; periculi Sedunenſis facundiæ indomitam vim quam tot legionum eius gētis cuſpides attuliſſe. Et Iacobus Zadzik Cācellarius tunc Poloniæ, cum bellum cū Moſcouitis ad Smolenſcum gereretur, quid in tractatione pacis non effecit, ab ipſimet hoſtibus arbiter in plurimis conditionibus electus. Quid non præſtitit Iacobus Sobieſcius cū barbaris iiſdem nomine Regis ſui Sigiſmundi III. atq; deinceps cum Turcis, Suecis, rebellibuſq; Coſachis paciſcendo? Quid Georgius Oſolinius ad Vrbanum VIII. primò, deinde ad Comitia Imperij Ratisbonā miſſus? Hęc ars ſeditioſos ad meliora & ſaniora conſilia reuocat, mucrones ciuilis profundendi ſanguinis, cupiditate furentes inhibet, pacem ſtabilit, & quamcunque denique vitę actionem ornat, commendat, & perficit. Quare non iniuria author dialogi de Oratoribus ait, *perſuaſum fuiſſe priſcis, neminem ſine eloquentia aut aſſequi poſſe in ciuitate, aut tueri conſpicuum, & eminentem locum*, cum ſcirent viri prudentiſſimi, tutius & facilius vulgus duci, quàm trahi, & in regimine lauream linguę plerumque concedere.

QVAE-

QVAESTIO X.

Vtrum ex agris, an verò ex vrbibus miles ſit legendus?

QVi militiam in vrbibus legunt, veterum Græcorum atq; Romanorũ exemplo, à quibus omnis militaris diſciplina profecta eſt, his potiſſimum rationibus nituntur.

Prim. Quia in vrbibus citiùs colligũtur; & in vna vrbe non modo integræ cohortes ſcribuntur, verum etiam complures legiones vna die emittuntur, quod vix menſibus aliquot in agris colligas. Lacedæmonij quatuordecim phalanges ex ſola vrbe ſua ad pugnam educebant. Quid Thebani? Athenienſes, Corintij, Carthaginenſes, Antiocheni, Quid Roma ipſa? quæ tres & viginti legiones è ſuis ciuibus in caſtra mittebat. Præſentem autem temporis ſtatum conſiderando ſi in agris militem ſcribere voles nullũ vagabundũ reperies, aut aptũ ad tractanda arma; ſed vnuſquiſq; intentus eſt operi ſuo, & ſtiuæ potius aſſuetus quá gladio aut lanceæ. In vrbibus autem tot ſunt, qui vel tędio artis ſuę mutare conditioné volunt, vel nullam arté omnino callentes, oblatam honeſtè viuendi occaſionem ſtatim libentes arripiunt.

Secundo. Quia vrbani facilius atque citiùs exercentur: ingenioſiores enim hominès ſunt in oppidis, quàm in pagis, ob aſſiduam conuerſationem inter ſe, quæ rara inter aggreſtes, idq; ſui ſimiles tantùm; in ciuitatibus verò vt gentiũ diuerſarum, ita & linguarum atq; morũ homines reperiuntur, qui vt literis tractandis ſunt aptiores, ita quoque & armis. Hinc ciuilitas morum profecta inter ingenuos, hinc vrbanitas inter nobiles, quod frequenti ſtudio, & aſſidua conuerſatione inter ſe expoliantur.
Tertio. Quia vrbani animoſiores fiũt in prælijs tanquam in libertate educati, & ſuo ingenio atque exercitio fidentes. Quare vt in moribus, ita & in armis æmulationem cum nobilitate præcipua ducunt, fortibuſq; factis contendunt trãſcribi in Album Nobilium; optimè ſciẽtes nobilitatem ortũ habere ex militia, hoc eſt, gentilitiam claritudinem publico præmio comprobatam, publiciſq; honorum inſignijs cohoneſtatam. Hinc apud Romanos tot coronarum genera, ciuilium, muralium, obſidionalium, naualium. Tot militaria dona, armillæ, haſtæ, phaleræ, torques, annuli, ſtatuæ, imagines, vt plebem accenderent ad virtutem & fortia facta. Apud Carthaginenſes verò, tot donabantur annullis, quot interfuiſſent prælijs. Iberi tot circa defun-

defuncti ſepulchrũ erigebant obeliſcos, quot ille interemiſſet ex hoſtibus. Apud Scythas veteres, in celebri conuiuio, is tantum circulatũ pateram accipere licitũ erat, qui hoſtem occidiſſent. Apud Macedonas lex erat, qui nullum hoſtem intermiſſent, capiſtro cingi in opprobriũ ignobilitatis. Apud Germanos, nemini vxorem ducere licebat, qui non prius caput hoſtis occiſi ad Regem detuliſſet. Omnia hæc in vrbibus excogitata ad excitandam virtutem; quibus omnibus agreſtes carent, & nullum virtuti in pagis præmium propoſitum habent.

Quarto. Quia vtiliores ſunt in caſtris, tanquam ingenioſiores, & qui diuerſas artes callent, ſciuntq; ipſi & arma conficere aut reficere peſſundata, & oppugnationes vrbium aut defenſiones ſua perſæpè induſtria iuuare. Ijdem munera à Ducibus iniuncta exactius villanis & aggreſtibus perficiunt.

Quinto Quia ad ſubeunda pericula oppidani ſunt alacriores: quia laude ducuntur tanquam politiores ingenio, & adhortationibus Ducum promouentur, tanquam capaciores ſpei, præmiorumq; ſibi promiſſorum, ſi fortiter ac ſtrenuè ſeſe geſſerint.

Contra, qui è pagis militem legere ſuadent, has rationes adferunt

Prima. Quia non ſunt delicijs aſſueti,

quę inciuitatibus reperiũtur,ac proinde robuſtiores, aſſuetiq; laboribus, fami, algori, & ſudori. Vnde Cato dicebat. *Ex agricolis & viri fortiſſimi, & milites ſtrenuiſſimi gignuntur. Nam vernacula illa multitudo*, inquit Tacitus, *laſciuiæ ſueta, laborum intolerans, & mercurio addicta, quæ effœminat:* ſemperq; homines quanto pecunia dites, & voluptatibus opulenti, tanto magis imbelles. Ex agris ergo omnium prudentum Imperatorum iudicio ſupplendum robur præcipuè videtur exercitus, vt faciunt Narſingani, quorum Nairi ſeu nobilitas in pagis manet; & in Calecuto è pagis fortiſſimi leguntur. Perſarumq; nobilitas, Polonorum, Gallorum, Hungarorum, cæterorumque bellicoſorum populorum nobiles, & milites equeſtris ordinis in villis vitam ducunt. Sed & vſu ipſo cóſtat, aptiorem armis ruſticam plebem, quæ ſub diuo & in laboribus enutritur. Hinc Coſachos Zaporoſenſes, & peditatum Polonicum, quos vulgò Haiducos appellamus, videmus in caſtris hyemē æquè ac æſtatem in Moſcouia etiam durare, vbi maximus cæli rigor; Germanos verò & quoſuis tranſmarinos populos eo adductos paſſim emori, quòd non aſſueuerint humi cubare, & inopiam iuxta ac laborem, cæliq; iniurias pati, aſſueti tectis, & lautiori modo viuendi.

Pro-

Propterea Iuſtiniani Conſtitutione, negotiatores, quæſtuarij, mercatoreſq; omnes à militia arcebantur, recepti priuabantur L. Vn C. Negot: ne milit.

Secunda. Quia magis mortem contemnunt aſſueti miſerijs, in ciuitatibus verò nati eam ſubterfugiunt, partim commoditatibus vitæ prouocantibus ad voluptatem, partim è literario ſtudio vitæ priuationem abhorrentes, & conſiderantes æternitatem, Hinc barbari omnes execrantur literas, ſed præcipuè Machometani, quibus in ſola militia fama bona atque immortalitas propoſita eſt.

Tertia. Quia ruſtica plebs minori sũptu conſcribitur quam vrbica; qui enim aliquam artem mœchanicam exercent, nolunt deſerere quæſtus ſuos, niſi maius lucrum ex ſtipendijs militaribus, quàm ex labore manuum ſuarum quotidiano perſpiciant. Vnde & inter officiales ſtatim non inter gregarios ſcribi volunt. Quod ſi non ſuccedat ad mentem, vili præmio illiciti ad hoſtem trãſfugiunt, & vrbes occupandi, vel caſtra tua, ingẽtibus promiſſis onerati, modos oſtendunt, & operam pollicentur.

Quarta. Quia frugaliores ſunt, & exiguo commeatu, eoq; ſimpliciſſimo contenti fiunt: vrbica verò plebs innutrita delicijs, etiã in caſtris cupeditas quærit. Quas dum non habet, vel eas rapit

vi à

vi à mercatoribus & propolis; vel vaſtat villas excurrendo clanculũ è caſtris: vel denique emoritur cum ſuetæ cupiditati non poteſt ſatisfacere aut ſuffere egeſtatem. Hinc in acie paſſim in prædam ruunt prælio omiſſo, & cæptam victoriã ob leue habendi deſiderium perdunt vna cum vita.

Quinta Quia ſunt obedientiores, natura ad parendum nati; in ciuitatibus verò nati, contumaces communiſſimè fiunt, vel diffugiunt, tanquam libertati aſſueti. Hinc ſeditiones frequentes in caſtris, conſpirationes in præſidijs contra ſuos Duces, deditiones vrbiũ & tranſitiones ad hoſtem, aſſiduæ efflagitationes ſtipendiorum, confœſierationes in Principem degradationes denique aut mortes violẽtę Imp. Omnino igitur melior ad arma eſt ruſtica plebs, quàm vrbana: & ſecundum hoc concludo ſic,

concluſio. Aeque ex agris, quàm ex vrbibus colligendus eſt miles. ſed ita in diſciplina habendus, vt & laborem non refugiat, & armorum exercitationem aſſidua meditatione optimè addiſcat: ſupra omnia autem Ducem ſuum timeat, eiq; ſit obediens. Melius tamen foret, ſi plures ex agris delecti eſſent, quã ex vrbibus, & ex oppidi paruis, quàm ex opulentis ciuitatibus; quia non ita delicijs, & queſtui ſunt aſſueti. Vnde

& in

& in rapinam non ita proni, & incommoditates omnes, tàm famis, quàm aeris ſupportare meliores: præſertim ſi montibus collecti: nam & agiliores ijs qui in planiciebus ſunt nati, & ferociores natura, inter vaſtas ſollitudines, ſaltus, ſyluas, atque aſpera ſaxa enutriti. Tum exiguo victui, eoq; inſipido ob rerum inopiam aſſueti, quia in montibus non proueniunt fruges ita, vt in agris pinguibus, & planicie læta. Ac propterea inter peditatum noſtrum, qui è Carpatibus montibus ſcribitur, & eum qui è Pruſſia venit, magnam differentiam videmus; quod iſti è ſolo pingui tardiores ſunt, & cœli iniurijs rerumq; inopia facilè franguntur; illi verò & audaciores in pericula, & manu promptiores in pugna; & quod maximum eſt nullis incommoditatibus franguntur. Vrbani verò vbique terrarum proni in motus, præſertim ſi plures in vno loco: nam ab armis ferociorem & magis exultantem populum fieri non eſt negandum, quę ſi opidanis paſſim adtribuis, vereor ne locis & mœnibus freti rebellionem fortaſſe cœptent, vt ſolent homines odio præſentium, & cupidine mutationis. Qui metus longe à paganis, tum quia natura obedientes, tum quia variè collecti, & variè deinde diducti, aut ſparſi, non temere cõſentiant & coeant in vnũ.

QVAE-

QVAESTIO XI.

Vtrum extraneus miles ſit mercede conducendus, an verò ex ſubditis & naturalibus tantùm delegendus?

AN melius ſit ſubditos ſuos inſtrucre in armis ad bella tàm offenſiua quam verò defenſiua gerenda, diu, & non vno tempore, nec in vno loco dubitatum; idq; propter diuerſas populorum conſuetudines, diuerſaſq; rationes; quibus ducti, alij Principes communiter vtuntur extraneis ſolum militibus; vt faciebant Soltani Aegyptij qui ex ſeruis, è Circaſſia atque Migrelia, ſeu cæteris maris Euxini accolis, faciebát vnam certam militiam, quæ omnes gradus & honores Reipub poſſidebat; & hos vocabant Mamaluchos. Dum autem numeroſiorem volebant habere exercitũ. Arabes mercede conducebant & Nigritas: ſubditos verò nuſquam arma ſumere permittebant. Alij mercenarijs vtuntur, ſed & ſubditos non excludunt, vt ferè omnes Europæi Reges, ac Principes minutiores. Alij verò ſubditos tantùm vt Turcarum Tyranni Perſarum Reges, Concincini Dynaſtæ, & Chinarum Monarchæ, qui nuſquam alterius gentis aut ſectæ, milites in caſtris ſuis habere volunt,

ſunt, aut à vicinis Principibus mercede euocant, ſed quos tantummodo ſibi ſubiectos, & aliquo beneficio protectionis obligatos habent. Alij denique ſubditos & naturales tantùm, ſed non promiſcuè omnes, verùm aut nobiles ſolummodò vt Narſingani, Iaponij, Calecutenſes, Polonij, aut plebem ſolá, oppreſſa & extincta nobilitate vt Heluetij, Tlaſcalenſes, Brami, & nonnulli Europæorum qui obedientes ſuos habere volũt. Et noſtri quidem Sarmatæ olim, nuſquã mercenarios milites, præſertim alterius gentis & linguæ, patiebantur inter ſe, prout & Scythæ, Moſcouitæ, Circaſſij, atque Hungari: ſed nunc vetere diſciplina deperdita, omnes ferè iam extraneis ad bella vtuntur, imò & naturales iam non niſi ſtipendijs ſcribũt, qui nuſquam olim mercedé à ſuis Principibus efflagitabant, ſed ex agris, quos poſſidebant, obligati erant Principem ad omnia bella ſuis ſumptibus ſequi. Vnde qui naturalibus neglectis mercenarios euocant, has pro ſua parte rationes adſerũt.

Prima. Quia naturales armis inſtructi ſemper contra Principes ſuos moliuntur, vt Coſachi Zaporoſenſes apud nos, qui omnino ſui iuris eſſe cupiunt, & toties iam arma in Rempub. ea intentione ſumpſerunt, vt extincta nobilitate, toti Ruſſiæ ipſi dominarentur, nec

Regem

Regem Poloniæ agnoſcerent pro ſupremo domino.

Secunda. Quia ſubditi arma in manibus habentes, ſæpiſſimè factiones exercent inter ſe, & pro potentia quiſq; ſua, corpus Regni in plura membra diuidũt Sic Regnum Malabari in Aſia potentiſſimum in partes iuit, ſæculo paulò ſuperiore, Nairorum & Amochorum, hoc eſt nobilium & Purpuratorum factionibus diſtractum in Calecutenſe Tanorenſe, Cocinenſe, & Trauancorenſe Regnum. Sic in Africa ampliſſima Marochi Monarchia, ante centum ferè annos, diſcordijs Maurorum qui arma in manibus habebant, ſciſſa eſt in Regnum Feſſanum Arzilanum, Conganum' Tunetanum & Algerienſe. Sic in Europa, potentiſſima Monarchia Principum Kiouienſium temeritate Roxolanicæ nobilitatis, in tredecem Dynaſtias, quarum duæ notabiliores fuere, Regnum nimirũ Halicienſe, & Magnus Ducatus Moſcouiticus. Poloniæq; Regnum potentiſſimum, licentia nobilitatis armatæ, in quinque Tetrarchias diſpartitum fuerat, puta Sileſiticam Maſouiticam, Pomeranicam, Minoris Poloniæ atque Maioris Poloniæ. Et hæ deinde ſingulæ, in tot minores Ducatus, Principum ſobole hæreditatem inter ſe, æquis portionibus diuidente.

Terti-

Tertia. Quia naturales armis potentes pro libitu Reges ſuos deponunt, & mutant ſtatum Reipub. licet eam in partes aut plura dominia non diuidant, gentis ſuæ potentiam & gloriam conſeruare, volentes: Nihilominus tamen nouitatibus ſtudent, & formam Imperij permutant, vt faciebant olim Romani, qui nũc Reges eiecerant, & Conſules inſtituerát, nunc Conſulibus abrogatis ad Decemuiros Rempub. reſtituerant: iterumque his eiectis aut occiſis, Tribunos Conſulibus oppoſuerant, & tandem ciuilibus diſcordijs fatigati, ad Imperatores ſummam rei detulerant.

Quarta. Quia indifferenter ad arma admiſſi, mœchanicas artes negligunt, mercaturam ſpernunt, agriculturam deſerunt, (ſine quibus Reſpub. ſtare nequit) latrocinia exercent, vicinos infeſtant (vt Scythæ Tauricani & Valachi) continuoq; bella cupiunt, & pacem oderunt ſemper.

Quinta. Quia armis inſtructi naturales, inobedientes ſunt legibus, ſpernuntq; ſæpius mandata ſui Regis, nouas religiones amplectuntur, quarum deinde prætextu multa extorquent à magiſtratibus, multa ab agricolis, multa à Principibus ipſis. Exemplo Franciæ, Germania, Belgium; generaliſq; expeditio Polonorum ſub Sigiſmundo I. ad

Leopo-

Leopolim. Vnde ſæpius qui arcere debebant hoſtem, & prohibere populationes prouinciarum, ipſi terræ ſuæ populatores fuerunt; quod etiam & bello Pruſſico perſenſimus, aliquot ante annos. Igitur meliores mercenarij in diſciplina conſeruati. Quos tamen politici reijciunt, has ob cauſas.

Primo. Quia mercenarij proprium commodum quærunt, non tuum; & propterea tum relinquunt bellum, cum maxime opus: idq; vel ob annonæ penuriam, vel ob defectum ſtipendiorum, vel denique ob vltionem alicuius iniuriæ. Atque ita, Polybius ſcribit, Carthaginenſes mercenariorum ſuorum rebellione in extremum perdendi ſtatus periculum veniſſe, cum illis pecunias non ſuppeditarent. Quemadmodum etiam paulò ſuperiore ſæculo Griſones irati Iacobo Mediceo, diſceſſerūt à ſeruitio Regis Galliæ Franciſci I. in maxima ipſius neceſſitate. Et Heluetij apud Nauarram tradiderunt Ludouicū Sfortiam, Gallis, nulla neceſſitate coacti, niſi quod ad præſtitam diem ſtipēdia eis non exſoluiſſet.

Secunda. Quia tranſeunt ad hoſtem lucrandi maioris ſtipendij cauſa. Ita Celtiberi corrupti à Romanis deſeruerant Carthaginenſes. Et bello Pruſſico Germani paſſim diſcedebant è caſtris Polonicis ad Suecos, & à Suecis deinde ad Polonos.

Tertia.

Tertiò. Quia mercenarij ſunt refractarij, amantq; non iuberi, non regi, ſed cuncta ferè ex libidine agere, vbi vires ſuas vident eſſe potentiores. Ita Coſachi noſtri, Liſouiani vulgò dicti, quoties in ſeruitio Imperatoris Ferdinãdi II. fuere, non vbi à Ducibus hyberna deputabantur immorari volebant, ſed vbi temeritate ſua proteruè occupabant: nec tum in hoſtem excurſiones faciebant, cum iuberentur, ſed cum placeret ipſis. Idem ferè faciebant apud nos in Pruſſia Germani.

Quarta, Quia infidi ſæpè exteri, & maiore ex diuerſo mercede, ius fasque; exuunt; non fide, non affectu tenentur. Et ſi potentiores ſunt, quàm naturales, occupant imperium pro ſe. Vti fecerũt Angli, vocati à Britannis in auxilium contra Scotos & Pictones, Cruciferi Teutonici à Polonis contra Pruthenos, iterumq; à Præfecto Gedanenſi, contra Marchionem Brandeburgenſem, & Turcæ ab Imperatore Byzantino Calloiano, contra rebelles Peloponeſi Principes, & vrbes; qui Duce Amurathe primò, deinde Machomete II. vniuerſam Græciam occuparunt.

Quinta. Quia plus conſtat habere mercenarios, quàm erudire ſubditos: graues enim sũt incolis illi, ſoliti omnia tanquam externa vrere, vaſtare, rapere.

Exper-

Experti ſumus bello Prusſico, cum Sigiſmundus III. contra Suecos, Germanii mercenarios euocaſſet. Et Conſtantinopolitani Cæſares, cũ non eſſent ſoluendo Gottis, coacti fuerant ipſis proprias prouincias conſignare. Prout & Galliæ Reges, auxiliaribus Normannis adiacentiā Oceano loca. Vnde prudenter Vegetius dixit. *Vilius conſtat erudire armis ſuos, quàm alienos mercede conducere.* Quia & Romanum Imperium non per aliam cauſam corruit, quàm per mercenarium militem, cum Adrianus vocaſſet in militiā Alanos Alexāder Oſdroenos, Probus Baſtarnos, Hiſpanos, Galles: Valerianus Gottos & alios: atque ita de auxiliarijs effecti ſunt Tyranni, cum vires Romanorum perſpexiſſent, præcipuiq; Duces barbarorum, Stilicon, Vldinus, Sarus, Ruffinus, Caſtinus, Bonifacius atque Aetius, facti fuerant Principes Italiæ, qui occupauerant Romam Italiæ. Eodem modo Franci occupauerant Galliam: Burgundiones ſubiungauerant Sequanos: Vandali Aquitanos, Hiſpanos & Afros: Suevi & Alani Brittaniam: Oſtrogotti Macedoniā & Thraciam: Sclauones Dalmatiam: Saraceni Aſiam, Africam, & Hiſpaniam: atque reliqui barbarorum Duces, Radagaiſus, Alaricus, Attila, Genſericus, Biorgus, Theodoricus, vnus poſt alium deprædati

ſunt

ſunt Italiam. Hinc Carolus VII. Rex Franciæ, nolens extraneum militem introducere in regnum ſuum, cepit exercitare pedites ex ſubditis delectos, quinque millia tantùm. Franciſcus vero I. quinquaginta. Sed & Romulus ciuibus ſuis, nullam aliam artem permiſerat, niſi agriculturam & militiam, qua illi deinde orbem occupauerant; ſicut & Alexander M. Macedonibus ſuis; & Hiero Rex Siracuſarum: & Turcæ, & Mauri, & Saraceni, qui non indigent auxilijs cęterorum Regum ſed proprijs militibus omnia bella peragunt.

Concluſio. Neceſſario Principes debent ſubditos ſuos exercere in armis, ſi ſecuri in bellis volunt eſſe; & propterea robur exercitus ſitè ſubditis, auxilia è mercenarijs. Vnde Liuius. *Id quidem cauendũ ſemper Romanis Ducibus erit, exemplaq; hæc verè pro documentis habenda, ne ita externis credant auxilijs, vt non plus ſui roboris, ſuarumque propriè virium in caſtris habeant.* In domeſtico igitur & proprio milite, melior mitiorq; res eſt, qui non fortitudinem magis, quam fidem colit, vbi dilectum & diſciplinam adhibueris ſola probę germanæq; militiæ vel fundamẽta, vel firmamenta. Præterea obſequiũ & patientia imperij longè præſtantior, quàm exteris, vt ſæpius experti ſumus in milite noſtro Polono; non item verò

in Germanico, Hungarico, Gallico, Valachico, quos conquirere conſueuimus. Præterea genitus in patria miles acer in acie, fortis in pugna, *in prima fronte concurrens*, vt inquit Seneca, *& aduerſa vulneribus pectora ferens, ne Imperatoris ſui ſigna vertantur*. Eſt enim natura pleriſq; populis vrbibuſq; conſenſus quidam protegendi amandiq; Reges. Et quod maximum cenſeas, non aſcitus ſemper eſt medeſtior, & amantior patriæ ſuæ, cui & incolumitatem & gloriam naturali inclinatione optat. Hancq; ob cauſam Stephanus Rex Poloniæ ſuaſu Ioannis Zamoſcij cum Hungaros ſuos ad bellū eduxiſſet, adiunxerat illi Polōnos quoq; ex agris delectos, vt diſcerent obire munia militaria, quibus non erant aſſueti.

Nec tamen mercenarios ſeu exteros planè ſpernendos cenſeo, vtique ſi maior vis aut neceſſitas ingruat; & illi ſint cō-ducti è pugnaci aliqua gente. Sed profectò in Europa ex quauis gēte viri poſſunt eſſe, qui omni armorum diſciplinę vel arte bellandi, veteres illos milites, qui orbem terræ ſubegerunt facilè coæquabant; ſi modo exercitati & prudentes Duces delectui præponantur & inſtructio adhibeatur atque diſciplina. Nam extraneus ſemper proprium lucrū quærit: & Germani bello Neapolitano in Italiam introducti, duce quodam

Laudo

Laudo tota Italia vagabantur incendijs, cæde, præda, cuncta miſcentes; à quibus incolumitatem ſuam Senenſes, & Pontifex Innocentius VI. multo auro redimere coacti ſunt. Ex horum ſucceſſu annis ſequentibus licentiam aliæ quoq; prædonum manus ſibi ſumpſerunt, & alij Capelletos, alij Albos, alij Stellatos, alij Sanctos ſe vocabunt. Omitto vetera, vt Seleuciẽſes à Parthis; Cari à Cyro; Rhegini & Meſſanenſes à Romanis; Carthaginenſes à Gallis, Hiſpanis, Liguribus, Balearibus atque Græcis: Græci à Philippo Macedone; Britanni ab Anglo Saxonibus: Hieroſolymitani à Saladino: Hiberni ab Anglis: Apuli à Normannis: Itali à Gallis & Hiſpanis: Græci Imp. à Turcis oppreſſi; quod mercede conducti, primò loca & ſitus Regnorum perſpexiſſent, & bonitate glebæ inuitati ad poſſidendum eſſent. Taceo Gotthos à Zenone Auguſto in Italiam contra Herulos miſſos. Taceo Lungobardos à Narſete accitos; aut Anglos à Pontificibus Romanis mercede euocatos contra Romanæ ditionis occupatores: ſiquidem omnibus notum eſt, quomodo ſinguli iſti in auxilium vocati, pro ſe multis ſæculis Italiam poſſidebant.

QVAESTIO XII.

Vtrum pedites, an verò equites magis ſint neceſſarij?

Quia duplices milites terreſtri bello ſunt neceſſarij, equites, peditesq; ideo quæritur inter rei militaris peritos, vtrorũ maior eſt vſus, cum vtriſque ſanè opus ſit. Et Polybius quidem (peritus hercules in omni re bellica & ciuili ſcriptor) equites attollere videtur, & vim præcipuam aſſcribere ad vincendum, dum dicit. *Melius eſt ad belli vſus dimidiam partem peditum habere, & præualere numeri equitum, quam omnia paria hoſtibus noctumt in acie deſcendere.* Ita Parthi, Perſæ, Scythæq; omnes ſolo equitatu bella vniuerſa peragunt. Ita ferè & Turcæ: qui vix decimam partem exercitus peditum habere ſolent,& non pugnam modò nõ detrectant,ſed & vniuerſum bellum non exhorrent. Et ratio eſt.

Prima. Quia præter pugnam ſtatariã maximè ſunt neceſſarij atque vtiliſſimi, explorationibus, excurſionibus, vaſtationibus. Tum etiam ad infeſtandum atque laceſſendum exercitum inimicũ, eumq; continuis velitationibus defatigandum: tum & commeatum interuertendum,

tendum, & ad hoſtem perſequendum ex inſidijs, quod pedites nullo modo præſtare poſſunt.

Secundo. Quia communi omnium opinione, ille in pugna aperta victor eſſe putatur, qui ſuperior eſt equitatu. Exempla noſtra Europæa penè infinita. In Africa autem atque Aſia communiſſima: nam vt ſupra attigi, Parthos in bellis, nullo alio milite, quàm equite pugnaſſe, ex hiſtorijs notamus; nihilominus tamen orbem terrarum cum Romanis diuiſiſſe legimus. Saracenos verò atque Mauros, ſolo equitatu ſuo, vix Romanum Imperium non euertiſſe, occupaſſeque totum quicquid in Aſia, aut Africa poſſidebant: inſuper & in Europam tranſiuiſſe, Siciliamq; Sardiniã, Maioricam, Minoricam, Corſicam, Hiſpaniam & maiorem Italiæ partem occupauiſſe. Præterea Scythas, Moſchos, Arabes, Hunnos, ſolo equitatu pollẽtes, prout & Gotthos, Vandalos, atq; Dacos, vicinis ſuis, imò & remotioribus, ſẽper terribiles fuiſſe.

Tertia. Quia celeriores ſemper ſunt copiæ equeſtres, poſſuntq; præuenire aduerſarium, vti faciebant olim Aegyptiorum Mamaluchi, nunc verò faciũt Tartari Tauricani. Vnde Tacitus. *Equeſtrium ſanè virium id proprium, cito parare victoriã, cito cedere*. Et Ioannes Auſtriacus

olim, ſolo equitatu ad Gemblacum obtinuit victoriam, fuſoſq; Confœderatorum Belgarum toto equitatu ſeſquihoræ ſpatio, decem peditum millia, partim cepit, partim cecidit, octo autem millia profligauit; machinaſque campeſtres, currus, atque omnia impedimenta, cum Duce ipſo Goignio, in poteſtatem ſuam recepit, priuſquam ipſius peditatus ſuperueniſſet.

Quarta. Quia pedeſtres copiæ ſine equitibus, nil quidquam notabile in bellis efficere poſſunt. Equites autem, abſq; peditatu omnem hoſtilem aciem non tantùm aggredi ſed & rumpere poſſunt, etiamſi neſcio quam exercitato peditatu conſtet; præſertim ſi equites vtuntur haſtis more antiquo. Atque ita Poloni ad Kircholmiam in Liuonia, ad Cluſſiniam in Moſcouia, atque alijs compluribus locis Germanicũ Helueticumq; peditatum, vnà cũ equitatu Gallico, atq; Moſcouitico, vno quaſi impetu fregerunt, oblongaſq; eorum lanceas ſepibus & vallo extemporaneo applicatas, ita cito diſruperunt, vt secũda vice ſclopetarij eorum ſclopos ſuos globis onerare nequiuerint. Omitto quod hi hoſtibus commeatũ præcludunt, ſuperuentibus eos fatigant, prouincias depopulantur, terrorem prouincialibus inferunt, & vbi minimè ſperantur fore, iam in opinatò

natò adſunt, comburunt, occidunt, capiunt. Experimento in caſtris Cæſareis nunc Croatæ atq; Coſachi Poloni, ſine quibus, nil quidquam imperiales grauiori armatura ſua efficere poſſunt, aut toto iſto bello Germanico potuerunt.

Quinta. Quia equis dimiſſis totum id præſtare poterunt equites, quæ præſtant exercitatiſſimi etiã pedites, vt noſtra ætate diuerſis in bellis factitatum à Polonis vidimus, ad Chotiniã in Valachia contra Turcas; ad BialoKamieniũ in Liuonia contra Suecos; ad vrbẽ Metropolim Moſcouiæ contra Ruſſos; apud Pereſlauiam contra Coſachos rebelles Zaporoſenſes, & pluribus alijs in locis, in quibus tam leuioris, quàm grauioris armaturæ equites, quos Huſſaros appellamus, equis deſcenſis munia peditum obibant, & ad oppugnationem murorũ procedebant. Sed & ſuperiori ſæculo Comes Carmignuolus, Philippi Mariæ Vicecomitis Mediolanenſis Copiarum Præfectus, contra Heluеticos, qui maximè peditatu pollent miſſus, conſpecta ipſorum acie, cataphractos ſuos ex equis deſilire iuſſit, eoq; modo cum hoſte congreſſus, omnes ad internecionem deleuit.

E contra ex Hiſtorijs cuique obuiũ, Romanum peditem, infinitum numerum equitum ſæpius viciſſe, non in Aſia

modò aut Africa, vbi ferè nudi barbarorum equites fuerunt, ſed in Europa etiã quoſuis potẽtiſſimos Reges cum eorum equitatu deuicerunt. Similiter & Macedonum phalanges ex peditibus compoſitæ, Aſiæ partem maiorem occupauerant; & nunc Germaniæ populi peditatu inuincibiles cenſentur eſſe. Igitur videntur eſſe magis neceſſarij pedites.

Primo. Quia vbique poſſunt prodeſſe, tam in terra, quam in mari: tàm in pugna ſtataria, quàm in inſidijs locandis & ſuperuenientibus faciendis. Exemplo Coſachi Zaporoſenſes, qui & in plano & in montibus inuincibiles habentur: & tàm pugna terreſtri, quam nauali, barbaris ſunt formidoloſi.

Secundo. Quia citiùs colliguntur: ſumptu minore ſcribuntur & pauciori annona nutriuntur. Equitibus autem multiplex requiritur commeatus & pabulum, duploq; maior expenſa, quæ non facilè vbique habetur: & ſemper ſubuectionem poſtulat. Exemplo militia noſtra Polonica grauior, quæ ad ſuſtinendum centũ haſtatos, ad minus quinquaginta quadrigas requirit, & tot calones, lixas, propalas, propinatores, & neſcio quod procurantes pabula & victum; vt vbi cohors centenaria Huſſarorum numeratur, ibi ſexcentæ adminus animæ,

inter

inter pecudes & animalia, ordinariè dicantur eſſe

Tertio. Quia ad labores caſtrenſes, expugnandaſq; munitiones non tantum promptiores, ſed omnino neceſſarij; quia nullas ferè foſſas, pontes, vallos, aut propugnacula equites exſtruere conſueuerunt, aut poſſunt, niſi ſoli pedites, qui nec armis ita vt illi onerati ſunt, nec vllam pecudum ac equorũ curam habent; ſed ad omnia expeditiores, ſecum vbiq; fodendæ terrę, cedendorumq; lignorum inſtrumenta ferunt.

Quarto. Quia omnes ferè pugnæ in lacubus, fluuis, locis paludoſis, aut montoſis, ſolo tantum peditatu peraguntur: & in patentibus campis non minor vſus peditum, quam equitum habetur, nec prælium vllum (ſine peditatu) grandius exſtitit noſtra & priſca ætate. Vnde Tacitus de Cattis Germaniæ populis. *Omne in peditatu robur, & alios ad prælium ire videas, Cattos ad bellum,* In Polonia quoque olim Iazyges fuerunt, vbi nunc Podlachiæ Dynaſtia cenſetur eſſe, qui nuſquam aliter cum maioribus noſtris præliari ſolebant, niſi pedes; & tamen multo tempore faceſſerunt negotium Poloniæ. Idem nunc faciunt Heluetij, & cum omnibus ſuis vicinis nõ niſi pedeſtri prælio decertant. Marchio quoque Peſcarę, omnes ſuas victorias, om-

niaq; bella in Regno Neapolitano, ſolo peditatu confecit. Qui tardius vincit fortaſſe, ſed certius omnino: nam equeſtrium virium proprium, cito parare, cito cedere victoriam; vt in pugna Varnēſi videre eſt, vbi, fuſis à Vladislao Rege omnibus equitibus barbarorū, penes ſolos Ianitzaros victoria ſtetit. Impetum ſiquidem & procellem equeſtrem, facilè excipit peditatus, ſi idoneus illi ordo & arma, vt teſtantur tàm vetera Romanorum cum Aſiaticis populis prælia, quam recentia Germanorum ſub Ferdinādo II. & eius filio Ferdinādo III.

Quinto. Quia faciliùs armantur, faciſius exercentur. & facilius in prælio diſponuntur per acies, aut mutātur, vbi ſi ordines ex neceſſitate variandi ſunt, equites tardiùs dicto obedientes ſunt, & facilè aciem turbant ipſi ſuam. Et ſiue progredientibus retrocedendum, ſiue regreſſis conuertendum, aut ſtantibus mouendum ſit, nihil ſanè dubij eſt, quin hoc equitibus minus dextrè, quàm peditibus effectum dari poſſit. Quod ſi quoque equites impreſſione quadā ordines laxauerint, hos abſque difficultate reſtituere nequeunt, licet impreſſio illa remittat, quod peditibus raro accidere ſolet. Hiſce accidit ſæpius virum fortiſſimum equo deſide, timidum verò feroce mereri, ex qua inæqualitate itidem turba-

turbari neceſſum eſt: quia equus quoq; cum ſit ſenſibus præditus, pericula animaduertit, atque ægrè ſe in illa præcipitat, & dum haſtas ſibi à peditibus oppoſitas videt, ſpontè impetum remittit, & calcaria contemnit. Ideo Cæſar in Gallijs cõtra Heluetіcos pugnaturus, tã ipſe ſe in pedes recepit, quam equos omnes ablegari imperauit, vtpote quos fugæ, quam pugnæ aptiores iudicaret.

Concluſio. Vbicunque bona & compoſita militia eſt, ibi plus penes peditem roboris puto, quia & in mari, & in propugnatione oppidorum magis vtiles, & magis formidandi propter machinas maiores, quas equites ſecũ ducere nequeunt. Equites autem nõniſi in pugna terreſtri, idq; in locis commodis & planis. Iam verò ſi hoſtis peditatu abundans collibus inſidebit, ab impreſſionibus & impetu equitũ omninò ſecurus erit. In planicie autem aut ſyluam, aut foſſam aliquam, aut ſæpem, aut vineta adminiculi loco habebit, & ſic impetum equitum reprimet. Vel ſi in pura & aperta planicie conſiſtet, haſtas & ſariſſas complicatas, aut trabes tranſuerſas in eam rem paratas habebit & obijciet: ſiquidem minimum quoduis impedimẽtum impetum equorum frangere ſolet, vt bello Pruſſico Poloni experti ſumus, qui equitatu potentes. Guſtauum in

locis ſyluеſtribus, montoſis, & paluſtribus acies ſuas diſponentem, nullo modò aggredi potuimus; præſertim haſtati, quos Huſſaros dicimus, & in quibus omne robur militiæ noſtræ conſiſtere putamus.

QVAESTIO XIII.

Vtrum vires maritimæ, præſtent copijs terreſtribus?

XEnophon lib. de Athe. Rep. affirmat naualis ſcientiæ & militiæ vſum maiorem & commoditaté eſſe, quàm terreſtris: ſuadetque in bello Peloponeſiaco, teſte Thucydide, Pericles vt agros potius ſuos hoſtili inſolentiæ Athenienſes permitterent quàm maris imperio ſinerent ſe priuari: quos poſt exuſtam à Perſis ciuitatem, claſſis beneficio victoriam obtinuiſſe & ſeſe in integrum reſtituiſſe legimus. Eadem mens & Venetis ſemper erat, cum à Pipino primùm Caroli Magni filio, deinde à Friderico Barbaroſſa Imperatore, poſtmodum à Genuenſibus, atque deinceps à Maximiliano I. bello premerentur. Eademq; ex cauſa, vtile hoc conſilium Philippus II. Hiſpaniæ Rex moriturus filio dedit, vt ſi liberet, cum omnibus gereret bellum, cum Inſulis

tantùm

tantùm ſtudioſè pacem coleret. Sciebat enim prudentiſſimus Princeps, non ſine periculo & difficultate illos tentari, qui mari imperant. Lubecenſis ciuitas ne mari priuetur, duobus cum Regibus & fœdera colit, & bella ſæpiſſimè pertentat, cum Dano videlicet & Sueco, quorum vterque in Balthico mari multum poteſt. Idem curat Magnus Dux Hetruriæ, Genuenſes, & Galliæ Rex in mari Tyrreno. Veneti in ſinu Adriatico, Turcæ in mari Rubro, Arabes in Oceano Auſtrali. Sed & Confœderati Belgij potentia, non alia ſane re nititur, niſi maris imperio, quod ſi ſemel deijciatur, de continente etiam atque adeo de libertate ipſorum conclamatum. Vnde Albanum prudentiores reprehendunt, quod dum mediterraneas Belgij vrbes præſidijs muniuiſſet, maritimas neglexit, quarum beneficio Batavi ad tantam potentiam deuenere, vt etiam Orientales Indias, ipſamq; Americam infeſtare nunc audeant; cum in hac diligentiſſimè hactenus potentiam ſuam maritimam Caſtilienſes, in illis verò Portogallenſes, firmarent. Quapropter vires maritimas præſtare terreſtribus copijs, has ob cauſas dicunt.

Prima. Quia miles cogitur in tempore, & bruma ſtatim diſparente, mittitur eò, quò intendis; vnde magnum

prouenit expeditionibus bellicis pōdus: quod tempeſtiue occipias, & æſtiuo tēpore omnia agas, abſque vllo impedimento frigoris; quod terreſtres copię præſtare non poterunt, quia difficulter brumæ tempore ſcribuntur, præſertim equites, cum non tantum tegumenta, & veſtes requirant, ſed & tecta cū; magno diſcommodo prouincialium, & pabula pro iumentis, quæ tempore æſtiuo vbique habent, & ipſi in caſtris ſub diſciplina manent. Hi dū primo verè ſcribuntur, vix media æſtate in campum, prodire poterunt, vt videmus domi in Polonia; ſemperq; ſub autumnum in caſtra venimus, cum & pluuiæ nos impediunt, & tempus rebus gerendis, ob imminentiam hyemis valdè abbreuiatur. Vnde fit, quod & Turca, contra Perſas aut Polonos eūdo ac redeūdo maiorē partē æſtatis conſumit, multoſq; milites & iumenta in itinere perdit: Hiſpanis autem Orientem & occidentem nauibus tenet. Hinc ſequitur ratio.

Secunda. Quia vires maritimæ ſunt agiliores: In paucis enim diebus, collectos hyeme milites tuos, expones eo in loco, quo vix cū copijs terreſtribus medio, aut integro anno potuiſſes peruenire. Quo enim maius in terra imperium habes, eò minus cōmodè exercitus tuos ducere poteris, ob impedimenta montium,

tiũ, lacuũ, ſyluarum, fluuiorũ, paludũ: quod per hæc talia, nec victualia ita aptè curribus, quàm nauibus in vnum locũ conducantur; nec machinæ grauiores, aliaue inſtrumenta belli, in tempore aduehantur; nec milites ipſi pro tuo libitu ad præſtitum diem cõgregentur: partim infirmitatibus diuerſis, ex mutatione aeris debilitati: partim curribus &, impedimentis varijs bellicis impediti: partim demum equorum ac iumentorum inopia, vel reſpectu ne fatigentur ante bellum, remorati; vt toties Poloni, in expeditionibus Moſcouiticis ferè omnibus perſenſimus. Claſſis autem iſta omnia, breuiſſimo tempore quò volueris transfert, & ſimul cum milite adfert, inopinantemque aduerſarium opprimit, vt in Guſtauo videre erat, cum Liuoniam primò, deinde Pruſſiam atque Pomeraniam, non ſperatus inuaſiſſet.

Tertia. Quia terreſtris exercitus multo maiores requirit ſumptus, tàm in ſubuectione rerum neceſſariarum, quã in comparatione annonę, & ſolutione ſtipendiorũ, ac pręparatione inſtrumentorum bellicorum. Conſiderando enim equos, iumenta, & conductores, quæ omnia per inopiam & labores fatiſcunt; conſiderando victualia quę cõſumuntur priuſquam ad locum deſtinatum peruenerint; conſiderando & ſtipendũ,

quę

quæ dantur militi, priuſquam venerit in caſtra: animaduertemus tantam pecuniam à Principibus elargiri in copias terreſtres, quanta maritimæ vires maiorem expeditionis partem peregiſſent; interdum verò totum bellum confeciſſent, in Inſulis præſertim, vbi minor reſiſtentia aduerſariorum.

Quarta. Quia maritimæ vires pluribus in locis ſimul aggrediuntur aduerſarium, vti faciebat nuper Guſtauus, qui modo in Pruſſia ad Pilauiam, modo in Pomerania ad Stetinium ad Stralſundã, ad Roſtochium, adq; Lubecam cum ſuis copijs comparebat, quoq; minimè ſperabatur venire, vrbes & munitiones oppugnabat, aut laborantibus ſuis recentia ſubſidia ſubmittebat. Quod conſiderans olim Cæſar Germanicus, voluit transferre militiam terreſtrem in mare, iuſſitq; mille naues extruere, vtilius putans numeroſum exercitum, tempeſtiuè, & totum ſimul, in longinquas terras deportari quam cum maximis difficultatibus per terram conducere. Hinc Tacitus dicit. *Bellum maturius incipi, legioneſq; & commeatus pariter veh: integrum equitem equoſqs per ora, & alveos fluminum media in Germania fore*: Conducendo autem militem per terrã, haſce incommoditates enumerat. *Milite haud perinde vulneribus quàm ſpatijs itinerum*

rum damno armorum effici. Feſſas Gallias miniſtrandis equis, longum impedimentorum agmen oportunum ad inſidias, defenſionibus iniquum,

Quinta. Quia maritimi exercitus, terras ignotas aperiunt, inueniunt atq; occupant Inſulas, quæ pedibus adiri non poſſunt. Exemplo Caſtiliani & Portogallenſes, tum Arabes quoque & Iaponenſes. Iam verò quæ ignota marium litora, quaſue deſinentis mundi oras ſcrutata non eſt Belgarum nautica? aut Batauorũ exercitus maritimi? aut Anglorum pyratica? Nimirum quanto illos intra fines terræ contractiores incluſit natura, tanto ampliores ſibi ipſi aperuere Oceani campos.

Contra, qui terreſtres copias præferunt maritimis, has rationes adducunt.

Prima, Quia terreſtres copiæ non indigent, mari, maritimæ verò copiæ non poſſunt eſſe ſiue terra, quæ & annonam & arma, & homines ſubminiſtrat.

Secundo. Quia milites exercitati militare in terra, ſunt quoque optimi & in mari: aſſueti autem claſſi & bellis maritimis, nihil valent in terra. Atq; hinc experientià videmus, quòd nullus Rex habitans in Inſula potuit propagare suũ Imperium in continenti, vt Reges Cypri, Tyri, Siciliæ, Angliæ, Hybernię, Sardiniæ, Maioricę, Socotorę, Calecuti, Goæ.

Goę. Sed neque Cretenſes olim, aut Polycrates Sami Rex , qui mille naues armatas habuiſſe dicitur aut Rhoeij,aut deniq; Veneti Genuenſes,Piſani,Britani, Batauí,quãmuis mari potentiſſimi, aut fuerint,aut adhuc ſint, in terra continẽ-ti vnquã latè protulerunt imperium. Nã & Romani Carthaginenſes, & Saraceni Græcos Imp.& Auguſtus Sextũ Pompe-iũ terreſtri militia potiùs deuicerunt,& maris dominio penè nullo negotio pepulerunt, quã maritimis copijs aut præ-lijs. Sed & Lidij, Pelaſgi, Egyptij, atque Mileſij mari olim potentes fuerũt,prout & Iaponenſes in Aſia; ſemper tamẽ intra limites ſuos ſteterũt;qui verò in terra habuerunt magna ſua imperia,dominabantur mari,vt Romani,Gręci,Vandali, Saraceni,Chinẽſes,& nũc Hiſpani atque Turcę,qui licet longè nati ſunt à mari, & nauigationis ignari , ſed cum copijs terreſtribus occupauiſſent portus celebres,& ciuitates maritimas,facilè poſtea occuparunt & maria , Inſulaſq; in mari mediterraneo, ac Euxino : claſſiq; eorũ liberè vagatur per Sinum Perſicum , & Mare Rubrum.

Tertia. Quia copiæ terreſtres ſunt ſẽper ſecuræ, maritimæ autem ſubiacent ventis , & tempeſtatibus; ſæpiuſque haſte non viſo pereunt omnes ; vt accidit claſſi Venetę,in Cyprum nauiganti,

cum

cum Nicoſiæ atque Famaguſtę ciuitatibus à Turca obſeſſis ſubuenire properarent. Vel ſi non pereunt, tum iactatę tempeſtatibus tardę ad portum exoptatum perueniunt; aut quaſſatę fluctibus diſſipantur per diuerſa littora, & prouincias, vt euenit Sigiſmundo III. è Polonia in Sueciam ſecunda expeditione nauiganti, qui dum labentes Sueciæ res fulcire cupit, ſoluta claſſe è portu Dantiſcano, vna ſolummodò cũ naui Colmariam appulit; cęteræ verò naues per diuerſos Germanię portus diſiectę fuerunt, Quare rebus omnino infectis, in Poloniam redire coactus fuit.

Quarta. Quia non omni tempore vires maritimę in vſu eſſe poterunt, prout copię terreſtres; quę rigidiſſima etiã bruma à bellis coeptis non ceſſant; claſſis verò, in Septentrionalibus prę ſertim partibus, toto hyberno tempore, quieſcere cogitur.

Quinta. Quia non vbique poteſt perueniri nauibus, quo copię terreſtres pertingunt: nec vbique claſſis fabricari poteſt, etiamſi maria patentia habet, partim ob inopiam materię: partim ob incommoditatem littorum, & partim ob penuriam artificum aut nautarum; qui nonni ſi ſumptu ingenti aliunde euocari

poſſunt;

poſſunt; quo ſanè ſumptu bona pars exercitus terreſtris ali potuiſſet. Ex his, atque alijs quę adferri poſſunt, rationibbs ſequitur.

Concluſio. Potentia maritima fundatur ſuper potentiam terreſtrem: Nec in mari quiſquam poteſt eſſe potens, niſi primò ſit potens in terra, ex qua debet habere & nautas, & milites, & commeatum, & arma. Pręterea, materiam fabricandarum nauium, ligna, ferrum, canabim, lintea, picem, metalla fundẽdis tormentis apta, cęteraq; ad armandã claſſem neceſſaria. Hinc multa licet acquiſiuerint Iberi in Aſia, Africa, atq; America, viribus maritimis, ſemper tamẽ claſſem ſuam armarunt in illis prouincijs, quas poſſident in continenti nõ verò in Inſulis, & vbi dominium à mari in mediterranea habent protenſum. Prudenter itaque Coſmus Medices dicere ſolebat, eum Principem non debere vocari potentem, qui viribus terreſtribus non adiungit potentiam maritimam; aut in mari late extendens ſuum dominium, non habet potentiam in continenti. Nam Alphonſus Albuquertius, inter Vicereges Indiarũ, apud Hiſpaniarum Reges celeberrimus, qui Ormuſium, Malacas & Malabares inſulas occupauerat, etſi compluribus vicinis Regibus formidabilis fuerat: ipſique

Emma-

Emmanueli Regi ſuo fortaſſe nimium grauis, quod non ſemper mandatis ſuis pareret, ſed pro libitu ſuo vſq; ad mortem in illis partibus, contra expreſſam Regis ſui voluntatem imperaret, nec vllo modo ſucceſſoribus ex Hiſpania miſſis magiſtratu cedere vellet. Tamē non erat metuendus Hiſpanis valdè, quia ſubſiſtere illarum Inſularum potētia non poterat, ſed omnia ad firmandam claſſem ſuam ex Europa requirebat: prout & ſucceſſor ipſius deinde, Franciſcus Almeida.

QVAESTIO XIV.

Vtrum præſtantius ſit Marte aperto decertare, an verò ciuitates munitas expugnare.

Aiunt receptum eſſe inter belli peritos, eum, qui copijs pręualet, & agrum hoſtilem in ſua poteſtate habet, ſuperiorem bello videri; & victoriam ſequi deditionem oppidorum. Nullūq; eſſe tam valdè munitum locum, qui intercluſis auxilijs & commeatuū ſubuectione, expugnari nequeat. Alexandri M. vox celebris eſt: *bello vicimus: ſi prælio vicerimus*. Et Germanici orantis: *inſiſterent cædibus: nil opus captiuis, ſolam internecionem gentis finem bello fore*. Eadē Franciſci Sfortiæ bellicoſiſſimi Imperatoris ſententia fuit: deuicto hoſtili exercitu

citu bellatum eſſe; at expugnatis vrbibus & caſtellis, ſæpè bellum longè maius ſuperfuiſſe. Ferdinandus II. cum prælio ad Pragam Fridericum Palatinum viciſſet, totam Bohemiam ſtatim recuperauit. Proinde, qui præſtantius in bellis eſſe putãt, Marte aperto pugnare & vincere, his potiſſimum rationibus nituntur.

Prima. Quia bellum fortitudine militum conficitur, hæc autem monſtrari non poteſt, niſi in acie, vbi pars vtraque offenſiuo modo agit; in oppugnationibus verò vrbium, quia propugnatores defenſiuè procedunt, mœnibus, & propugnaculis tecti, robur militum & vera fortitudo monſtrari nequit.

Secunda. Quia in oppugnationibus plus habet Dux temporis ad conſultandum, & exequendum id, quo poſſet hoſtem ſubijcere ſuę poteſtati: habetque tempus arte & ingenio agendi. In cãpo vero omnia quaſi ex improuiſo veniunt, milleq; caſus in pręliandũ nõ ſperati accidunt, quibus occurrere maius requirit ingeniũ, & maiorem audaciam.

Tertia. Quia oppugnationes, vt plurimum, cum ſunt difficiles, tempore ipſo perficiuntur, & ligone atque fame edomantur: in prelijs verò animi vigore, corporis opus ad euitandum pericula, quę poſſunt fieri inſtanti.

Quarta.

Quarta. Quia oppugnatio ſemel reiecta, iterũ iſtaurari poteſt, acie verò ſemel profligata, victor ſtatim, omnia deuicti inſtrumẽta & apparatus capit; fit dominus & vrbiũ & prouinciarum. Nec permittit fugatũ, niſi ægrè valde, vires recolligere, vt accidit Carolo VIII. Regi Galliç in Regno Neap. profligato & Frác. I. ab ijſdem Hiſpanis in Inſubrib. deuicto.

Quinta. Quia maior opera eſt Marte aperto vincere quam vrbem expugnare Mœnia enim tantum machinis quaſsátur, & ignibus ſuppoſitis aut iniectis diruuntur: in acie verò res cominus gladijs geritur, ad quod viris opus eſt fortibus; oppugnatio autem etiam ab ignauis tempore ipſo perficitur, dum incluſi diuerſis incommoditatibus fracti, puta fame, vigilijs, aeris infectione, anxietate animi, vulneribus, defectuque miſſilium ad deditioné coguntur, aut morte in propugnantes aſſiduè graſſantes, ob paucitatem defenſorum, à ſuperueniente multitudine opprimuntur.

Sexta. Quia obſidione vrbium vires ſuas Principes debilitant inaniter, & parum lucrantur de hoſte, cum auté acie vincunt, fiunt domini & vrbium & Regnorum. Quapropter non placet illeſos, quo crebrò, omiſſis aciebus, morã facimus in obſidione oppidorũ caſtellorumq; quo tempore potuiſſemus totam prouin-

prouinciam debellare. Notatur error Bardanis apud Tacitum, qui dum in Seleucienſes ira accenſus obſidioni vrbis validæ, & munimentis obiecti amnis, muroq; & commeatibus firmatę implicatur, hoſti reſtaurandi belli occaſionem prębuit. Ludouicus XII. Gallię Rex ab Henrico VIII. Anglię Rege in tantas anguſtias coniectus erat, vt deſperatis rebus ſuis in Britones Armoricos fugam mediaretur. Sed ſalutem ipſi hoſtium negligentia attulit, qui obſidione Terracanę vrbis quinquaginta dies occupati, animo reſumendo tempus dederunt, cum ille aſſiduis oppugnationibus vires ſuas attriuiſſet. Sed & Franciſci I. vires Perpiniani oopugnatione debilitatę fuernnt. Caroliq; V. potenria Sandeſiriana obſidione, ita labefactata erat, vt nec ille in Hiſpaniam, nec hic in Galliam vltra progredi potuerit.

Septima. Quia maior eſt gloria, & fama acie vincere quam vrbes expugnare. Alexander M. exemplo eſt, qui quod Darium acie viciſſet immortale apud poſteros nomen aſſecutus eſt. Similiter Tamerlanes, Baiazete II. Turcarum Imperatore vno pręlio deuicto, multorū ſæculorum gloriam adeptus eſt, prout & Sapores Rex Perſarum, capto in acie Valeriano Romanorum Imperatore. Sed & multò ante in ore omnium Scipio

pio Africanus fuit, qui in Hiſpania acie profligauit Aſdrubalem, Mandonium & Indibilem: in Africa verò Hannonē, iterumq; Aſdrubalem, Siſacem, & Annibalem, nullam autem obſidionem fecit, nullamq; munitam ciuitatem expugnauit, prẹter Carthaginem, quẹ exercitu in prẹlio campeſtri amiſſo, ſtatim & animum perdiderat. Apud nos in Polonia ex prẹcipuis bellatoribus cēſentur, Boleſlaus Criuouſtus quadragies ſepties acie victor, & Conſtantinus Oſtrogius, ter & trices triumphator quorum vterque nullam vrbem expugnauerat.

Cẹterum quia nunc bellum translatum eſt, è campis ad muros, & à gladio ad ligonem, ideo difficilius eſſe videtur ciuitates expugnare, atque percōſequens glorioſius quam acie vincere.

Primo. Quia in acie victoria ſẹpius fortuna fit, quàm militum robore, vrbes autem non niſi ingenio, viribus, ſumptu, auſuq; ingenti capiuntur. Vnde egregiam laudem merentur, quicunctationem afflictis rebus ſalutarem temeritati fortunẹ prẹtulerunt, potiuſq; bellum cum tempore gerendum inſtituerunt, quam vnico iactu de ſumma rerum decretare voluerunt.

Secundo. Quia maior audacia eſt aggredi muris cinctum, quam thorace muni-

munitum, maiorq; fortitudo expugnare eum, qui vallo ſæptus eſt, quàm qui in campo aperto ſtat, Et hinc naſcitur illa longitudo temporis in obſidendo, & difficultas in oppugnando, quod hoſtis mœnibus incluſis ſecurior eſt oppugnãte, & melius armatus aſſilente.

Tertio. Quia in oppugnatione vrbiũ non ſolùm cum hominibus pugnatur, ſicut in acie, ſed etiam cum ſitu loci, cum aſperitate cœli, cum inſalubritate aeris, & cum ipſa denique natura, partim ſupra terram, & partim ſub terra aggrediendo hoſtem; euitandoq; periculum, tàm ab obſeſſis, quam ab illis, qui veniunt in ſuccurſum; Quod fortiſſimo animo Conſaluus Magnus ſuſtinendo licet aperto Marte nuſquam decertauerit, expugnando tamen cõtinuè vrbes, Magni nomen promeruit: quia ſic è Regno Neapolitano (poſtquam expugnaſſet Tarentum, Caietam, Neapolim, atque Rubiam) Gallos eiecit: è Cefalonica Turcas, & pro Rege Catholico acquiſiuit Regnum Granatæ.

Quarto. Quia defenſores, qui ſunt tecti muris, non ſolum vtuntur tormentis æneis, ſclopetis, & gladijs, ſed etiam igne artificiato, calce viua, pice, oleo feruenti, lapidibus, omniq; alia re, quæ offendere poteſt: quibus rebus, nudati ſuis propugnaculis aſſilientes, nõ poſſunt

vti

vti omnino, raroq; defenſoribus ſuis artibus inferunt damnum, vt experientia docemur. Quia mille incluſi munitioni alicui forti, poſſunt triginta millibus oppugnatorum, non raro per annum integrum reſiſtere, vt nuper factum fuerat à noſtris, qui à centum triginta millibus Moſcorum, tranſmarinorumque militũ obſeſſi, vix duo millia defenſorum tolerarunt, plus quàm per integrum annũ reſiſtendo: qui tamen vix ſeptingentos de ſuis toto oppugnationis tempore amiſerunt. Pluribus enim armis vtũtur defenſores, & efficatius multò, quã oppugnatores, qui & laborem maiorem ſubeunt in diruendo, & ſumptum collocant in comparando inſtrumẽta expugnationis, & retinendo totum exercitũ in caſtris anno integro aut duobus, qui bellum marte aperto conficere poterat & finire menſibus duobus, vti cum Oſmano Turcarum Tyranno ad Chotimiã in Valachia confecimus. Hinc Duces aſſueti vincere in campo, aut euitãt obſidiones magnarum ciuitatum; aut ſi eas obſident parum proficere ſolent. Iam autem rarò illi ſtabilis eſt victoria, qui poſt eam præcipua regionis loca ſtatim non inuadit, & illam imprimis vrbem, vnde in omnia regimen. Annibal tot victorijs clarus, dum ipſam Romam non petit, inglorius tandem abijt, & qui

vincere poterat, dum victoria vti neſcit, didicit vinci. Ioannes Andegauenſis, ſuperato ad Sarnũ Ferdinando Regnum obtinere potuiſſet, ſi inuaſiſſet Neapolim, vti ante eũ fecerat Alfõſus Magnus. Guſtauus ſuperato Tyllo ad Lipſiã, ſi recta Viennã contendiſſet, in magnũ periculũ Cæſarẽ Ferdinandũ II. conieciſſet, reliquaſq; Germaniæ ciuitates & prouincias Auſtria debellata facillimè debellauiſſet. Vladislaus IV. Rex noſter, repulſus à Smoleſco numeroſiſſimis Moſchorum exercitibus ſi recta Metropolim Imperij eorũ cõtendiſſet, oppreſſiſſet Ruſſos omnino, tributariãq; ſibi Moſcouiã procul dubio feciſſet. Vrbe enim illa nõ domita, quæ ob opes, munitiones, annonã cõmoditatem ſitus, imperij ſedẽ, aliaq; ſimilia, potentia & vigore reliqua animat & ſuſtentat; inclinataq; reſtituere & poteſt & valet, fruſtra triumphum canit aduerſarius: victoriam enim alibi deguſtare poteſt, hic tantùm obtinere.

Quinto. Quia ad famã magis conducibile, nam in acie fortuna ſola & virtus militũ victoriã præſtant: in expugnationibus verò vrbiũ & ingeniũ, & labor, & ingentis ſumptus expenſio, Imperatoribus reddunt apud exteros illuſtre nomẽ, & Principis declarant potentiam; cũ nihil ei imperuiũ, nihil inexpugnabile ſit.

Sexto. Quia ad terrorem hoſtibus inijcien-

ciendum multũ conducit; quia ille, qui acie vincitur, poteſt adhuc in ſuis munitionibus ſeſe defẽdere & protrahere bellũ: ſed qui primariã vrbẽ, quæ illi in ipſo ingreſſu opponitur expugnat, nihil ſibi durũ & difficilè monſtrat; atq; ita hoſtẽ ad deſperationem, & per conſequens ad deditionem, aut petionem pacis cogit.

Septimo. Quia ſic monſtratur ingens Potentia Regis, & fortitudo Ducis, ipſius quia is qui vrbem aliquã munitã obſidet, monſtrat theſauros ſuos quaſi inexhauſtos eſſe, vt pote qui poſſit, & in campo exercitũ habere, & in expugnationes ſumptus facere. Præterea animum ſuũ inuincibilẽ monſtrat, quia cũ duplici exercitu ſe rẽ acturũ proponit, cũ obſeſſis nimirũ, & cũ iliis qui ſubſidio ſunt obſeſſis venturi. Quibus dum reſiſtit, & victoria potitur, rem multo maiorẽ præſtat, quã ſi in acie aperta cõflixiſſet: quia hic ab vtrinque aggreſſus dũ & obſidet, & obſidetur, duplo fortiores ſuorũ vires eſſe monſtrat & excurrentibus ex vrbe, & oppugnantibus à tergo, vna & ſimul reſiſtendo; vti fecit Iulius Cæſar ad Alexiam in Gallia, & paucos ante annos Spinola apud Bredam, tunc quoq; Galli apud Turinum.

Concluſio. Quia expugnatio vrbiũ difficilior eſt certamen verò campeſtre periculoſius, ideo qui in vtroq; valet, ille

maximam gloriam in re militari habet, vt Alexander Magnus, qui & Tyrum, aliaſq; infinitas vrbes munitiſſimas expugnauit, & numeroſiſſimos Darij atq; Porhi Regis exercitu deuicit. Similiter Iulius Cæſar, Narſetes, Beliſſarius, Alphonſus Magnus, Iſmael Sofiuc, Solimanus I & apud nos Stephanus Rex, Io. Tarnouius, Zamoſcius, ChodKieuicius, aliq; plurimi. Neque enim minor céſetur eſſe gloria Farneſij, qui Antuerpiam expugnauit, quam ZolLieuij, qui ad Cluſſiniam Moſcum acie vicit: aut Tyllij minor fuit labor expugnare Magdeburgum, quã Bucquoij profligare Fridericũ apud Pragam: quia hodie Principes magis contendunt munire ciuitates, quàm educere fortes in aciem milites. Vnde ſpe omiſſa vincendi in prælio, in eo ſolo elaborant vt poſſint conſumere aduerſarij vires, vt videre eſt in bello Belgico inter Batauos & Hiſpanum, & in bello Germanico inter Regem Galliæ & Imperatorem. Nõ eſt igitur quod pugnare feſtinet, cui clades nocitura plus eſt, quàm victoria profutura. Ita enim Franciſcus I. nimio pugnandi deſiderio abreptus non Mediolanenſi ſolùm Ducatu exutus, ſed etiam captus ipſe, ius quod in varia ante loca Gallis erat, coactus fuit eiurare Quid enim inſanius, quam nudare quæ ſufficerent præſidijs

vrbes?

vrbes? iuuentutem educere? & patriæ ſalutem, incerto vnius prælij euentui, cõmittere? Romani olim ſiue fato ſuo, ſiue ſecunda quæ diu ipſis fauerat fortuna ebrij, Gallorũ arma cõtemnentes, ad Alliá flumé profligati, adq; Cremerá cæſi fuerũt, quod vnico plio decertare maluer, int, quã deſédere ſeſe in vrbe mænibus; quá illi nudá præſidio inueniétes, igne ferro, manibus, ſolo æquarũt. Trahédũ erat bellũ (vti fecerat ChodKieuicius ad Chotimiá cũ Turcis vallo cinctus in caſtris) nec ſtatim cũ tá ferocibus hoſtibus tentanda pugnæ alea, donec inuicta illa rabies, & impetus, qué pro virtute barbari habent, conſeneſceret.

Quéadmodũ igitur, viris & virib. ſuffulti eſt inſtare, pmere, vrgere, otiũ non pati, nõ deſidere; ſed agere, ferre res hoſtiũ, omnia deniq; tẽtare, vt ad manus deueniatur. Ita ĩbecillioris partes sũt, fruſtrari impetus, moras nectere, illudere vĩ hoſtiũ, trahere tépus, opperiri dũ aliqua neceſſitas pecuniæ, aut cõmeatuũ, aut defectus ſupplemétorũ dũ deniq; tædiũ & lõga dies hoſté conficiat. Munitaſque vrbes, hoſtilis annonæ cõditoria, armorũ fabricas, exercituũ refugia: vel etiá minora loca, ex quib. noſtris cómeatuũ ſubuectio, pabulatione infecta reddi poſſit, poſt terga intacta relinquere nulla ratio perſuadere poteſt, cũ attriti ſua mole hoſtes fuerint, armis occupare.

QVAESTIO XV.

Vtrum ſuperuenientibus & inſidijs, an publico Marte conflictu præſtet?

NOtũ veteres ſtataria pugna tá obſtinatè pugnauiſſe, vt paucis prælijs,atq; adeò interdũ vno debellaretur. Quæ ſententia multis olim placebat;nũc ſolis ferè Oriẽtalibus, reliqui ferè omnes Europæorũ peſſima conſuetudine, bellũ potiùs cauponari, quã gerere videntur: paſſimq; videmus modernorũ Ducum more ducendo bellũ, exhauriri ærariũ, colonos agris auferri oppida, vrbes prouincias regna incolis ſpoliari,&ad miſerandam vaſtitatem redigi,nec niſi laſſata vtrinque crudelitate,de pace cogitari,& vt Tacitus loquitur, *vbi ſolitudinẽ fecerint, pacẽ appellari*. Hinc aiunt Romanos magnis viribus bella geſſiſſe,quò, breuiori tẽporis ſpatio conficerentur: hoſti obuiã profectos ſtatim dimicaſſe victis leges tuliſſe. Qui igitur eorum imitatione & documento, publico Marte confligendum putant,aiunt.

Primo, Quia per tædia & moras frangitur militis animus, vigorq; ingeneratus vel ab exercitio,vel à natura,cũ tempore euaneſcit,præſertim, ſi vel cœli inclementia,vel rerũ inopia accedat; qui alias primo impetu omnẽ aduerſarij potentiã frangere potuiſſent. Ideo Carolus Borbonius,cũ in partes Cæſaris trãſiſſet,

quam.

quamuis numero præualeret, ſtudium & alacritaté pugnandi in Gallico exercitu notans belli aleá téntare nõ voluit, donec & cómeatuũ inopia, & ingruétis hyemis moleſtijs, primus ille impetus (quem pro virtute Gallos habere etiam veteresnotauerunt) conſeneſceret. Sciebat prudentiſſimus Imp. & cui res Galliæ longo vſu perſpectæ erant, facilius & tutius ferociſſimos hoſtes mora & difficultatibus expugnari, quàm ferro.

Secundo. Quia miles in vnũ congregatus, ſi detineatur diu, morbis & contagione perit, qui congreſſus cũ hoſte non inultus cecidiſſet in acie, & forſan victoriã audaci ſuo conatu obtinuiſſet. Quod notatũ in Valſteinio, qui cũ quadraginta millibus in Hungariá progrſſus contra Gabrielem Betlehemium Tranſyluaniæ Principem, cũ otioſus in caſtris ſederet, totum exercitum contagione amiſit.

Tertio. Quia è diuerſis gentibus conſcriptus miles, ſi ſtatim ad præliũ nõ procedit, diſſipatur mora; auxiliaq; ab amicis ſubmiſſa, aut diffugiunt, aut emeritis ſtipendijs cũ indignatione abeũt domũ. Et hac ex cauſa Guilelmus Orangius Brabantiá ingreſſus, toties Hiſpanis offerebat pugnam, ſed Albanus quòd animo prouideret exercitũ Orãgij ex fœderatis Principibus Germaniæ conflatũ, hyeme ingraueſcẽte diu durare non poſſe,

ob defectum ſtipendiorum præſertim, ac commeatuum inopiam, nullis rumoribus ſuorũ adduci poterat vt aperto Marte confligeret, mallens potius ſeram, ſed ſecuram, quam recentem, ſed dubiam & cruentam victoriam habere, Nec cum fefellit opinio, diſcordia inter milites ob non ſoluta ſtipendia oborta; vbi & ipſe Orangius periculum ſubierat, & ductores ordinum plurimi: & tandem ab Albano victi, & tota Brabantiã eiecti. Vnde Paulus Aemilius dicebat. *Perraro nimis bonum Imperatorem, ſignis collatis decertare, niſi ſumma neceſſitudo, aut ſumma ei occaſio data eſſet.* Certa enim illa alea, igitur alia magis via debellãdus hoſtis eſt præſertim qui hoſtili eſt terra, inter omnia inimica infeſtaq; & quê nullæ vrbes accipiunt, nũlla mœnia tegunt.

Quarto. Quia differendo pugnam conſumitur victualia exhauritur ærarium vaſtantur prouinciæ, metuſq; inijcitur militibus, ſi vel leuiter in ſuperuentibus faciendis fortuna tibi aduerſata fuerit. Quapropter ſtultum putatur, ſedendo ac votis debellari credere poſſe. *Et in tardãdo,* inquit Xenophon, *ſæpè Ducibus etiã optimi apparatus pars aliqua periit;* imò totus, vt in ſupradicti Valſteinij mora inutili cõnotauimus, qui ad Stralſundam fruſtra cũ numeroſiſſimo exercitu conſedebat; cõtraque Arnhemium progreſſus, totam

æſta

æſtatem ſimili ocio conſumpſit.

Quapropter, qui publicum certamen euitare cupiunt, has in contrarium rationes adducunt.

Prima. Quia nimium periculoſum, Conſlictus etenim publicus duarũ, vel trium horarum tantùm certamine diffinitur, ſed quo peracto, partis eius quæ ſuperata fuerit, ſpes omnis intercidit. Ideo omnia antè cogitanda ſunt, antè tẽtanda, antè facienda, quàm ad vltimum veniatur abruptum. Sempronius in prælium cum Annibale ruens, magnas temeritatis ſuæ pœnas dedit; cũ diſperſis enim aliquot ægrè Placentiam fuga euaſit. Et Flaminius ad Traſimenũ lacum ab eodem Annibale deuictus, & occiſus fuit, non aliam ſanè ob cauſam, niſi quod aduenũ collegæ non expectaſſet, & moræ impatiens in aciem deſcendiſſet. Cæterum & nunc pleræque gẽtes moræ impatientes ſunt primoſq; impetus habent validiores, ac propterea vnico prælio confici bellum volunt: ſed falluntur nimiũ, ſicut & Obignius nobiliſſimus Gallici exercitus Imp. in Calabria Regni Neap. prouincia, qui cum monenti Ludouico Regi, vt bellũ traheret, nec vllo modo rẽ in diſcrimne mitteret, non auſcultaſſet, in eodem loco, in quo paucis ante annis, memorabili prælio Ferdinandum Regem, & Conſaluum

Magnū, ſumma cū laude ſuperarat, turpiter victus & captus fuit. Nec Frāciſcus I. Hiſpanicū carcere euitare potuit, quòd feſtinanter ad prælīū deſcendit. Nimius ille ardor, vti magni plerūq; ingenij index eſt, ita, niſi rationi pareat, ſæpè infelicis. Vnde cū Auguſto nihil minus in perfectis Ducibus, quā infeſtinationē temeritatéq; côuenire arbitror. Nos ad Ghotimiā non alia re Turcā cōminuimus, niſi mora & ſuperuentibus aſſiduis præſertim nocturnis, quòd in omnibus actionibus ſuis, ira eū magis & impetu, quàm conſilio regi cognouiſſemus. Aliter cum tam numeroſo exercitu illius Marte aperto confligere non erat certe ſecurum nobis, qui vix ſextā exercitus illius partē, noſtrorū militū numero exæquabamus. Præſtat igitur, vt agentem bella ratio ducat, quàm fortuna; quia multa bella impetu valida per tędia ac moras euanuere. Temerariorū autē Ducū manibus ceciderat bellicoſiſſima Numantia, ornatiſſima Corinthus, ſuperbę Thebæ, doctę Athenæ, ſancta Hieruſalem, ipſaq; Romani Imperij æmula Carthago, tandem etiā potentiſſima Roma, eiuſque vel filia, vel ſoror Conſtantinopolis.

Secunda. Quia ſuperuentibus atq; inſidijs frangendo hoſtē, milites tui animantur, accenduntúrq; ad generale præmiū & victoriā, tyrones præſertī & qui

nunc

nunc primum militiæ nomina dederũt. Fapropter intereſt valde, vt conſideret Dux, vtrũ tyrones an veteres milites habeat, vtrũ ante breue tempus in expeditionibus fuerint, an annos aliquot in pace durarint: quia pro tyronibus habẽdi ſunt, qui pugnare longo tẽpore deſierũt. Dux igitur priuſquã decertare velit, tales milites ad omnia genera exercere debet armorum, & diligenter obſeruare quid artis poſſint habere, quid virium, quemadmodũ ſibi ipſi conſentiant; vtrũ ad tubarũ monita, ad ſignorũ indicia, ad præcepta vel nutũ ſuũ promptè & benè obtemperent. Et poſtquã in omnibus ad plenũ fuerint eruditi, ne ſic quidẽ temere occaſione captata ad publicã ducendi ſunt pugnã, ſed ante minoribus prælijs imbuendi, præſertim ſi aduerſariũ intelligis potiorem. Quod ſi verò adhibito conſilio Dux prudẽs, multis rebus ſuperior hoſte ſuo inuenitur, opportunũ ſibi non differat inire conflictũ, vt fecit Zolkieuius ad Cluſſinũ, inſperateq; ſuperueniens è ſyluis, quatuor millibus Polonorũ, octuaginta millia Moſcouitarum miraculosè planè profligauit; ſexq; tranſmarinorũ militũ millia, cũ Duce eorum Comite de Pontibus, in deditionẽ accepit. Cauendum autem eſt, ne Imperator dubitantem, aut formidantem exercitũ ad pugnã publicã aliquando producat, vt

fecerat Dux Mansfeldius in Liuonia, cõtra ChodKieuiciũ in acié prodiens trepidus; vbi turbatis primis aciebus, reliqui ſuppetias ſuis nullo modo ferre voluerũt, qui in ſubſidijs collocati fuerant.

Tertia. Quia ſuperuentibus conſumitur hoſtilis exercitus, ac ærarium eius exhauritur, præſertim cum numeroſum exercitum habet. Quod probare Q. Sertorius volens, qui experimento didicerat ſe imparem vniuerſo Romanorũ exercitui, vt barbaros quoque inconſultè pugnam depoſcentes doceret, adductis in conſpectum duobus equis, eorum præualido alteri, alteri admodum exili, duos admouit iuuenes ſimiliter electos, robuſtum & gracilem. Robuſtiori imperauit equi exilis vniuerſam caudam abrumpere, gracili autem vãlentioris per ſingulos pilos vellere, cũq; gracili ſucceſſiſſet quod imperatũ erat, validiſſimus cum infirmi equi cauda ſine effectu luctaretur *Naturam*, inquit Sertorius *Romanorum virium per hoc vobis exemplum oſtendi, milites, inſuperabiles ſunt vniuerſos aggredienti, eos lacerabit & carpet, qui per partes attentauerit.* Igitur ſuperuentibus frangendus eſt hoſtis, quod etiã Alexander Macedo facere ſolebat. Cum enim in Bactriana hoſtis in ſaltu editiore caſtra cõmuniuiſſet, ille ſeducta parte copiarũ, præcepit his quos relinquebat, vt

vt ex more ignes excitarent, ſpeciéque præberent totius exercitus: ipſe per auias regiones circũducta manu, hoſtẽ ſuperiore aggreſſus loco depulit, ac diſſipauit. Quod noſtra quoq; ætate fecerat in Moſcouia ad Troiczam Ioannes Sapieha; multiplicatis ignibus per calones, cũ hoſtes eũ in caſtris eſſe putarẽt, circũducto exercitu àtergo eos inuaſit & profligauit

Quarta. Quia ſic communiter omnes boni Duces faciunt, cumque potenti & feroce aduerſario, nõ aperto Marte prælíũ, in quo eſt commune periculum, ſed ex occulto ſemper attentant, vt integris ſuis quantum poſſint hoſtes interimant, certè vel terreant. Cuius rei memor Guſtauus nuſquã in Pruſſia Marte aperto pugnauit, ſed ex inſidijs tantũ, & ſuperuentibus varijs. In hoc tamẽ peccauit, quod ipſe ſeſe prælio immiſceret, vnde bis quoque vulneratus ſclopo à Polonis fuerat: & tandem in Germania ad Lutzam occiſus. Dux autem etiam in ſuperuentibus ex veteri doctrina prælio non ſe immiſceat (vti faciebat Alexãder, militis functus officio, non Ducis: ſed in loco tali verſetur, vt omnibus ſubſidia dare poſſit, qualiter faciebat Iulius Cęſar cui nõ deerat quoq; animus manu cum hoſte cõgredi, cũ neceſſitas ingrueret aut premeret; vti fecit in pugna cũ Nerijs, & cũ filijs Põpeij. Sed Ducis fungẽs officio,

pro-

prouidebat ne ſuis deeſſet & conſilio, & auxilio, vbi periculũ foret. Hinc primus Antonius dicebat. *Diuiſa ſunt inter exercitũ Duceſq; munia: militibus cupidinẽ pugnãdi conuenire: Duces prouidendo, conſultando, cunctatione ſæpius, quàm temeritate prodeſſe.* Et Scipio laudatur in oppugnatione Carthaginis, quod nõ iret temere ad oppugnandam vrbem ipſe, nec aſcẽderet murũ, vti Alexander Magnus, vt vulneraretur (de quo Curtius. *Quoties illum fortuna a morte reuocauit? quoties temere in pericula vectum, perpetua felicitate protexit?*) ſed ita milites authoritate, & ſubſidijs benè diſpoſitis ad prælianduũ accendebat, vt Liuius de illo ſcriptum reliquerit. *Quod plurimum ad accendendos militum animos intererat, teſtis ſpectatorq; virtutis atque ignauiæ cuiuſque aderat.* Ergo cum ex inſidijs & ſuperuentibus pugnat Dux ipſe loco ſecuro ſtet, & nõ ſe immiſceat prælio. Prælium autem qualiter committere debeat, ſit.

Concluſio. Pugnandum, aperto Marte, ſi in arcto res tuæ ſunt, dum non commeatũ non ſupplementũ, non pecuniam habeas: vel cũ peſtis caſtra tua inuaſerit: ne igitur miles contagio pereat, melius eſt rem in diſcrimen mitti: idq; pro re, & temporibus. *In rebus autem aſperis,* inquit ſcriptor rerum Romanorũ, *& tenui ſpe, fortiſſima quæque conſilia tutiſſima ſunt.*

Aut

Aut ſi meritò præſumis victoriã, & tuã partem palam potiorem eſſe videas: de quo tamen ſeriò, & nihil tibi blandiens. cognoſce. Prudenter Doctor militaris, *Dux vigilans, ſobribus, prudens, tanquam de ciuili cauſa inter partes iudicaturus, adhibito conſilio, de ſuis & aduerſarij copijs indicet. Et ſi multis rebus ſuperior inuenitur, opportunũ ſibi ne differat conflictum.* Alias noxia sẽper pugna, præſertim quando nulla te cogat res committere ſe fortunæ. Et iſti qui magis animis quàm viribus freti, ad certamen deſcendunt, feſtinatũ temerè prælium pari formidine deſerunt. Priuſquam itaque pugnã ineas, vtile eſt videre, quando hoſtis imprudentia ruat, & (quod loco ſapientiæ eſt) quando opportunũ ſe præbet. Vnde Thucydides. *Quicunque peccata aduerſariorum optimè videt, & ſimul pro ſua copia eos aggreditur, non tamen ex aperto, & quaſi acie palam inſtructa, quam ex vſu præſenti, plerumque huic res ſuccedet.* Temporaigitur obſerua, quia ſi in occaſionis momento, cuius prætervolat opportunitas, cunctatus paulſum fueris, nequicquam mox omiſſam querare: ſed imparatis cibum capientibus, dormiẽtibus, in itinere laſſis, equos ſuos paſcentibus, ac nihil tale ſuſpicantibus, ſuperuenias. *Neceſſitas etenim ante rationem eſt*, inquit Curtius, *maximè in bello quod raro permittit tempora legere.* Tu inuigila.

QVAE-

QVAESTIO XVI.

Virum liceat vti Stratagematis?

EQuidem multis ſimulationum inuolucris tegere, & quaſi velis obtendere homines ſciunt adgenitæ prauitatis indolem: lingua aliud ſæpè loquitur, aliud tacitò clauſum pectore reconditur Vnde vix eſt, vt prouidere ſibi aliquis diligenter ſatis poſſit, quo minus fallatur: & quo ſunt potentiores Principes, eò maior eſt inſidijs & improbitati locus. Qua ſanè improbitate & fraude, quam honeſto vocabulo Stratagema ſeu callidum conſilium viri militares vocāt, liceatne cōtra hoſtes patriæ in bellis vti, vel non? iuremeritò diſquiritur quia vt Cicero inquit. *Tacitè magis & occultæ inimicitiæ timendæ ſunt, quam indictæ & apertæ.* Et qui negant, dicunt.

Primo. Quia *veri militis eſt*, inquit Tacitus, *nō fraude, neq; occultis, ſed palā & armatū, hoſtes ſuos vlciſci.* Vnde Euripides.

Vir nemo mentis altæ clanculum velit.
Occidere hoſtem.

Quapropter Achæi, ab illa ipſa fallace Græcia, narrante & laudante Polybio, intantum abhorrebant à machinationibus iſtis & ſtruendis dolis, vt nec hoſtes ſuos vellent per fraudem vincere, Cretenſes; neque ſplendidam, neque firmā vllam victoriam, niſi quis palam & ex condigno depugnans, animos quoque deieciſſet aduerſariorum. Et ex Ro-

manis quoque, medicum venale Pyrrhi caput offerentem, ad eum remiſit Curius, quia cōmunis exempli intereſſe iudicabat, ne tale quid admitteretur. Tiberius quoque Adgandeſtrio Cattorum Principi, Armenij mortem ſi venenum mitteretur, promittenti reſpondit, *Non fraude, neque occultis, ſed palam & armatum populum Romanum hoſtes ſuos vlciſci*, Tacitus refert. Alexander Magnus latrunculorū & furum ſolertiam eſſe dicebat, noctu ex inſidijs hoſtem adoriri. Sed & Moſcus viciniore ætate, Stephano Regi, poſt expugnatam Socolam, per epiſtolam exprobrabat, quod globis ignitis, more ante incognito, ad comburendas munitiones ipſius ex lignis factas vteretur; artificioq; quodam contra ſe, non virtute, atq; acie niteretur.

Secundo. Quia ſtratagemata parum efficacia ſunt ad plenam victoriam: & qui dolo ſuccubuerunt, facilè iterum inſurgunt, non virtute, ſed occaſione & arte Ducis victos ſe rati, Iam verò,

nulla eſt victoria maior,
Quā quæ confeſſos animo quoq; ſubiugat hoſtes.

Tertio. Quia ſunt contra fidem: vnde Florus. *Eam vir ſanctus & ſapiens ſciet verā eſſe victoriā, quæ ſalua fide, & integra dignitate parabitur*. Et hác ob cauſam Sigiſmundus III. offeréti cuidā ex Pomeranis operam ſuam, quod viuū ſiſteret,

ei

ei Guſtauum Varſouiæ quidē domi tūc ſuæ eſſe aiebat, ſi præmij loco tres arces perpetuò haberet, cum ſuis territorijs, Sulchouiam, Rehoſnā, atq; PucKā: reſponſum nullū dedit, quod tanta fraude pollui, contra ſuam dignitatem putaret Quare & alterum meritò reiecit, nec aſpectu ſuo dignatus eſt, qui eundem Guſtauum ſua manu occiſurū pollicebatur, ſi ſceleris precium liberis ipſius certa prouiſio fieret. Pulchrè igitur Thucidydes. Fraus cùm in omnibus fœda eſt, tùm verò in his qui maiore ſunt dignitate præditi fœdior eſt, quàm aperta violentia.

Cæterum, quia magni viri, ideo vitio ducunt, ſi quid amittant, nō ſi quid aſtu doloue obtineant, propterea hæc vafra-menta licitè fieri putant.

Primo. Quia nihil turpe eſt, quòd inimico detrimentum aſſerat: ſummamq; publicę rei, quibuſcunque modis ſaluam præſtare licet; modò ſanctū illud Fidei numen nullo ſcelere violetur. *Laudand*, inquit Braſidas, & vir & Dux bonus, *eiuſmodi decipula, per quæ hoſtes maximè decipiūtur, & animi plurimū iuuantur*. Nā teſte D. Auguſtino, q. 10. in Ioſue, *cū bellū iuſtum ſuſpicitur, vt apertè quis pugnet, aut ex inſidijs, nihil ad Iuſtiti m intæreſt*.

Secund. Quia non naturæ tantùm, ſed gentiū iure licet hoſtem omni modo,

omni via, & vbiuis locorum lædere. Vnde tritum illud Poetæ.

dolus an virtus quis in hoſte requirat,

Qua ratione ductus, Pipinus Caroli Magni pater, traiecto Rheno aduerſariũ in cubiculo deprahensũ interfecit. Mutiuſq; Scæuola olim Porſenam Regem Hetruſcorũ per inſidias in caſtris ipſius aggreſſus fuerat, ſed nõ agnitũ, loco Regis purpuratũ ictu confecerat. Theodotus Aetolus idem in Ptolomæũ Aegypti Regem tentauit, ſed turpi certè animo Qui enim talibus vtitur impia bella gerit, & ad internecioné perſequendus eſt, non vt iuſtus hoſtis, ſed vt percuſſor veneficus, Quamuis non deſint nõnulli, qui putant licitè immitti poſſe percuſſores in hoſtem, ſed non ſubditos illius, aut milites, aut eos, qui vt ſupplices, aut aduenæ, aut transfugæ ſunt recepti. Meo attamen iudicio, id minimè probandum putem. Sit inſidijs & ſtratagematibus locus, ſed abſit perfidia, quã & in mandante turpem ac illicitam eſſe puto, & in exſequente.

Tertio. Quia mos ab antiquo ſic inoleuit; neſcio gentem quæ in bellis aliquo dolo nõ vtatur in hoſté. Vnde Spartani Græcorum omniũ pugnaciſſimi digniorem magisq; conuenientem homini cenſebant actioné ratione & mente inſtitutã quã illam per vim aut robur.

Idem

Idē ſētiebāt & Rom. publicæ fidei tenaciſſimi cuſtodes, qui ſtratagemata quędam bonum dolum dicebant, & pro ſolertia hoc nomen accipiebant: maximè ſi aduerſus hoſtem latronemue quis machinaretur.

Concluſio. Si iuſta ſit belli cauſa, iuſti etiam ſunt hi doli, quos vulgò ſtrategemata vocamus: ſi iniuſta, etiam has technas improbas pronūcio. Pulchrè ac prudēter Ageſilaus. *Fœderatū iniuſtè falſare, impiū; at hoſtes: non ſolū iuſtū, ſed etiam ſuaue & fructuoſū eſt.* Quandoquidē ſtrategema ſit quoddā genus inſidiarum in hoſtem publicū, quē perdere mos faſque ſit omnimodo & viā; cum & Chriſtiana ſanctio id non vetet. Quod autē Xenophon Ducē militū inſidiatorē eſſe debere ait. & ſuæ mentis occultatorē, & fraudulentū, & furē, & veteratorē, & raptorē: id ſano ſenſu accipiendum eſt, ne quid ſcilicet in datam fidem peccetur, & dignitas conſeruetur in integro, Hoc eſt, ne clam imitatur percuſſor aut ematur inſidiator qui veneno tollat; tum ne quis contra fœdera aut pacta fraudē probet aut ſtruat, vti feciſſe legimus Q. Fabiū Labeonē, quē ferunt, cū à Rege Antiocho, quē bello ſuperauerat, ex fœdere icto dimidiā partē, nauiū accipere deberet, medias omnes ſecuiſſe, vt eū tota claſſe priuaret. Nōplacet eiuſmodi vafra.

framẽtũ. Nã quemadmodum mulieres, quæ fuco faciẽ illinũt, quũ ad ſolẽ acceſſerunt, earũ deformitas fit ita conſpicua, vt cogantur ſe occultare: ſic deceptores iſti propter ſuas ſimulationes, magna ſũt apud homines vonos in exiſtimatione & admiratione, ab omniq; vitio & culpa alieni eſſe vidẽtur, cũ aduerſariũ annihilãt. Sed tãdẽ illorum hypocriſin deridet Deus, ſpernũtq; prudẽtes, ita vt omni illa ſpecie & forma, ac veluti larua externa nudẽtur, & illorũ fraudulentia, & ſimulatio in verbis planè deficiat. A laude itaq; potius dolus militaris abeſſe videtur, quàm à culpa, quia re ipſa nihil vtilius in bello dolis.

QVAESTIO XVII.

Vtrum conſultius ſit domi hoſtem exſpectare, an verò ei occurrere?

VTile quidẽ eſt, aliquid ſemper in hoſtes moliri ac tentare, inquiunt Politici, ſed ab illis quoque cauere plane neceſſariũ eſt. Nec ſolũ Imp. inuadendis hoſtiũ finibus auide imminere debet, ſed protiide ſuos etiã, ne vſurpantur, occludere; quod non curatur apud nos Polonos & vicinos noſtros Turcas atq; Scythas. Iure meritò igitur quærimus, vtrũ in tali vicinia debeamus exſpectare barbaros vim nobis toties ſolitos inferre, an verò occurrere eis & præuenire illos bello. Et qui hoc poſtremũ ſuadent, dicunt.

Primo,

Primo. Quia occurrẽdo ſubditi tui domi quiete fruẽtur: tu autẽ in eius agro bellũ gerẽdo, vaſtas & ſpolias hoſtẽ, adq; inopiã redigis aduerſarium tuũ. Tartarorũ incurſiones nos docẽt, nã illi Ruſsię prouincias ingreſsi, noſtro cõmeatu viuunt, villas incẽdunt, agros vaſtãt; quos deinde nos inſequẽdo, quod reſiduũ ab illorum populatione manet, noſtro milite conſumimus. Et ſic in nihilũ ipſimet prouincias noſtras redigimus. Quod ſi vel ſemel cũ exercitu diſciplinato Oczakouiã verſus aut Bialogrodũ progrederemur, metũ ipſis, vaſtitatẽ & inopiã intuliſſemus; noſtros verò miſeros Roxolanos conſeruaremus in integro.

Secundo. Quia dũ in agro hoſtili bellũ geres, tui tributa cõferent vberiora, dum alta pace domi fruẽtur, nuſquã ſerere aut arare impediti, vel à tuis militibus, vel ab hoſte. Sic modo bello in Germania tot annis durante Imperator cauet, ne prouinciæ illius hæreditariæ, puta Styria, Carinthia, Tyrolis, Carniola, Croatia & Auſtria, vel ab hoſtibus, vel à milite ipſius interturbentur, vnde certas collectas & in bellum, & ad menſam ſuã habere ſolet

Tertio. Quia miles dũ ex præda viuit, frugalior in caſtris eſſe ſolet, ſciens in hoſtico non ſemper frumenta poſſe inueniri; quæ in patria parari ſibi ſcit vel à

Duci.

Ducibus belli, vel vi à prouincialibus poſſe extorqueri, Ita noſtri dum in Moſcouia bella gerunt, quæ ſecum curribus portant parciſsimè in familiam, calones & lixas ſuos diſpenſant: dum verò in patria præliantur, quæque obuiant, rapiũt, auferunt conſumunt. experimento bellum Pruſsicum, Liuonicum, & Seruile cum Zaporoſenſibus, vbi tã fertiles prouinciæ, quæ multos tranſmarinos populos ſuo frumento alunt, vnico exercitui noſtro alimenta ſuppeditare nullo modo potuerant.

Quarto. Quia magis pertinet ad famã occurrere hoſti, quàm expectare eum domi. Semperq; Princeps aut eius copiarum Dux maiorem acquiret gloriã, hoſtem inuadendo, oppugnando, fugandoue in eius prouincia, quàm defendendo oppida ſua & agrum. Ideo ChodKieuicius aduueniente Oſmano Turcarum Imp non exſpectandũ ratus eum in Polonia, ſed obuiã progreſſus in eius prouincia Valachia poſuit caſtra, ne vtilis aut meticuloſus appareret.

Quinto. Quia fortiores eſſe videntur, qui prouocare non dubitant: quia *plus animi eſt*, vt inquit Thucidides, *inferentẽ periculum, quàm propulſanti*. Sæpèq; obſeruatũ eſt, hoſtes qui dũ alios aggrediuntur, maximè terribiles ſunt; ſi domi oppugnentur, viles plerumque eſſe ſolent.

Aga.

Agathocles Syracuſis obſeſſus, cũ ſe neq; viribus paré, neq; ad obſidioné ferendã inſtructũ videret, *gnarus*, inquit Iuſtinianus, *aliter domi, aliter foris bella tractari: Domi ea ſola auxilia eſſe, quæ patriæ vires ſubminiſtrent; foris hoſtẽ etiam ſuis viribus vinci deficientibus ſocijs, & odio diuturni imperij externa auxilia circũſpicientibus*; Feliciter bella, quæ domi ferè non poterat, ad hoſtes tranſtulit, & in ipſa Africa Carthagineſes inuaſit. Romanos quoq; alibi feroces, in Italia imbecillis eſſe Annibal & experimento ipſe didicerat, & apud Antiochũ iudicauit.

At in contrariũ, maior Ducũ cordatiorũ pars hoſtiũ impreſſioné potiùs exſpectat, quàm quod ipſi cũ impetu in hoſtẽ excurrant: ſiquidé furor ille nũ difficulter ab hominibus cordatis & ad omnia paratis ſuſtinetur; vbi verò ſe nel illum ſuſtinueris, facilimè in timiditatem abibit. Sic Fabius cũ Samnitibus atq; Gallis egit, victoriaq; potitus eſt, cũ Decius ipſius collega occubuiſſet. Et qui huius opinionis ſunt, pro fundamento has rationes habent.

Prima. Quia ſecurius eſt exſpectare, præſertim ſi hoſtis aduenit potentior, qui vnam oppugnando ciuitaté, totam conſumet ſuam potentiam; tranſeundoque montes, ſyluas, paludes, ac fluuios magnos, amittet magnam partem militũ, pecu-

pecudum, commeatus & impedimentorum, cum prohibebitur vbique à tuis. *Quod ſi Hungari feciſſent Turcæ ad ipſos toties venienti*, inquit Bonſinius, *haud dubiè priſtinæ exiſtimationis iacturam non feciſſent, neque hoſti ad ocupandas citeriores prouincias viam aperuiſſent, nec quod maximum eſt, in tam acerbam ſeruitutis conditionem ipſi iam incidiſſent.*

Secundo. Quia primum Politicorum præceptum eſt ſua ſeruare atque ideo Imperatorem prudentem, non tam de nouis oppidis occupandis, quàm de occupatis firmandis ac retinendis ſolicitũ eſſe oportere, iuxta illud Flori. *Plus eſt prouinciam retinere, quam facere*. Si igitur Prouinciæ tuæ aditus difficiles ſint: aut ipſa vel arte, vel natura ſatis munita, hoſtem plerũq; tutius exſpectatis. Craſſus in Parthiæ deſerta irrumpens, ſiti penè confectus antequam victus fuit. Nec Dario Hiſtaſpis filio, aut Lyſimacho Pergami Regi benè ceſſit in Scythiam expeditio. Prout nec Turcæ in Moſcouiam per campos deſertos tedenti, quos Taranouius Auguſti Regis Poloniæ legatus ſua peſuaſione eo auerterat, & exercitũ ipſorũ deduxerat, vt patriã ſuã in pace cõſeruaret. Præſtat igitur hoſti fortiſſimã naturã, quã imbecilles homines obijcere: maximè ſi ab vno plio rerũ tuarũ sũma & ſalus depẽdeat. Domi enĩ

detractare potes, foris vix potes. Alfonſus Ferdinandi Regis Neapolitani filius, dum ſupremum patris morituri conſilium negligens, Carolum Francie Regem non exſpectat, ſed extra imperij ſui limites ſpes ſuas omnes vni conflictui committit, & exercitu fuit priuatus, & Regno.

Tertia. Quia ſi exercitus tuus morbo aut prælio minuatur, facilè eum domi, alio militiæ & commeatu inſtruere poteris, foris verò iam non item. Quid, ſi à tergo præcluſus fueris? quid ſi in limite tuo nullas munitiones habueris? aut ſubditos tuos nouitatibus ſtudere videbis? tua verò rabies obſidionum tædio interim ac impetus fatigabitur & conſeneſcet.

Quarta. Quia numeroſo hoſtiū exercitui vel etiam victorijs inſolenti, ſecundum ſitum loci, paucas tantùm cohortes tuas, & ſæpè noueris poteris opponere, vt faciunt Heluetij, Hollandiq; hoſte in ſuas prouincias incurrente.

Quinta. Quia vaſtatis omnibus locis è quibus commeatum ſperare poteſt inimicus, fame eum debellabis, tuis autem ſufficientem commeatum præparabis, vt fecerat Stephanus Daciæ Regulus Baiazete II. in prouinciā ipſius numeroſo cum exercitu veniente, quem fame deinceps & aſſiduis Moldauorum infeſtatio-

ſtationibus amiſerat, ingloriuſq; Conſtantinopolim protinus redierat.

Concluſio. Si hoſtis potentia præualet, ſatius eſt bellũ gerere deſenſiuum; maximè ſi quis auxilio omni externo de ſtituatur. Quod ſi vires ſunt æquales, offenſiuũ gerere præſtat, & venienti occurrere. Si verò tua prouincia nec arte, nec natura munita eſt, aut tempeſtiuã muniri poteſt, honeſta pace certiſſimum exitium moneo præueniendum. Verùm ſi ſatis tibi virium ſit, & hoſti domeſticis diſcordijs diuiſo ægrè pareant ſubditi, vel is alibi fortè occupetur, aut ad vim repellendam ſit imparatus, neq; nõ ſuſpicetur inuaſurũ, audacter inuade. Sæpè enim aliquos terrore magis expugnamus, quàm armis. Ita Auguſtus Rex Liuonienſes Crucigeros & diſcordes & imparatos inuaſerat, Albertus Laſcus, Valachos Solimanus Rhodios, Amurates II. Melitẽſes Baiazetes Pleponeſios, alijq; alios.

Hec etiam obſeruet", qui prouinciam aliquam inuadit, vt nihil à tergo relinquat hoſtile aut impacatum. Metuendũ enim ne ſic intercludatur, vt ſi velit, redire non liceat; aut ſaltem frumento commeatuq; prohibeatur, ſine quo exercitus retineri non poteſt: vt acciderat Gulielmo Auriaco, cum Moſam traijcienti, omnem commeatum interce-

piſſet Dux Albanus. Et nuper ad Louanium, Gallis commeatum omnem prohibuere Croatæ atque Poloni, priuſquã reliqui exercitus Cæſarei cum Iacobo Picolominæo ſuperueniſſent.

QVAESIO XVIII.

Vtrum munitiones extruere ſit neceſſe,

NVm præſtet ſoli virtuti bellicæ inniti, an & præterea ciuitates munitas habere, quæritur, eo quòd nullũ tã magnũ aut potens imperium eſt, quod vel ſubditorũ rebellioné, vel vicinorum ſuſpicionem non extimeat. Ideò munitiones fabricare neceſsũ ſuadent iſtæ rationes.

Prima Quia indomitos ſubditos à fræno tenent. Sic Hiſpanus Antuerpiam, Mediolanum, & Neapolim, vt alias veteris & Noui orbis eius poſſeſſiones omittam, munitionũ firmitate retinet, quod iam pridem perdidiſſet, toties ſubditis etiam in arces & munitiones illius impetum facientibus; præcipuè in vrbe Neapolitana, vbi quindecim diebus pugna durauit inter Hiſpanos & naturales, qui tamen regiá præſidia ob firmitatem munitionũ nullo modo eijcere potuerũt

Secunda. Quia vicinos Principes à bello faciendo deterrent: Ita ex Inſubria Iberi Venetos aggredi non audét, quod Vrti, Crema, Brixia, Peſcara, aliæq; fortes munitiones conatus ipſorum impediant.

Simi.

Similiter & Turca Adriaticum ſinū occupare nequit, quod inexpugnabiles eorundem Venetorum terra & mari munitiones habeant, Corcyram, Zacyntum, Rhetimo, Candiam, Caneam, Caput Iſtriæ Palmam, aliaſq; inexpugnabiles arces ac ciuitates in Dalmatia.

Tert. Quia hoſtem intrare in meditullium Regni non permittunt: quia primum politicorum præceptum eſt, ne à tergò Duces hoſtem munitaſq; vrbes relinquant.

Quarta. Quia conſumant vires aduerſarij: priuſquam enim vnum locum munitum expugnabit, & commeatū multū & pecuniā multā, & militem conſumet.

Quint. Quia ſecurè cóſeruát res in bello à te comparatas. Ita Hiſpani; Ita Bataui; Ita omnes nunc & olim bellatores.

Sext. Quia ſubditi tui exercentur in armis cuſtodiendo munitiones; rarò enim aliquis arces fortes & firmas omittit extraneis cuſtodiendas, præter tyrannos qui ſubditis ſuis non fidunt.

Septima. Quia pauciſſimis militibus potentiſſimos aduerſarios debilitatis. Exemplo Oſtenda quā quingenti Bataui propugnabant, quadraginta verò millia ad minus toto triénio oppugnabant.

Octau. Quia pauperioribus è ſubditis tuis, nō dabitur occaſio latrocinandi cū locū militiæ honeſtū inter præſidiarios habere poterunt. K K 3 *Non.*

Nona Quia aſſecurabis trāſitus omnes viarū à latrocinijs: nemo enim per ſyluas vicinas, aut campos deſertos ſpoliare tranſeuntes audebit, cū militē paratū, qui eū coerceat (vti faciunt Veneti, & Pontifices Romani, qui ob ip ipſum leuiores vbique equites alunt)penes munitiones eſſe ſciet.

Licet igitur nunc Perſæ præſtēt equitatu, imo iam & peditatu, quem antea nuſquam habebant in vſu Turcas nihilominus quos acie toties fundunt, Armenia media, atque Natolia eijcere nulllatenus poſſunt, quòd hi excitatis munitionibus, quas antea diruere ſolebant, firmiter prouincias illas poſſideant. Et licet Babyloniam proditione habitatorum perdiderint: Taurim nihilominus vltra Babylonem, cum toto ſuo territorio, ſecurè & pacificè poſſident, ex quo Iſmaeli Sophio ante centum & viginti annos eripuerun t, quod eā & forti munitione firmauerint, & gentis ſuæ Muſulmanicæ validam coloiam eò deduxerint.

Quod autem non expediat extruere munitiones, propugnacula vrbiū, & arces negligentiores populi rerumq; ſuarum improuidr Principes dicunt.

Primò. Quia ſumptus ingens eſt fabricare munitiones, maior autem conſerſeruare eas. Ac propterea Pōtifices por-

tum

tum Oſtienſem, cui olim in orbe par nõ erat, prodigioſum Romanorũ opus Turcarum metu diruerunt, viribus ſuis diffidentes. Quod vrbis quidem opes imminuit, ſed auxit ſecuritatem Nunc attamen mens eſt alia Vrbano VIII.

Secundo. Quia miles diſſipatus propter defenſiooem munitionum, vires exercitus diſtrahit & attenuat, vt non poſſis deinde data occaſione campo aperto cõfligere Et hanc ob cauſam Ioannes Auſtriacns, cum non poſſet omnibus oppidis auxilia ſubmittere, creſcentibus copijs ordinum Confœderati Belgij, paſſimq; vrbes & munitiones occupantibus, ne diſtractis copijs vires ſuas extenuaret, ſatius habuit arces aliquot humi deponere, oppidaq; deſerere, ac reuocatis inde præſidiarijs vnum in locũ exercitum contrahere, quo viribus hoſtium poſſet ſecurius reſiſtere.

Tertio. Quia traditæ hoſtibus per proditores difficulter recuperantur. Ita nos expugnationibus vrbium non aſſueti, difficulter Suecos, Liuonia eieceramus ſub Carolo Sudermano, ſub Guſtauo verò nequaquã omnioo, tam è Pruſſia, quã è Liuonia, niſi conditionibus pacis.

Quarto. Quia hoſtis capto vnico loco forti, toti iam prouinciæ dominabitur, & grauis erit nobis. Ita Guſtauus capta proditorum opera Elbinga ciuitate mi-

nitiſſima, in reliquam Pruſſiam vires ſuas exeruerat.

Quinto. Quia languere videntur ciuiũ animi ſecuritati mœnium innixi, vt videre eſt apud Moſcouitas, qui acie publica nuſquam decertare audent, ſed mœnibus tantùm incluſi res ſuas tuentur. qui antea diuerſos vicinos bello aggrediebantur audaciſſimè. Idē legimus de Chinenſibus qui tot Reges remotè etiam à ſe poſitos armis ſibi ſubiugauerant: at poſtquam à Scythis Cataienſibus muro ſeſe precluſerunt, frequentibusq; munitionibus à Regem Siá & Cocincinæ, ſtatim viles facti ſunt animo, nec Iaponenſibus per mare ad ſe veniétibus hactenus reſiſtere poſſunt.

Sexto. Quia ingens apparatus pro earum defenſione requiritur; machinarũ, commeatus pulueris, hominum, quibus poſſis ſecurè bellum aperto Marte peragere, & hoſti tuo metuendus eſſe, quæ illius vano timore in arces extruēdas impendis.

Septimo. Quia complures populi florētes hodiedũ mœnibus non delectãtur, Brittanorũq; Heluetiorũ, Turcarũ, Perſarũ, Indorũ, omniũ; quotquot in Aſia ſunt Scytharũ ciuitates non ſunt muris fortibus cinctæ. Sed olim Ageſilaus quæſitus, cur Spartani vrbē ſuá muris non cinxiſſent? reſpõdit, eã eſſe pectoribus

ciuium

ciuitũ fortificatã Quod etiã nũc vſurpant ſibi Poloni, nulláq; prorſus munitionem habent quę poſſit, & ſitu & arte munita dici. Quamuis nonnulli Belgicis peregrinationibus excitati cæperint nũc caſtella ſua munire, curioſitatis potius & elegantiæ cauſa, quàm fortificationis.

Octauo. Quia plerũq; munitiones ſubditis dant occaſionem ad rebellandũ ſuis Principibus. Sic ciuitas Gadanenſis ſæpius confiſa ſuis mœnibus, audet reſiſtere Regibus Poloniæ, prout & omnes ciuitates Imperiales liberæ nuncupatæ, Romanorũ Imp. & Bataui Hiſpaniarũ Regi. Genua Duci Sabaudiæ, Rupellaq; olim Regibus Galliæ. Meritò itaq; arces & munimenta vocantur, à doctiſſimo viro Chriſtophoro Forſtnero, magnatũ ambitionis aggeres. Plerumq; enim arcium rectores dominiue è ſceptris deficiunt; plerique motus ex his clauſtris erumpunt, aut in illa tutos habẽt receptus, inuitante ad peccandum tot munimentis foſſisq; ſuperba rebellãdi ſecuritate Vnde Henricus II. Angliæ Rex, omnes Procerũ arces mœnibus nudauit. Quod & Græci dirutis ſuſpectarum vrbium muris, & Romani quoque facere ſoliti ſunt. Catoq: ille Cenſorius, Celtiberos, id eſt robur Hiſpaniæ, aliquot prælijs fregit, & inſigni planè memorãdoq; Stratagemate illos exarmauit.

Quadringentis enim ſimul ciuitatibus, per omiſſos ad ſingulas nuncios, vt omnes ſtato die muros ſuos demolirentur, iniunxit. Vnde, cum non alijs etiam, ſed ſibi tantùm id præcipi ſingulæ crederent, ne ſi in mora eſſent, non à Romanis tantùm, ſed etiam à vicinis, ac ſocijs ad id cogerentur, maluerunt parere. Nunc quoque Turcæ in Valachia, Moldauia & partibus ſibi ſubiectis Trã ſyluaniæ atque Bulgariæ, Boſnæ & Sclauoniæ, munitiones erigere omninò prohibent. Sed & Regnum Neapolitanum olim caſtellorum turriumq; frequenti ſupercilio tumebat; erantq; Optimates tanti factione & viribus, vt, quod plerũque infelix potentiæ genus eſt, Reges terrerent. Et nunquam penè ſine motu illa alioquin feliciſſima regio fuit: deiecti nunc Reges, nunc Proceres, donec arcibus pleriſq; euerſis Magnatũ quoq; robur varia Regum arte ſuppreſſum eſt.

Nonc. Quia dant Principibus occaſionem ad tyrannidem. Ita Caſtruccius Caſtracanis arce Lucenſi occupata dominabatur pro libito liberis ciuibus. Ita Canis Scaliger Veronam. Eccelinus Paſauium, Bentiuolus Bononiam, alijq; Reguli alias Italiæ vrbes, ab Imperatoribus Præfecti tantùm ad tempus dati. Ex his igitur & contrarijs orationibus ſequitur.

Conclu-

Concluſio. Tutius eſt munitiones exſtreere, & mœnia adiuncta habere, quibus& impetus hoſtium improuiſus ſiſtatur, & mora adeo inijciatur tardius in receſſus regionum interiores penetrãdi. Extruendæ autem ſunt, in ijs locis præcipnè, per quæ regnum tuum poſſet inimicus inuadere; & ad quæ tempore periculi ſubditi tui poſſint habere ſuum refugium; hoc eſt in ipſis confinijs ſtatuum, & longe ab ipſo centro Imperij, quo ſcilicet aduerſarius remoretur vti diximus, donec te pares ad reſiſtendũ. Sic cenſetur eſſe Melita Inſula valde opportunè fortiacata, reſpectu Siciliæ, & Neapolis, Corcyra verò reſpectu Venetiarum; Rhodis reſpectu Peloponeſi; Aſouia, OczaKouia, Moncaſtrorum, Kiiia, reſpectu Tauricæ, & Byzantij. Quod ſi adhuc in ipſo hoſtili ſolo poſſis eiuſmodi munitionem habere, eo tibi metus foret: quia aduerſarius veniens eam expugnare fructus prouinciæ conſumet tu verò cum tuis ſubditis remotus eris à bello. Et hoc ſenſu Catholicus Rex, multas in Indijs tàm Orientalibus, quã occidentalibus exſtruit munitiones: & Mauros infeſtare Hiſpanias ſolitos in ſuo officio continere volens, exſtruxlt in Africa munitiones firmiſſimas. Arſilam, Tangerim, Sittam, Pegnon, Melilam, & Oranum.

Paucæ autem ſint eiuſmodi munitiones, ne vires tuæ diſſipentur; & ſitu loci naturali, non tantùm arte benè munitæ, vt eò melius eas tueri poſſis, & ſubſidia recentia ſubmittere. Niſi etenim tempore neceſſitatis poteris tuis præſidiarijs ſubuenire, ob loci remotam aut incommodam diſtantiam, munitiones tuæ nil aliud erunt, niſi ſepulchrum militum tuorum, etiamſi fortiſſimi fuerint. Quapropter maximè laudantur munitiones maritimæ, quia ipſis data occaſione, vel hoſte inſpectante ſubſidia dari poterunt. Quod & in lacubus magnis fieri poteſt fuitq; factum Conſtantiæ, cum eam vrbem Guſtauus Hornius grauiſſimè oppugnaret.

Cum autem quæritur, quibus potiſſimum modis faciliùs in officio retineri prouincia bello quæſita poſſit? Alij dicunt arces exſtrui neceſſe; alij colonias deduci, aut arma ſubditis eripi, aut ſimul omnia malunt. Ego vt huic quæſito reſpondeam, dico ne eſſe eſſe, vt prouincialium naturam Princeps conſideret. Nam aliæ gentes ſunt, quæ, niſi ſtricto plane imperio coerceantur, iugum excutiunt. Aliæ, quas cum nullæ arces aut coloniæ domare poſſunt, domat clementia & moderatio rectoris. Ita a Pœnis Hiſpanos alienauit ſuperba nimis Aſdrubalis dominatio. Italos & Sicu

los

los à Gallis licentioſa victoria. E diuerſo, Alphonſus Arragonum Rex, parcendo omnibus & etiam inimiciſſimis bona omnia & honores reſtituendo, occupatam armata vi, cum vniuerſo Regno Neapolim ſibi confirmauit. Cum igitur multi populi, non tam libertatē ament, quā oderint ſeruitutē, multi quoq; effrenem planè licentiam ambiant, quis eos diſſimiliter regēdos eſſe non videt? Hos ergo meo iudicio arcibus, præſidijs, & quibuſcunque tandem modis arctius coerceri: illos verò mitius regi oportet; & ſi ſic viſum fuerit, colonijs, quæ veræ ſedes ſeruitutis ſunt, quamuis tales eſſe non videantur, in officio retineri. Externis enim illæ cōſtant, qui indigenas primum conſpirare non ſinunt: & postea per nuptias inuicem & familiaritatem coniuncti id obtinent, vt à communis domini obſequio non temere diſcedāt.

Non interim hic cupio laudare Spartanos, qui virtutem ciuium pro mœnibus eſſe voluerunt; quia quotidiana nos experientia docet, minori cum periculo & damno tormentorum vim munitiones excipere, quam homines. Et ideo vel arte, vel natura, vel ſimul vtraque munitas ciuitates cæteris in bello præferendas neminem puto dubitare. Hoc tantùm volo non adeo aut naturæ loci, aut arti fidendum eſſe, & ſecuritatem

gene

generent, ſi vigilantia deerit. Nemo enim clarius opprimitur, quam qui nihil timet. Vnde Iauerinum Hungariæ firmiſſimum præſidium à quatuor millibus Germanorum Turcis in Pannonia deditum, relictis trecentis tormentis bellicis & abundante commeatu; idque inſpiciente Imperatoris Germanorum fratre, & toto cum exercitu Chriſtiano ad ſoluendam obſidionem properante, non debet diſuadere conſtructionem munitionum, quæ defenſionis melioris cauſa adinuentæ ſunt; cum id non militum ſed Ducis culpa & paucorũ ignauia ſeu malitia fuerit factum. Prout & Galli Faleſiorum oppidũ patrũ memoria, hoſt vix conſpecto, aut diruto muro ſtatim dediderunt, non tamen hac ſua turpi ignauia bellorum Duces impoſterum à muniendis vrbibus deterruerũt.

QVAESTIO XIX.

Vtrum munitiones in montibus poſitæ ſunt meliores ijs, quæ ſunt ſitæ in plaa?

INprimis quæritur inter Politicos, ex qua potiſſimum materia, mœnia & propugnacula excitari debeant: poſtea quali in loco, vtrum in montibus an verò in planicie? Quo ad materiam itaque, qui lapidea propugnacula habere malũt, aiunt ea ſi tormentis fortè reſiſtendo non tantũ valeant quantũ terrea cedendo; contra cuniculos certè & ignes

eſſe potiora. Qui terra volunt, dicunt minori ea ſumptu ac facilius, nō extrui, aut refici tantùm, ſed etiam contra diuerſos offendendi modos, diuerſimode mutari. Lignea verò quibus maximè vtuntur Moſcouitæ combuſtIoni ſubiacent, licet ad repentinos incurſus ſuſtinendos, & facilè extruantur, & non facilè cedant ictibus tormentorum, præſertim ex roboribus firmis compacta, & terra, lapidibusq; infarcta. Ego meliora putarem eſſe terrea lapidibus munita, vti communis nunc fert mos omnium Europæorum. Sed quali in loco facta, qui in montibus volunt dicunt.

Primo. Quia difficulter ad arcem in monte poſitam, ad oppugnandum eam acceditur: partim ob aſperitatem loci, partim ob demiſſas deſuper trabes, lapides, globos diuerſaq; miſſilia: præſeriim vbi cauæ & prǽruptæ ſunt petræ ſeu ſaxa.

Secundo. Quia communiſſimè aquas perennes in montibus habere ſolent, quæ adimi nullo modo poſſunt, Vnde fame difficillimè eiuſmodi munitiones expugnantur reſpectu potus.

Tertio. Quia aerē ſaluberrimū habent, vnde morbi ac infirmitates præſidiarios infeſtare nō poterunt, quòd maximū incluſis adiumētū adfert. Nā in plano vt plurimū craſſus aer ex aquis aut fætidus ex paludibus, ſolet eſſe incluſis nociuus.

Quarto.

Quarto. Quia a longe hoſtes arcent, & deſuper omnia videre poſſunt, quæ hoſtis molitur. Nec poſſunt cuniculis ſubrui, prçſertim ſi in rupibus ſunt poſitę.

Quinto. Quia plures requirit ad obſidẽdum homines, quam illa, quę eſt in planicie poſita. Difficulterque ad eam machinę & tormenta admouentur, partim ob ſaltus profundos, partim ob aſperitatem ſaxorum.

Sexto. Quia minori ſumptu extruitur munitio in monte, adiuuante laboratores ipſa natura, quę & lapides in monte generat & fontes & prçcipitia ſaxorũ & profunditates valliũ vliginoſarũ habet; quę omnia fortiorẽ munitionem faciunt. Vnde pluribus in locis ſimul oppugnari nõ poterit, quẽadmodũ accidit munitionibus in plano ſitis, quę propterea multis neceſſe habent propugnaculis, & magno ſumptu ad excitandos mõtes, quo dominentur planiciei. Alias enim pauciori milite obſideri poterunt.

In plano autem munitiones laudantur haſce ob cauſas.

Primo. Quia in planicie poteſt extrui munitio in ea forma quę tibi placuerit; in monte verò non item, ſed tantùm ſecundum loci congruitatem.

Secundo, Quia facillimè excurſiones obſeſſi poſſunt facere in obſidentes in plano: non item in montibus, propter diffi-

difficilè receptū ob aſperitatē ſaxorum.

Tertiò, Quia facilè aquam habere poſſunt, ſiue ex fluuio, ſiue ex fonte, ſiue ex puteo; in montibus autem difficulter aquę haberi poſſunt, pręſertim in rupibus pręciſis.

Quartò. Quia difficilior eſt in plano ad expugnandum, quàm, in monte., vbi tota munitio expoſitā eſt ictibus globorum, tanquam ſcopus aliquis, hoſti verò ad radicem montis accedenti nullum nocumentum eſſe poteſt.

Quintò. Quia muri concuſſi, haud facilè poſſunt reparari, ſaxis duriſſimis in montibus exiſtentibus; in plano autem muris corruentibus, & agger nouus & foſſa poteſt excitari, pro rei exigentia.

Sextò. Quia in plano facilè poteſt incluſis, pręſertim cum ad aquas poſitę ſunt, ſuccurri nouis ſubſidijs, & cōmeatu. In montibus autē ob aſperitatē ſaxorum difficilè & currus & animalia accedere poſſunt. Quapropter vtrinque rationibus conſideratis, ſequitur

Concluſio. Si ſaxum mōtes vicinos qui ſibi nocere poſſent non habēt, & locum ad muniendum ſatis commodum capit, aquiſq; perennibus abundat, tum munitio talis pręſtat omnibus alijs arcibus in plano poſitis. Alias, planicies ordinariè ad fortificandum eſt aptior; quia & paludibus fluuijſque communiſſimè

alluen-

alluentibus fortis eſſe ſolet: & ſecundũ artis præſcripta muniri defendique poteſt. Mons autem cum omnibus requiſitis ad fortificandum ſpectantibus rarèter inuenitur, vt non habeat plura incommoda, quàm adiumenta à natura.

QVAESTIO XX.

Vtrum numeroſum, an verò mediocrem exercitum habere ſit melius?

SCientia bellicæ motionis, qua ſecundũm Polybium, homines militari ordini admittantur, decurientur, condecurientur, denique aptentur & erudiũtur ad belli vſum & rationem, multũ requirit laborem: vt autem commodè alãtur, & ſtatis temporibus ſua ſtipendia habeant, infinitum theſaurum poſtulat. Proinde iure meritò quæritur à Politicis, num copioſos præſtet habere exercitus, vti ſolent omnes Orientales Principes; an verò mediocres vti faciũt Europæi Reges. Qui multitudine gaudent, multas pro ſe rationes adducunt, ſed hæ præcipuè habentur.

Prima. Quia numeroſus exercitus in partes diuiſus pluribus ſimul in locis poteſt bellum gerere, inſidias varijs in locis faciendo, ſuperuenientibus aſſiduè inquietando, ſua multitudine in acie opprimendo, diuerſas ſimul oppugnando vrbes, & tum infeſtationibus diuerſimodè affligendo, tum frequentius cum

aduer-

aduerſario præliando; qui cum ſemel ſuccubuerit in accie cum exigua manu ſuorum, difficillimè iterato ad conflictũ prodibit.

Secunda. Quia numeroſum habens exercitum, non tantùm Marte aperto cõfligere non extimeſcet, ſed vltrò etiam prouocabit; & tàm proprias munitiones, quàm acquiſitas vrbes & loca præſidijs firmare facilè poterit; Exiguũ habẽs exercitũ nulli ſufficere poterit, quin & aciẽ ſé per detractabit, quia reſiſtere nõ poterit.

Tertia. Quia ad gloriam Principis ſpectat, imò maximè conducit numeroſos poſſe habere exercitus; omnibus enim vicinis metuendus erit, prout nunc Turca nobis Europæis, quem nemo vltro laceſſere audet. Vera ſiquidem potentia Principis in multitudine hominũ conſiſtit, ex quibus deinde aptiores militiæ educũtur ad bella; & ideo melſus eſt abũdare & copioſiores exercitus habere, quàm paucos numero & ineptos bello.

Quarta. Quia exiguus exercitus facilè morbis & contagio tollitur, vel à locis paludoſis, vel ab hoſte infeſtus, vt difficulter cũ hoſti ad pugnam prouocanti opponas. Numeroſi autem exercitus partes mox diuiſæ, ſi quid tale morboſũ accidat, per ſe quælibet reſiſtere hoſti poterit. nec cedet victus, etiamſi vincatur ab iniurijs cœli aut diuerſæ for-

tunæ

tunę. Paruus autem exercitus cum peſte interueniente affligitur, non poteris amplius ſucceſſus tuos etiam feliciſſimos promouere, quid aduerſos? Vnde qui exercitum numeroſum habet, inſurgente peſte & morbis inualeſcentibus, in diuerſa legiones mittet, & multis in locis ſtatim aduerſarium inuadet. Sic Romani vno eodemq; tempore & in Italia, & in Sicilia, & in Gallia, in Hiſpania, in Sardinia, & in Macedonia bella geſſerũt, & aduerſus inimicos ſuos prępualuerunt. Maioreſq; noſtri ſępius tribus & quatuor in locis bella geſſerunt; ſed & Iagellonis tempore, cũ Crucigeris in Pruſſia, cum Moſcouitis in Alba Ruſſia, cum Scythis in Podolia, & cum Hungaris in Scepuſio ſimul bellũ ſuſtinuimus. Euenit idẽ & ſub Cazimiro eius filio, & ſub Sigiſmundo Primo eius Nepote. Merito igitur cum Scipione Africano dicere poſſumus. *Publice, cum fortunaa, tum virtus deſperare de ſumma rerum prohibet, eo fato, quo donata nobis ſors eſt, vt magnis omnibus bellis victis, vicerimus.* Ita quoque Arabes, Indi, Aethiopes Mauri, Saraceni, Scythę, Chinenſes atque Turcę omnes ſuas expeditiones, multitudine exercituum perficiunt & in bellis multitudine victores euadunt.

Quinta: Quia cum paruus exercitus deletur in prelio, non habebis quo te aduer-

aduorſario proſequenti victoriam defendas. Sic Spartani victi à Thębanis ad Leutrá amiſerunt Principatum Gręcię, quem tot ſęculis tenebant. Et Thœbani deinde atque Athenienſes victi à Philippo Rege Macedonum vno pręlio, iugum debuerant ſubire, cum non haberent amplius vires ad reſiſtendum. Quēadmodum & Hungari fracti vno pręlio ad Mohatzium à Solimano, amplius conſurgere haud quaquam potuerunt.

Cęterum quia in omni conflictu non tàm prodeſt multitudo, quá virtus, vtq; Tacitus ait. *Etiam in multis legionibus pauci ſunt, qui prælia profligant*, ideo copioſos exercitus megis propria multitudine, quá hoſtiū virtute depreſſos ſępius hiſtorijs legimus, & à paucis ordinatis fortibuſq; militibus noſtra ętate profligatos eſſe audiuimus & vidimus. Igitur curandum eſt, vt bonos milites forteſque, non multos habeamus.

Primò. Quia modiocris exercitus, melius in diſciplina cōſeruatur, quá numeroſus, qui in acie quoq; ipſa difficulter diſponitur, nedū in caſtris regitur. Nam prout hic ad ſeditiones pronior eſt, ita & ibi, territis prioribus, qui remotè à pugnę loco poſiti ſunt facilè in formidinē deuenit, & diffugit hoſte non exſpectato.

Secundò. Quia mediocris exercitus facilius reſtauratur; amplior autem multitudo

titudo, naturaliter pluribus caſibus ſubiacet, morbis, peſtilentiæ, deceptioni, negligentiæ, fami & inopiæ. Quia & in itineribus pro mole ſua ſemper eſt tardior, & in longiore agmine etiã à paucis ſuperuentum aſſolet pati, & denique in locis aſperis ſeu fluminibus tranſeundis, propter impedimentorum moras facilè decipitur. Apud Florum lego, quòd in campis Pharſalicis res nulla magis exitio Pompeio fuerit, quam ipſa exercitus magnitudo, cuius maior pars ex Aſianis, nullũq; belli vſum habentibus conſtabat. Hinc Vegetius, *in omni prælio non tam multitudo & virtus indocta, quàm ars & exercitium ſolent præſtare victoriam.* Apud Thucydidem verò lego, *ſæpè pauciores, dum metuunt, plures præ contemptu non inſtructos profligaſſe.* Quadraginta millia cũ Alexãdro, & quidem maxima pars veterani orientem occuparũt. Pauci Hiſpani, ſed milites, Indias obtinuerunt, quia optimè norũt ſoro vti, & quid in bello conducat, aut obſit diſcernere; diligentia, cura, attentione, concordia, & pertinaci laborum tolerantia nullis ſecundi; non vis hoſtium non aduerſa res ingentem eorum animum ſubigit, adeò vt quæ virtute ceperunt, ſimul cũ anima retineant.

Tertiò. Quia mediocris exercitus minori annona nutritur, maiores autem exer-

exercitus citò rei frumentariæ difficultas fatigat, ingentiq; labore numeroſis animalibus atque equis pabula colligũtur, nec vbique ſufficiens aquatio haberi poteſt. Lucullus abundans commeatu, conſumpſit tempore ipſo Mitridatis numeroſum exercitum apud Cizicum, cum ad pugnamè ſuis caſtris prodire nollet; nam & pabula ipſi & commeatus deficiebat, & miles moræ impatiẽs, vel diffugiebat, vel morbis continuis conſumebatur. Idem accidit Vladiſlao Iagellioni in Pruſſia Mariæburgum obdenti. Turcæ verò totus penè exercitus in campis Medziarenſibus ob aquæ penuriam perijt, peritq; ſæpiùs per deſerta Aegypti verſus Babylonem contra Perſas tendenti.

Quarto. Quia mediocris exercitus fortius pugnat, iam autem de numeroſo exercitu, verſis in fugam[aciebus, neceſſe eſt multos cadere de mũltis, vt accidit in pugna Orſanenſi cum Moſchis, cum hoſtis non mittat tela in vanum, ſed in condenſatam multitudinem, quæ ſemel confuſa ordines magis ſeruare nullo modo poteſt. Hinc veteres qui remedia difficultatum experimentis didicerant, non tam numeroſos, quam eruditos armis habere exercitus voluerunt. Et ſi exercitus eſſet pro neceſſitate numeroſior, diuidebatur in duo caſtra & duos

Duces,

Duces, cū eiuſmodi præcepto, vt prouiderent ne quid Reſpub. detrimenti caperet. Hinc Romanorum exercitus ordinarius, quem Conſularem appellabāt, non amplius duabus legionibus ciuium Romanorum fuiſſe legimus, quæ quidē circiter ſexcentos equites, & vndecim peditum millia conſtituebant. Erant ipſis præterea totidem equites pediteſque confæderatorum ac ſociorum, & cū tali exercitu vnus Cōſulum omnia perficiebat, & quemuis hoſtem adgrediebatur. Niſi fortè maioribus viribus reſiſtendū eſſet, tum enim boni Conſules, cū binis exercitibus legebantur. Errant itaque multi, qui in exercitu numerum tantū commendant, de cæteris ſecuri; cum tamen ingentes exercitus ſua ſibi multitudine obſtent, & ſi bellum trahatur, lōcaq; hoſtium natura vel arte munita, & ab egregijs militibus defenſa primum impetum eludant, tædio, morbis atque fame conſumantur; ſuis magis & ſocijs, quā aduerſarijs terribiles. In omni quippe conflictu non tantum prodſt multitudo, quam virtus. Vnde Frontinus. *In certamine bellorum exercitata paucitas ad victoriam promptior eſt, quàm rudis & indocta multitudo.* Ideo C. Marius cum ex tribus exercitibus vnum poſſet eligere, qui ſub Rutilio ſub Metello, & ſub ſeipſo meruerant, Rutilianum, quamuis cæte-

ris

ris minorem prætulit,non ob aliã cauſã, quam quod certioris eſſent diſciplinæ.

Concluſio. In prouincijs,quas nec munitionibus ars, nec fluuijs aut rupibus tuetur natura, timenda eſt hoſtiũ multitudo; obruuntur enim illę non vincũtur. verum vbi tutę viris muriſq; vrbes ſunt, aut in partibus eſt natura, minus terrebunt, centum hominum millia, quam mediocris & multa pręliorũ experientia commẽdatus numerus, qui ad victoriam ſufficiat, non abundet. Sępius enim magnas copias inordinatas à paucis ordinatis militibus profligatas legimus. Primum igitur in hac diſciplina & pręcipuum eſt, vt ex multitudine hominum, quam fuſam inordinatamq; acceperimus, idoneos eligamus, & locis conuenientibus inſtruamus, hoc eſt, decuriemus, & condecuriemus, atq; certũ numerum ſtatuamus copiarũ, qui modicè commodeq; ad belli rationem & vſum ſuppeditet. quippe cum & in itinere, & in caſtris, & in pręlijs ipſis inſtructũ haberi exercitum ſit perquam vtile. Neq; enim ſufficit ad conſeruandum Imperiũ & propulſandum hoſtem habere numeroſum exercitum, niſi fuerit & exercitatus? quia pauci fortes plus valent, quàm multi imbelles vt teſtatur victorię Gręcorum, Romanorum, maiorumq; noſtrorum Polonorum, qui paruis exercitibus

multas acquiſiuerant prouincias,& Scythas,Turcas,Dacos,Moſchos,alioſq; quoſuis multitudine prçualentes vicinos, à Regni Poloniç finibus repulerunt, Hodieq; aduerſarijs noſtris nō tam multos, quàm ſtrenuos milites atque Duces opponimus. Et vt Plato docet, *militem debere eſſe ambidextrum, qui ſit & eques & pedes cum neceſſitas poſtulauerit*, talem equitatū habemus,qui pro rei exigentia haſtatus eſt in planicie; his fractis in prçlio eſt ſclopetarius inter anguſta,& thoracibus ferreis depoſitis, leuioris armaturç eques, quem vulgo Coſachos vocamus, & tandem Duce iubente equos dimittit, & omnia peditum munia alacriter obit.

QVESTIO XXI.

Vtrum omnes, an verò plures armis tecti eſſe debeant?

QVantum agilitas conferat in bello, & in pugna aperta, nemo eſt qui non videat,cum ex ea naſcatur victoria & hoſtilium acierum clades; ideo grauioribus armis impediti difficulter optatum aſſequuntur finem in prçlio,ac propterea à multis negliguntur, bellaq; omnia leuiore milite peraguntur, prçſertim ab illis qui celeritate valent, idque has ob cauſas.

Prima. Quia leuior armatura aduerſarium prçuenire in bello poteſt, atq; ita

om-

omnes illius cogitationes & acies cōfundere etiā inſtructiſſimas numero militū & armis. Ita Scithę quaſuis gentes inſperatè comparendo non tantum metu implent, ſed & cędibus afficiūt: Arabibuſq; ac Saracenis Romani Imperatores nequaquam reſiſtere cū ſuis cathaphractis equitibus, armatiſq; legionibus potuerunt, qui ſeminudi fere ſua agilitate, & Gręciam & Italiam, & alias nō Aſię aut Africę tantum, ſed & Europę prouincias complures debellauerant.

Secundo. Quia in pugna grauiter armatum expeditius pugnando ictu cōficit, aut loco ſeſe ęgrè mouētem, à tergo circūuenit, atq; ita victoria potitur Propterea Nairi Calecutenſes, & Narſingani, quia à pueritia mirabili agilitati ſtudēt, & in eam rem certis vnguentis ex Siſamo factis mēbra inungunt, ideo grauiorem armaturam, quę ipſos impedire poſſet, non habent, ſed Vmbilicotenus omnium Indorum atq; Ethiopū more, nudi arma offenſiua tantū gerunt; & ad quod genus armorum ſe à natura aptiorē eſſe putat, in eo ſeſe quiſq; exercet; atq; ita vnius generis armorū milites, per cohortes diſponūtur; vt qui lancea vtitur, nullū iam aliud telum pręter iſtud habeat; qui arcu & ſagittis, ſimiliter, tum qui gladio aut ſclopo, itidem. Et ſic inuincibiles habentur, nā & aſſequi eos fugientes haud

poteris, quamuis pedes ſint, & fugere ipſos cum perſequi cęperint, impoſſibile ſanè: falconum enim inſtar accurrunt & diſſipantur, occiduntq; cum minimè ſperaueris; quia & pernicioſiſſimos, vti fertur, Parthorum equos, ſua velocitate ſuperant, & ipſi ſeſe ita dextrè ſcutis ſuis coperiunt, vt ſit impoſſibile ferire ipſos. Cathaphracti verò noſtri, qui vix iam in vſu nunc ſunt, prorſus inutiles eſſe videntur, quod facie tota armata viſui vix locus pateat, quo aptè ictus in hoſtē deſtinare poſſint. Cumq; reſpirationē in defatigatione liberā habere nequeunt, facilè ſuffocantur in labore. Qui ſi equis deijciantur, nec reſurgere, nec quidquam dextrè gerere poſſent.

Tertio. Quia leuis armatura hoſtem ſuperuentibus affligit, cōmeatū pręcludit, vias infeſtat, prouincias depopulatur, in caſtra victualia conducit; quę ſingula nūc Croatę, atq; Coſachi Poloni in exercitibus Cęſareis pręſtant: quia grauior armatura Germanorum, ob ſuā grauitatē ad hęc omnia perficienda inepta eſt.

Contra grauioris armaturę miles pręfertur nudis, aut leuiter armatis, cū aliàs ob cauſas, tum ob has tres pręcipuè.

Primo. Quia & offenſiua tela, & defenſiua arma habet: quibus fretus, & aggredere hoſtem audacter poteſt, & aggreſſū ſuſtinere. Hinc haſtati Polonorum maximo-

ximopere laudantur, quod & equitatum quemuis inſtructiſſimum, & peditatum perrũpere poſſunt, ipſi ab impetu hoſtili & lęſione tuti, id eſt benè armati.

Secundo. Quia vbiq; terrarũ illi felicius vincunt, qui bene armis tecti ſunt, communiterq; victoriam in manibus habere dicuntur, cũ nudos exercitus aut leuiter armatos, ſibi oppoſitos vident. Vnde in pugna Mochenſi in Belgio Naſſouij copię, à grauiori armatura profligatę fuerunt, cum lanceis armati Hiſpanorũ equites, ſclopetarios, ab haſtatis Gallorum equitibus ſuperatos eſſe Hiſtoriarum ſcriptores prodiderunt.

Tertio. Quia vbiq; gentium grauis armatura, robur exercitus cenſetur eſſe, nõ tantũ in pugna ſtataria, ſed etiá in oppugnationibus vrbium. Nam leuiter armati, leuiter pugnare ſolent, inſtantibuſque armatis reſiſtere nullatenus poſſunt. Hinc ſequitur.

Concluſio. Tam leuioris, quá grauioris armaturę milites neceſſarij ſunt, ad conſequendam victoriam; ſed magis tamen iſti: quia impoſſibile eſt, vt non ſit audẽtior armis tectus, quam nudus. Et ſi leuioris armaturę opera neceſſaria erit ijdem armis grauioribus depoſitis, munere illorum vtentur. Vnde nudi eminus tantum, & fugiendo potiùs pugnant, quã reſiſtendo aut aggrediẽdo cominut; quia

non poſſunt non timere ferrum, toto corpore diſcoperti. Qui multitudine potius eam ob cauſam obruunt, quam fortitudine vincunt, vt faciunt Scythæ, Mauri, Indi, Parthi, Arabes, & Turcæ, quorũ alii Siami potentiam fregerunt, alij imperiũ Chinenſium lacerarunt. Alij conculcauerunt Romanorum Grecorumq; virtutem; alijcũ Tamerlane ex angulo Aſiæ egreſſi, maiorem mundi partem deuaſtauerũt. Sed & olim Iſcrates inter Græcos potius leuiter armatis obtinebát victorias; & propter maiorem agilitatem, thoraces lineos (vti faciunt noſtri Coſachi hodiedũ) non ferreos militibus portandos dabat, vt eò expeditiores forent. Quia & Romani in pugna Sacrouirana inimicos ſuos grauiter nimium armatos ſecuribus, inquit Tacitus, & dolabris, tãquam murum cædebant & proſternebãt; qui velut conſtricti obuertere ſeſe nequaquam poterant. Defenſiua igitur arma debent eſſe expedita ad ſagittandũ, iaculandum, & proijciendum, vt à longe etiam poſſint inimicũ offendere, & quã ſæpiſſimè; priuſquã approximetur nobis, & priuſquam non modo ad manus, ſed & ad iactum potuerit peruenire. Tales fuerunt & apud Romanos, ſed adiuncti grauiori armaturæ, qui deinceps à Maximino Herculei vocabantur, quod per eos Imperatores Romani infinitas victorias

obti

obtinuerint, priuſquam res ad Triarios aut primipilos perueniſſet. Vnde nō debent nimiū armis onerari, vt eo expeditius prælium exordiantur, hoſtē prouocent, feriant, ſautient eminus, & proſternant. Fundant quoq; aciē, repellant equitem, cogant aduerſariū procurſantē loco cedere, perſequantur fugientē, explorent, perluſtrent, quę loca ſuſpecta, & ipſi deniq; locent inſidias. Quapropter plures habēdi ſunt, quàm aut cataphracti, aut haſtati, quia, vti diximus, hi & primū certamen ſubeunt, & vna cū cæteris grauiter armatis pugnant, & quanquam alij deſierunt hoſte abeunte, ipſi perſeuerant in inſequendo & capiendo, quod grauiter armati propter munimina quæ gerunt, præſtare nō poſſunt, quāuis à vulneribus ſunt tutiores, ſed propter impedimentum & pondus armorū capi eos facilè eſt, & laqueis frequenter obnoxij; contra diſperſos pedites, quàm contra equites in certamine meliores. Tamen aut ante legiones poſiti, aut cū alijs equitibus mixti, quando cominus pugnatur, hoc eſt, manu ad manū, acies hoſtiū ſæpè rūpunt. Inq; Pragenſi celeberrima illa noſtra ætate pugna, Ducis Bauariæ cataphracti multum contra legionarios Friderici valuerūt. Romanorumq; pedites olim erant armis ferreis & galeis coperti, vti nūc Germanus mi-

les facit, ſed poſtea diſciplina negle͏̄cta à Gratiano Imp. impetrarunt, vt thoraces deponerent, deinde verò & clipeos: vnde in pugna cum Gottis facilè fuerũ victi. Sed nunc communiſſimè iam totus peditatus nudus eſt: inque pugna illa Mechlinienſi, quã Ioannes Auſtriacus habuit, cũ confœderatis Belgarum, ſpectaculo fuere manipuli Scotorũ, qui ſiue oſtentatione audaciæ, ſiue potius æſtus intolerantia quem & curſus, & dies cœlo ardente flagrantiſſimus intendebat, reiectis veſtibus, ſolo induſio contenti, aliqui hoc etiam exuto, atq; ad ſœnora contorto nudi inter armatos volitabant. Nec erant inde pleriq; eorũ minùs tuti, quàm cæteri armis tecti, atq; ideo graues: quos & declinandis telis impróptos, & à caſu tardiores, & in receptu poſtremos, ſæpè hoſtis, aut ictu cæderet, aut equo proculcaret, aut manu caperet.

QVAESTIO XXII.

Vtrum expediat milites auro & argento vti?

OLim & in victu & in veſtitu milites modeſtiã obſeruabant, poſtea negligentia luxurioſorum Ducum, eo peruentũ eſt, vt iam paſſim inter Rerũpublicarũ gubernatores diſceptetur, ſint ne legibus coercendi milites, qui caſtrẽſem diſciplinã penitus iã amiſerũt? ſitne victus ipſis & veſtitus præſcribendus, qui nulla in re modũ per ſe ſeruare volũt?

Nam

Ná quod de Repub. loquens Seneca ait *Conuiuiorũ luxuria & veſtiũ, ægræ ciuitatis indicia ſunt*, hoc nos de exercitibus meritò dicere poſſumus, conuiuiorũ & veſtiũ luxum, eſſe ſigna perditi exercitus, imò perditi populi, qui nonniſi diſciplina legũ conſeruari poteſt, prout & militia diſciplina caſtrẽſi quæ dũ negligitur, neceſſario & Imperium perire debebit. Vnde Alexander Seuerus Rempub. militaris diſciplina contineri dicebat, quæ ſi dilabatur, & nomen, & imperiũ Romanum amiſsũ iri, quod & euenit, negligẽtia Ducũ exercitus. Paſſim etenim videmus, qui ad militiam animũ adplicuere, eos non modò veſtiũ mox aliam rationem inire, verũ etiam in moribus, conſuetudine, voce, quin etiam inceſſu, omnem ciuilem modũ faſtidire. Hinc legũ contemptus, dira morũ immanitas, effrænata violentia, prædandi, ſæuiẽdiq; cupiditas, inſolentia, perfidia, impietas. Domũ deinde reuerſi, non alijs moribus eſſe volunt, quàm in caſtris conſueuerunt, atque ita patriam perdunt. Nihilq; aliud nunc tota in Europa ſpectandum obuerſatur, quàm vt videas iuſtitiã opprimi, Remp. impotenter vexari, mendacio licentiam palmamq; dari, veritatẽ abſtrudi, Satyricos tacere, aſſentatores loqui, ſeditioſos dominari, pacificos ſeruire, & quod ſuper omnia, peſſimumque

omnium, benè cum malis, malè cũ bonis agi. Cui rei prouidendo tempeſtiuè, luxus in caſtris coercendus eſt, qui quo maior eſt, eo periculoſior eſſe ſolet. Et qui cælata auro vel argento arma militi concedi volunt hiſce rationibus nitũtur.

Primo. Quia ſpecioſior miles ſic in acie apparet, ac proinde aduerſario formidoloſior, cuius oculos hoc ſplendore perſtringit. Qua ratione commotum Alexandrum fuiſſe aiunt, vt indos aggreſſurus equorũ phaleras & militũ arma argento inſigniri iuſſerit. Idem faciebant Sertorius, atq; Iulius Cæſar, qui non tantùm permittebant auro & argento vti, ſed etiam iubebant pompoſas veſtes, & varijs coloribus reſplendentes habere, quod nunc faciunt Perſæ, Turcę, Poloni, Cocincinenſes, Feſſani, Congenſes, dicẽdo animoſiores ita fore milites, cum aduerſarios ſuos conſpiciãnt in acie nudos, laceros, ſorpidatos.

Secundo. Quia fortiores neceſſariò ità fiunt, curando ne iſta amittant quibus reſplendent, neue in manus hoſtiũ concedant, quibus illi & apud ſuos commẽdabiles, & apud aduerſarios in precio & æſtimatione ſunt. Vnde Suetonius de Cęſare. *Milites habebat tam cultos, vt argento & auro politis armis ornaret, ſimul & ad ſpeciem, & quo tenaciores eorum in prælio eſſent metu damni.*

Tertio.

Tertio, Quia vtile Principi & militi habere, quæ ad vſum & victũ deficiente publico ærario, conuertat. Qui enim lacer & nudus eſt, fame perire debebit, dum in zonula pecunia deeſt, ille verò qui aurum aut argentum cælatum poſſidet, facilè & ſaucius & famelicus neceſſaria ſibi conquirere poterit.

Cęterùm veteres felicitatem Reipub. non alia ex re metiebantur, quá vt multos in illa armis exercitatos reperiri poſſent: ſiquidem non ſplendor auri gemmarumue, ſed ſolus armorum metus hoſtes tibi ſubigit. Quare argenti auriq; vſum in caſtris militi interdicebant, haſce ob cauſas.

Primo. Quia difficulter miles ita ſcribitur: cum nemo ſimplici veſte tectus, ſimplicibuſq; armis ornatus velit comparere inter alios hiſce talibus reſplendentes, vt nunc moris eſt in Polonia: nemoq; ita pōpoſe indutus, vult eſſe contentus ſtipendio Reipub. ordinario, ſed vltra decuplo à ſuo ductore donatiuum exigit, vti latius deſcripſimus in Equite Polono ad Vrbanũ VIII. Atq; ita ditiores, ſi cōparere in caſtris cũ ſuis cohortibus, amore aut neceſſitate Reipub. exigente, volunt intra breue ſpacium temporis ſuas poſſeſſiones creditoribus obligant, ipſi verò ita ad paupertatem deueniunt. Interq; ſemetipſos ſæpiùs ad iur-

gia & turbas diuerſas deueniunt, dum ſplendidius veſtitus, minus comptũ aut refulgentem auro contemnit & ſpernit. Vnde meritò de Polonis militibus noſtris, id poſſumus dicere, quo Tiberius Imp. olim de fœminis Romanis dicebat. *Lapidum cauſa pecuniæ noſtræ ad externas, aut hoſtiles gentes transferuntur.* Vt enim equos noſtros, arma noſtra, atq; noſmet ipſos gemmis & lapidibus precioſis, tum pellibus precioſis, ſerico, & pennis adornemus, omnes prouẽtus noſtros ad trãſmariuos populos, & maiori ex parte ad Turcas hoſtes noſtros capitaliſſimos mittimus; barbariq; populi quib. cũ bella aſſidua gerimus pecunijs noſtris diteſcũt.

Secundò. Quia excitatur ſic hoſtis ſpe prædæ, fortiuſq; nobiſcũ pugnat. Ita Coſachi Zaporoſenſes ipſimet laceri, rudiq; veſte contecti, Turcas ſplendide veſtitos & auro argentoq; lucentes, incitati cupiditate prędę, audaciſſimè ſemper aggrediuntur, & ſpolia ſæpiſſimè referunt ditiſſima. Et in bello Chotimẽſi nocturno tempore, agmineq; ſilenti caſtra ipſorũ toties inuaſerunt, accenderuntque animos cæterorum ad audendum facinus ſimile, ſolius prędę amore. Sæpè etenim ignauos etiam lucri cupido ad fortiter pugnandum, & aduerſa tolerãda accendit.

Tertio. Quia miles ſpoliat prouinciales

les & latrocinatur, vt ſe auro veſtiat, exhibeatq; æqualem ſplendore ſuis commilitonibus; atq; ſic inhiãdo prædæ atq; rapinæ, omittit ordines, corrumpitq; diſciplinam. Quod cõſiderans Ludouicus Imp. vſum auri & argẽti militibus omnibus interdixit. Quod fecerat & Chodkieuicius contra Turcas: Imperator exercituum Polonicorũ conſtitutus, qui legẽ à Repub. in comitijs Generalibus, hac de re ſtatui impetrauerat. Sed & Peſcennius Niger olim videns quòd nonnulli milites eius vterentur vaſis argenteis ad bibendũ, iuſſit ſtatim omne argẽtũ conquirere & remittere domum. Veneti quoq; legibus cauent ſuis, ne triremiũ Præfecti vtantur vaſis & armis argenteis, ne paulatim orto luxu à militibus tota Reſpub. deinde corrumpatur, quæ diligentiſſimè in omnibus rebus luxum prohibet, ſumptuariaſque leges veterum Romanorum exemplo habet.

Concluſi. Omnia illa militibus ad veſtitum & ornatũ ſunt permittenda, quæcunque eũ animoſum audacemq; reddere poſſunt. atque hoſtibus terribilem in oculis faciunt, vt ſunt criſtæ diuerſæ, alæ pennatæ, pelles animalium rapaciſſimorum, tygridum videlicet, leopardorũ, vrſorum, luporumq; quibus etiã equi hoſtiles terrentur, & quibus communiſſimè equites noſtri Poloni, ad perterre-

terrefaciendũ aduerſarium in aciem deſcenſuri vtuntur. Auro autem gemmis & argento, non deberent prælij tempore vti, ſed in caſtris tantùm & congreſſibus cum hoſte tempore vti, ſed in caſtris tãtùm, & congreſſibus cũ hoſte tempore induciarũ, aut tractationis pacis: idq; non promiſcuè omnes, ſed vel ductores ordinum tantùm, vel benemeriti, aut veterani certorũ ſtipendiorũ emeritorũ. Sic Alexander Magnus quamuis valoroſiſſimis militibus ſuis, quos Argiraſpidas vocabat ob virtutem, non tamen cõcedebat vſum argenti, & veſtiũ ſplendidarum, niſi deuictis Perſis, & ſubacto Oriente. Et cùm alias ſemper, tùm vltimum cũ Dario pugnaturus hortabatur milites ſuos, vt ſpernerent illam aciem auro argentoque fulgentem, in qua plus prædæ, quàm periculi ſit, cum victoria non armorum decore, ſed ferri virtute queratur. Galgacus quoque Britannos monet ne terreat eas vanus ille nobilioris metalli aſpectus, quod neque tegit, neque vulnerat. Annibal etiam reprehẽdebat exercitũ Antiochi, quòd & argẽto & veſtibus reſplenderet, incitaretque auaritiã in famelico & talibus ornamẽtis carente inimico. Similiter Mitridates, toties ſplendidos auro ſuos milites ſpoliatos à Romanis eſſe videns, ferro ſoſolummodò & corio vti iuſſit. Optimum

itaque

itaque foret, ſi Dux ipſe & Tribuni omnes modeſtia quam maxima vterentur, nec darent potiſſimum luxus atque luxuriæ ſuis militibus exemplum, quod corruptis hiſce temporibus paſſim iam fieri videmus.

QVAESTIO VLTIMA.

Vtrum litteræ iuuent rem militarem nec ne?

QVi omnem ſcientiā rei militaris in ſolo vſu & experientia atque exercitatione collocant, neq; ad hanc momenti quidquā afferre cenſent ingenij vim lectionis huc pertinentium ſcriptorum induſtria comparatam, eos vel vnius L. Luculi exemplum refellere poteſt, commemoratum à M. Cicerone, eo libro quem Luculli nomine inſcripſit: comprobabit autem euentus belli Turcici ad Chotimiā in Valachia, quo Oſmanus numeroſiſſimo cum exercitu, & inæſtimabili cum apparatu veniens, nihil contra caſtra Polonorum, cum vniuerſis ſuis Purpuratis proficere potuit, quod nullum à literis ſubſidiū habuerit. Quem è contra nos, non viribus tantùm & fortitudine, à finibus patriæ repulimus, ſed etiam ingenio, multis in occaſionibus exigua ſuorum manu ſuperauimus, ac in ſua redire in glorium coegimus. Rudes attamen & imperiti litterarum atque rerum, volentes barbariem ſuam promouere, hiſce ratio-

tioni-

tionibus viros militares, à litterarum cognitione repellunt.

Primo. Quia litteræ faciunt hominem melanchonicũ, vt docet Ariſtoteles, & experientia ipſa: melanchonia verò cõtraria eſt vigori animi, qui in militie omnino requiritur, ideo viri eruditi, vitæ ſedentariæ aſſueti, fugiũt ſtrepitus armorũ, & nec in maximis neceſſitatibus volũt ſeſe vltrò immiſcere bellicis tumultibus. Vnde Cato dicere ſolebat, *Romanos tũ imperiũ amiſſuros, cũ cœperint attendere ad Studia & litteras Græcorũ.* Ita enim occupãt hominem litteræ, vt nulla alia re delectetur niſi ſua ſpeculatione. Hinc tot Monachi, Sacerdotes, ſæculares, Theologi, Philoſophi, Iuriſperiti, Medici, Pharmocopolæ, Cauſidici, Chimici, Poetæ, Oratores, Muſici, Statuarij, Pictores, Architecti, Aſtrologi, Geometræ, vt tertia pars ferè hominum in qualibet Repub. quieti ſit dedita, cęleſtiũ, vel ſublunariũ rerũ meditatione occupata. Qui ſi omnes rei militari operã nauarent, potuiſſent multò feliciùs hoſtes ſuos repellere, à finibus Imperij ſui, quam dũ tertia tãtùm aut decima pars ciuiũ id ſatagit, reliquis agriculturam, & mœchanicas artes exercentibus. Ideo Licinius Imp. Philoſophos ac Oratores venenũ eſſe ac peſtes Reip. aſſerebat, quod ex eorum diſciplina, omnes otij amantes prodirẽt.

Secun.

Secundo. Quia litteræ faciunt hominē vilem, timidum,& aſſidua meditatione rerum mutabilium, meticuloſum & exanguem. Cum enim vitæ breuitatem conſiderant, & pericula mortis altiori mente ſpeculantur,non libenter ſeſe periculis belli exponunt,ſed quam diutiſſimè cupiunt lucis huius vſura perfrui:& quam chara ſit valetudo & ſanitas hominis diligenter examinando, quæ vel totius mundi theſauris cōparari nequit, nolunt eam aliquot denarijs vendere; pro ; exiguo ſtipēdio,quod militibus & tardè, & non ex integro exoluitur, tot miſerias,tot vulnera,famem,frigus,æſtū morbos,atq; demū ipſam mortē ſubire. Ideo Gotti,Romanum Imperiū vaſtādo, vbiq;libros intactos relinquebant, quod ſtudijs literarum ſciebant hoſtes ſuos tāto magis fore imbelles. Turciq;nunc, & Saraceni olim legibus Machometi,à litterarum tractatione deterriti,iuuentutē ad arma ſemper conuertebant,& à litteris auertebant,ne cum tempore fortè fierent debiliores, (vti Græci tunc & Romani) a per conſequēs imbelles. Quod ipſum olim Cato conſiderans,auctor Senatui fuit,vt tres Oratores, qui nuper Athenis venerant,ę veſtigio domū remitterentur. quippe verebatur,ne Romana iuuentus,ſcientiarum illecta dulcedine, à militiæ ſtudio & laboribus abſtraheretur.

tur.

tur. Semperq; apud omnes Orientales, litterarum ſtudia, emollire atque adeò effœminare animos credita ſunt.

Tertiò. Quia per experientiā videmus, tot bellicoſiſſimos fuiſſe populos, tot ſtrenuiſſimos milites, tot glorioſiſſimos Duces, victorioſiſſimoſq; Reges ac Imperatores, qui ne vnicam quidem litterulam nouerant, Manlij illi, Decij, Marij, Diocletiani, Sapores Tamerlanes, alijſq; infiniti Heroes per orbē vniuerſum ſparſi; quos inter noſtri quoque Boleſlai Præmiſlai, Laſcones, Caziмiri, atque Vladiſlai numerari poſſunt, qui penitus litterarum ignari, bellicoſiſſimi attamen Principes fuerunt, regnumq; Poloniȩ, vel inuitis ac inuidentibus vicinis Regibus, in eá quá nunc poſſidemus amplitudinē dilatarūt. Nec Nobilitas noſtra ſtudia litterarum tractare cȩpit, niſi à Iagellone Rege Doctoribus in Academiam Cracouienſem introductis; à quo tempore ſtatim deſijt per ſe nobilitas bellicas expeditiones peragere, ſed ſtipendiario milite cœpit vti: neglectoque equitādi vſu, vnde Equites appellabantur, à vicinis populis carpentorum atq; rhedarum vſum deſumpſit. Nec quidquam reſtat, luxu tàm ingenti introducto, quàm vt cū Sardanapalo & Heliogabalo muliebres ſumamus veſtes, eiuratiſq; virilibus belli ac pacis artibus, colum tractemus & lanam.

E di-

E diuerſo tamen, omnium prudentum opinione. *Prima dos ſummi Ducis eſt, ſcientia rei militaris*; hæc autem vt reliquæ artium non tantum exercitatione, ſed & doctrina percipitur: vnde libris & lectione opus; boniq; Duces & lectionem experientia comprobant, & experiẽtiã lectione confirmant. Ita Iulius qui in magnis itinerũ difficultatibus, & in medijs bellorum æſtibus libros fecit. Et ſanè excellẽtiſſimi quiq; Duces, ijdẽ & literatiſſimi fuere, præcipuè Romanorum & Græcorum, qui cæteris omnibus pro exemplo ſunt. Et patrum noſtrũ, noſtraq; memoria, quibuſdam Septentrionalibus tanta fuit litteratorum copia, vt incertum diceres armiſne eſſent, an litteris clariores. Proinde iuuare prudentiam militarem litteras, vel his rationibus probatur.

Primo. Quia excitant ad gloriam, & res domi foriſq; præclarè gerendas: Cum etenim hiſtorias legimus, & tot Heroes in illis commendari videmus rapimur ſtatim ad ſimilem gloriam, & laudibus incitamur ad famam, quæ nomen noſtrũ æternum poſteris cõmendaret. Ita Themiſtoclem excitatũ legimus Encomijs Achillis, Cimonem Themiſtoclis, Alexandrum, Philippi patris; Machometẽ II. Alphonſum Magnum, Marchionem Peſcaræ, lectione Hiſtoriarum, alioſq; infinitos viros illuſtres, qui alias imbelles natura,

tura,& ignaui opum affluentia, ſumpto ex lectione deſiderio famæ,in valoroſiſſimos deinceps Imperatores euaſiſſe videmus.

Secundo. Quia prudentiam generant; ſine qua miles nihil planè vi ſua efficiet. Ex hiſtorijs enim caſus diuerſos diſcit,vt euitet; æſtus militares format,vt aduerſarium decipiat;ſitus locorũ atq prouinciarum cognoſcit,vt ſciat qua,& quomodo cum exercitu procedere debeat,quod præſtat Geographia; temporũ mutationes præſagit,ex Mathematica; locorum ſalubritatem,ex Phyſica; metationem caſtrorum & diſpoſitionem acierum ex Geometria; muniendi rationem, & fabricandorum inſtrumentorum bellicorum artem,ex Architectonica: Ex moralí deniq; Philoſophia & Eloquentia tractandorum prouincialium modum, exhortandorum,ſedandorumq; militũ methodum;pacis induciarum, fœderũ,pactorum, tranſactionum, cæterarumque rerum, quæ ad regimen exercitus, & conciliandi ſibi, aut circumueniendi aduerſarij rationem addiſcit.

Tertio. Quia docent non extimeſcere mortem: morientibus enim pro patria & Religione,cùm famam immortalem, tum vitam æternã, cæleſtiſq; gloriæ premia mortalibus promittunt; quibus excitati per ſanguinem & mortes nitimur

adi-

adipiſci vltimum finem noſtrum & beatitudinem. Hinc plurimi contra barbaros pro libertate bella geſſere, plurimi pro gloria Crucis mortem libentes oppetiere plurimi pro liberandis captiuis è ſeruitute Muſulmanica ſuis ſumptibus in expeditiones iuere; inclituſq; Heros ille Gotifredus Bullionius plurimis occaſionem præbuerat, benè merendi de Religione Catholica, ſuſcepta expeditione pro recuperatione Terræ Sanctæ. Sed hæc iam lippis & tonſoribus nota ſunt. Sequitur.

Concluſio. Litteræ Ducibus belli ſunt neceſſariæ, non autem gregario militi; qui has tantùm modò res duas præſtare tenetur, obedientiam ſuo Imperatori, & tractationem armorum expeditam. Imperator vero atque eius Duces, debent habere prudentiam rerum militarium, famæque bonæ appetitum. Hinc Ottho dicere ſolebat ad milites. *Vobis arma, & animus ſit: mihi conſilium, & virtutis veſtræ regimen relinquite.* Et Antonius Primus. *Diuiſa inter exercitum Duceſq; munera, militibus cupidinem pugnandi conuenire; Duces, prouidendo, conſultando, cunctatione ſæpius, quam temeritate prodeſſe.* Et ideo barbaros longè fortius pugnare videmus acie aperta, quàm Christianos, quia ignari omnium rerum, nullam aliam gloriam expetunt, quàm mori in armis, ſecuri præ-

miorum

miorum fortunæ vitæ ex falſa perſuaſione ſui Machometis. Inter Chriſtianos verò quia plerique litterati ſunt, & de pænis malorum poſt mortem, plurima legerunt aut audiuerunt, quia licentioſius in militia vixerunt, ſcelerum perpetratorũ conſcientia tacti, ſæpiſſimè mortis pericula euitant, & congredi non audentes in turpiſſimam ſeſe fugam multoties coniſciunt, niſi benè animentur, aut informẽtur ante pugnam à ſuis Ducibus. E contra barbarorum Duces, quia nullam ex litteris ſcientiam adiumento ſuæ peritiæ habent, ideo ſtratagemata litterarorum euitare; aut præuidere neſciunt, nec poſſunt Chriſtianos acie vincere, niſi vi & multitudine exercitus ſui. Quemadmodum igitur terra cultu, ſic animus bellicoſorum virorum diſciplina & litteris melior, vberiorq; efficitur. Et ideo Lazarus Suendius, Maximiliani II. & Georgius Baſtha, Rudolphi II. copiarũ in Pannonia Ductores, ita litterarum & litteratorum amantes, & ſtudioſi fuere, vt viros eruditos, & integram ſuppellectilem bonorum librorum, in caſtris ſecum circumferre ſoliti fuerunt. Quid dicam de Franciſco I. & Ludouico XI. Regibus Galliæ. Quid de Lotthario II. Alphonſo Magno, Roberto Siciliæ Rege, alijſq; infinitis Ducibus ac Principibus in omni æuo, & in omnibus

mundi

mundi partibus? Et quidem merito, litterarũ enim præſidio leges cõdimus, iura conſcribimus, pacem dirigimus, bella dirimimus, morum præcepta tradimus, & oratorem componimus, qui ciuium militumq; animos impellat quò lubet, reuocet vnde vult: humanarum præterea diuinarumq; rerum ſcientiam acquirimus, quæ homines multis ante nos ſæculis nati ſenſerint, geſſerint, quomodoue vixerint, ſcimus noſtras denique aut noſtrorum res præclarè geſtas obliuioni eripimus, ac poſteris cognoſcẽdas celebrandaſque mandamus. Quid igitur earum cognitione, vel prodeſſe magis hominum vitæ, vel plus afferre ſplendoris poteſt? cum non ornamenta solùm Rerumpublicarum ſint ſed auxilia & fulcra *quæ ab omni æuo*, vt inquit Belgicæ decus Iuſtus Lipſius, *Deus extare voluit, velut pharos, & lucentes quoſdam ignes in tempeſtuoſo mari mutationis noſtræ.* Vnde non ſolum pulchrior comptiorq; per doctrinam virtus in Summo bellorũ Duce ſed etiam fortior, cautior, & ad poſteros ſplendidior atque commendatior, quia non colorem tantùm ſuæ præſtantiæ à litteris ducit, ſed etiam ſanguinem & robur, quo ſuis fit amabilior, hoſtibus verò formidabilior.

ET

ET hæc ſunt, quæ in vſum tyronum, his octo libris, de Militari diſciplina meditati ſumus Tu autem ò exercituũ Deus, & protector noſter Aſpice ſuper humilitatem ſeruorum tuorum. Et cogita cogitationes pacis, & non afflictionis. Vt in pace viuentes ſecuri tibi ſeruiamus Ad laudem, honorem, & gloriam tui nominis.

FIAT. FIAT.



INSTYTUT OSSOLINSKIEGO

FLORENTIÆ M.DC.XLVI.

Superiorum permiſſu.

Sumptibus Ioannis Baptiſtæ, & Ioſephi Corbi Bibliopolarum Romæ.

7536

1816 –15